1240. I. N. C. 3.

GEORGII AGRICOLAE

De mensuris & ponderibus Romanorum atque Græcorum Lib. v
De externis mensuris & ponderibus Lib. ii
Ad ea, quæ Andreas Alciatus denuo disputauit de mensuris & ponderibus, breuis defensio Lib. i
De mensuris, quibus interualla metimur Lib. i
De restituendis ponderibus atq; mensuris Lib. i
De precio metallorum & monetis Lib. iii

K K
LYCEAL
BIBLIOTHEK
ZU
LAIBACH



BASILEAE M D L.

Cum priuilegio Imp. Maiestatis ad quinquennium.



0300288761

ILLVSTRISS. ET POTENTISS. SAXONIAE DVCIBVS, LANDGRAFIIS TORINGIAE, MARCHIONIBVS MISEnæ, comitibus Palatinis Saxoniæ, Burggrafiis Altenburgi & Magdeburgi, comitibus Brenæ, dominis terræ Pleisensis, Mauricio sacri imperij archimarschalco & Electori, atq; eius fratri Augusto Georgius Agricola S. D.

SAepe mihi memoria repetenti uetustissimas quasq; & illustrissimas Germanorũ familias, ex numero earum, quæ de his supersunt, uestra, duces optimi, uideri solet facile secundas tenere. nã & pacis belliq; laudibus abundat, & multæ nationes in eius potestate sunt, & opibus affluit. Etenim cum Sigardo bellum diuturnum suscepit rex Francorum Dagobertus iunior, quod deinde cum eius filio Diterico, quem genuit ex Milanda filia ducis Venedorum, primo gessit Carolus Martellus auus Caroli Magni, deinde Carolomannus Martelli filius: tum idem Carolomannus & eius frater Pipinus. Illos autem duos Saxonum principes, maiores uestros, nonnulli Francorum annales, ut etiam mos Romanorum est, reges nominant. Ditericus uero ex Dobra filia ducis Obetritorum procreauit Vernechinum, cuius temporibus Pipinus Caroli Magni pater rursus bellum Saxonibus fecit.

Vernechinus autem ex Cunilda filia ducis Rugorum suscepit Vitechindum & Brunonem proauum imperatoris Henrici primi, cuius Henrici filius fuit imperator Otto primus: nepos, secundus: pronepotes, Otto tertius & Henricus secundus. Cum Vitechindo & cæteris Saxonum principibus, quòd acerrima illa natio à religione Christiana abhorreret, Carolo Magno per annos amplius triginta bellum fuit, quod plures scriptores narrant. Vitechindus autem ille duos filios sustulit: ex Geua sorore Siuardi regis Danorum, Vipertum maiorem natu: ex Suatana, Lechi Zescorũ & Bohemorũ ducis filia, Vitechindum minorẽ. Maioris filius fuit Valbertus, qui multos liberos procreauit, Ditericum scilicet, Vitechindũ, Immidum, Regebernum, atque quartus ille, ut autor est Vitechindus Corbeiensis, Danorum copias fudit, & Saxoniam ab eorum irruptionibus uindicauit. Diterici uero filia Mathilda nupsit imperatori Henrico primo Ottonis Saxonum ducis filio. Valbertus quidem & ex eo generati Vestfalos tenuerunt in sua ditione: sub minoris autem eiusdem Vitechindi filij potestatem, ut etiam his temporibus sub uestram, partim subiuncti erant

Saxones Oſtfali. Sic maiores noſtri orientales uocarunt, ſicut etiam nunc occidẽtales Veſtfalos nominamus.nam Cerueciȷ princeps fuit, & præfectus præterea Soraborum. Qui duos filios Fridericũ & Ditgreimum ex Iulanda uxore, quæ filia fuit comitis Rochlicenſis, ſuſcepit.quorum hic occiſi fratris ulciſcendi cauſa temporibus ducis Ottonis in Saxonia,ut Vanco ſcribit,bella geſsit. Sed filius eius Ditmarus,quem ex Boſſena filia comitis Pleiſenſis ſuſtulit, etiam Vittinum poſſedit, atqȝ bellator ille prudẽs imperatorem Cunradum primum, qui exercitu collecto Henricum primum, tunc Saxonum ducem,Grunæ obſidere uolebat,eluſit fingendo maximum exercitum mox affuturum,cum nullum conſcripſiſſet & comparaſſet. Eundem Ditmarum & Bernardum Redariorum prȩfectum Obetritos, Vilzos, Heluelos, Zeſcos prælijs fregiſſe item Vitechindus Corbeiẽſis in primo rerum Saxonicarum libro ſcriptum reliquit. Huic Ditmaro uxor fuit Villa filia comitis Northringenſis.ex qua genuit Chriſtianum principem Luſaciæ, & Dedonem comitem Vittini. At Diterico,quem Georgius Spalatinus, harum rerum diligens inueſtigator, ſcribit Ditmari filium fuiſſe, nos Dedonis,atqȝ ita Ditmari nepotem fuiſſe cenſemus, ex Iudita filia comitis Merſeburgenſis nati ſunt Dedo & Fridericus. Dedoni aũt Otto tertius, ut annales Lauterbergiȷ tradunt, regionem mortui Bionis comitis Merſeburgenſis dedit. Eius Dedonis filius Ditericus ex uxore Mechthilda, filia Eccardi principis Miſeni, procreauit ſex filios,& unicam filiam. Atqȝ ex numero tot filiorũ Thymo, qui dux exercitus Henrici quinti fuit, & meruit Miſenã,ex Hilda filia principis Stadenſis multos liberos habuit. Quorum Cunradus & eius nepos Fridericus cum Sarracenis in acie pugnarunt. alter cum iſtis Chriſtiani nominis hoſtibus bellum faceret imperator Cunradus tertius:alter cum Fridericus primus,cognomento Barbaroſſa.

Ex hoc Cunrado Leutgarda,natione Sueua,peperit ſex filias & totidem filios. Eorum Otto duxit uxorem Heduigem filiam Alberti ducis Saxoniæ.ex qua procreauit Ditericum.Cui ex Iudita filia Hermanni principis Toringi,natus eſt Henricus primus ueſtræ ſtirpis Toringiæ princeps. Huius Henrici ex Alberto filio nepos Fridericus pro ſua & patriȩ ſalute magnos labores & ſpe maiora pericula ſuſcepit.etenim duos imperatores Adolphum nimirum & Albertum primum, eorum copijs, ſed maxime Sueuis, ad Luccam oppidum profligatis, ex erepta Toringia expulit. Cui duplex cognomen fuit. unum traxit ex morſu. nam mater Margareta, filia ducis Sueuorum, cum, quod ei maritus Albertus periculum intenderet, ſe in fugam conijcere uellet, illius, qui iam annos tres haberet, malam, ut memor eſſet improbitatis paternæ,uulnerauit dentibus.alterum habuit ex Toringia,quam amiſerat, id autem etiam accidit patris iniquitate, recuperata. Fortis enim

nim dictus fuit. Eius uero filius Fridericus, ueſter tritauus, ex grauitate nomen inuenit. atq; hic reliquas arces, quas eius auus Albertus alienauerat, recepit. Cuius rurſus filius Fridericus, ueſter adauus, cognomẽto ſtrenuus, Erphurdum mẽſibus duobus obſedit. At abauus ueſter, cui item Friderico nomẽ, cum Zeſcis, qui incolunt Bohemiam pugnauit. & cum inter omnes principes unus tunc excelleret prudentia, opibus, potentia, Sigiſmundus Imperator ei munus eligendi Cæſaris detulit, & ducẽ Saxonibus præbuit. Cuius filius Fridericus, ueſter proauus, item bellum intulit Zeſcis. Atq; hi quinq; principes è continenti genere, tametſi eſſent bellicoſi, tamen, quoad fieri potuit, non tantum nomine, ſed re uera fuerunt Friderici. nam magis etiam cõmode adminiſtrarunt ornamẽta pacis, q̃ rem bellicam. Sed Albertus, ueſter auus, acerrime propugnauit pro imperatoribus. etenim Matthiæ Vngariæ regis, qui bellũ mouerat Friderico tertio, & Pannoniã ſuperiorem, quã appellamus Auſtriã, maiore ex parte occupauerat, impetus repreſsit: Flãdros, qui Brugis Maximilianũ dediſſent in cuſtodiã, maxime perculit & afflixit: Friſios dicto non audientes imperatorũ fregit ac domuit: atq; patrẽ ueſtrum Henricum Franicæ obſeſſum ex periculo exemit. Georgius etiã, patruus ueſter, non tantum ex genere & opibus fuit nobilis & clarus, ſed ei ex prudentia quoq; & fide multũ laudis acceſsit. imperatorũ enim fuit obſeruantiſsimus. Deinde ueſtra familia dominatur in Hermunduros, Toringos, Saxones, Francos. etenim ueterum Hermundurorũ Sueuorum reliquiæ nos, ad Albim habitantes, ſumus. quos poſteri nomine, ut fieri ſolet, mutato uocarũt Miſenos à Miſena, quod illud oppidũ principũ, marchiones nos uocamus, imperio domiciliũ ac ſedem præbuerit. cuius ergo is, qui iura Saxonum ante aliquot ſecula ſcripſit, principẽ Miſenum nuncupare Sueuum uideri poteſt. nõ enim tã quòd ipſe Sueuus eſſet, ut fuit, q̃ quod Hermunduris Sueuis imperaret. reliquã uero regionẽ Hermundurorum, in qua ad orientẽ Albis oritur, relictã olim ab incolis, qui in Noricum & Rhetiam ſecundã migrarunt, uel Venedorũ, ſiue Slauorum gens, quæ ſe appellat Zeſcos, occupauit: uel tenent hi Germani, quos Bohemos priſco uocabulo nominamus. Sed etiam huius regionis ueſtræ non exiguam partem olim incoluerunt Venedi, dicti Sorabi, qui partim prælijs cum à Francis, tum à Saxonibus deleti ſunt: partim ſe receperunt ad ſuos: partim ſeruitute oppreſsi ſermone noſtro cœperunt uti. Itaq; noſtri ſunt Hermunduri illi qui cum Cattis, ut ſcribit Cornelius Tacitus, magno prælio certarunt, dum flumen gignendo ſale fœcundum & conterminum utraq; gens ui ad ſe traheret. nam uel hodie ad flumen Salam ſalis hi fontes in nobili urbe, quæ Hala inde dicta, conſpici poſſunt. bellum autem hoc, eodem autore, Hermuduris proſperum, Cattis exitio fuit. quorum terram partim poſ-

ſederunt hi potiſsimum Saxones, quos appellamus Veſtfalos: partim ſeruarũt ipſi Catti, hodie Heſsi nominati. Toringi uero in primis nobiles habitant in optimis illis & uberrimis campis qui cinguñt & concluduntur ſylua Semana, & Meliboco monte, ac Sala fluuio. At Saxones tranſalbini, qui in ueſtra ditione ſunt, Sueuorum Semnonum regionis partem incolunt: ciſalbini Cheruſcorum, ſiue Cerueciorum. illo autẽ nomine eos uocat Cornelius Tacitus, hoc Vibius Sequeſter, & certe Cerueciũ oppidum extat. Francorum denique gentis, cui Gallia occupata inter cætera immortalem gloriam dedit, non contemnenda pars eſt ſub imperio principum, qui ex eadem, ex qua uos, ſtirpe orti ſunt. Atq; hæ regiones lõgitudine, quæ eſt ab Albi ad Veram, ſic flumen alterius fontis Viſurgis appellatur, CL. millia paſſuum implent, latitudine excedunt. ea uero eſt à Francis ad Saxones. eos dico, qui in ueſtra ſunt ditione. nam alioqui utriuſq; gentis, ſed maxime Saxonum, terræ longe atq; late patent. Sed Sala flumen Toringos diuidit ab Hermunduris. utrorumq; regio omni ex parte denſis ſyluis & crebris montibus munita eſt, præterquam ubi altera alteri & utraq; Saxoniæ ferè ueſtræ iungit: ut has gẽtes inter ſe natura ipſa cõciliaſſe uideri poſsit. Hermundurorum autem montes adeo metallorum, præcipue uero argenti, fertiles ſunt, ut nulli regioni de eius copia cõcedãt. colles ad Albim ſiti generoſum uinum gignunt. planicies abundat frumentis. Toringia tamen tritici ubertate non modo hanc, ſed omnes alias magnæ Germaniæ terras, facile ſuperat: ut ſumen Germaniæ rectiſsime dici poſsit. nec uero uinum ipſi deeſt, & magnos fructus capit ex iſatide herba, quam uulgus guadum uocat. In his autem regionibus ſunt urbes amplæ & florentes: oppida pulchra & ornata: plurimæ arces natura & ſitu in primis nobiles. Quæ omnia quicunq; contemplans expendit, quàm ueſtra familia abundet laudibus & belli & pacis uidet: quàm acerrimę nationes in eius ſint poteſtate: quàm diuitijs affluat. Sed quorſum hæc mea ſpectat oratio? quorſum? ut, duces illuſtriſsimi, conſulatis paci. quam hæ ueſtræ nationes & gentes ſub maioribus ueſtris uere Fridericis, id eſt pacis diuitibus, tutã tranquillãq; traxerunt uſq; ad hęc turbulentiſsima tẽpora, quibus inter Germanos ſumma de religione diſſenſio, nõ modo regionib. ueſtris, ſed toti ferè Germanię maximã calamitatẽ dedit. Cõſulere aũt poteritis paci, ſi apoſtolorũ non modo ſcripta, ſed etiã traditiones, παραδόσεις Græci uocãt, & ſanctæ catholicæ eccleſiæ ritus, quos uetuſtiſsimi quiq; ſcriptores Chriſtiani literis memoriæq; mandarũt, nõ reieceritis. ſi, ut inſtituiſtis, obedientes fueritis potentiſsimi Caroli V. Imperatoris, & Ferdinandi regis imperio. ſi denicq; eritis coniunctiſsimo animo cũ reliquis Germaniæ principibus. Quã primum aũt hi, qui uobis parent, hæc intellexerint, eis quoq; rurſus pax & cõcordia inſidebit, & legibus, quibus

bus aſtricti ſunt, obtemperabunt. quæ leges cum imperent ea quæ recta ſunt prohibeantq́ contraria, etiam menſuris & ponderibus iuſtis uti iubent: iniquis uetant. Vt uero quælibet reſp. habet ſua pondera ſuasq́ menſuras, ita etiam literæ. quæ maxime Græcis & Romanis utuntur. de quibus libros quinq́ conſcripſi, & ab hinc annos ſedecim edidi, quos nunc correctos & emendatos uobis conſecraui propter multas cauſas, ſed in primis propter beneficia, quæ à uobis nuper accepi, cum per Bohemiã ad Cæſaris exercitũ unà proficiſcerer. Quia enim uidi uos & Cæſari & Regi, quibus deus poteſtatem moderandi Germanos tradidit, ſeruare fidẽ, quod maxime decet principes, mihi iuſiurandum, quo uobis eram deuinctus, nullo modo negligendũ putabam. itaq́ uxore chariſsima, etiam prægnante, cum dulciſsimis liberis domi relicta: fortunis præterea meis, ex quibus hoſtes prædam capere poſſent, in exercitu ueſtro penè ſenex militaui. Sed de his nunc ſatis. Illos autem quinq́ libros, ueſtro nomini dicatos, ſequuntur duo libri De externis mẽſuris & ponderibus: atq́ libellus cuius inſcriptio eſt. Ad ea, quæ Andreas Alciatus denuo diſputauit de mẽſuris & ponderibus, breuis defenſio. deinde ſubiunctus eſt liber De menſuris, quibus interualla metimur. tum alter De reſtituendis ponderib. atq́ menſuris. poſtremo tres De precio metallorum & monetis. Quos omnes in chartis impreſſos peruulgaui, ut & bonarũ literarũ ſtudioſis quam maxime prodeſſe, & uobis ueſtriſq́ de me meritis gratum me præbere poſſem. Valete duces illuſtriſsimi. Kempnicij Hermundurorum ſiue Miſenorum VI. Idus Martias. An. M. D. XLIX.

De menſuris & ponderibus Romanorum atque Græcorum libri quinq́. quorum
Primus eſt De menſuris Romanis.
Secundus De menſuris Græcis.
Tertius De rerum, quas metimur, pondere.
Quartus De ponderibus Romanis.
Quintus De ponderibus Græcis.

AVTORES QVORVM TESTIMONIO IN HIS QVINQVE libris usus sum ad meam de mensuris & ponderibus sententiam affirmandam.

Acron interpres Horatij
Andocides
Appianus
Aristophanes
Aristophanis interpres
Athenæus
Aulus Gellius
Ausonius
Balbus
Caper
Cato
Cicero
Cleopatra
Columella
Cornelius Celsus
Cornelius Tacitus
Demosthenes
Diodorus
Dioscorides
Dioscorides alter
Fabius Quintilianus
Flauius Sosipater
Galenus Pergamenus
Harpocratio
Herodotus
Hesychius
D. Hieronymus
Homerus
Horatius
Iulius Capitolinus
Iulius Pollux
Iuuenalis
Lucianus
Martialis
Nicandri interpres
Nonius Marcellus
Oribasius
Palladius
Persius
Plato
Plautus
Plinius
Plutarchus
Polybius
Propertius
Rhemnius Fannius
Scribonius Largus
Sex. Festus Pompeius
Suetonius Tranquillus
Suidas
Terentius
Terentij interpres
Titus Liuius
Thomas Magister, qui scripsit Atticorum nominum eclogas.
Varro
Vitruuius
Volusius Metianus.

GEORGII AGRI-COLAE LIBER PRIMVS,

DE MENSVRIS ROMANIS.



Vm bonarum literarum ſtudioſis omnibus menſurarum & ponderum cognitionem ad autores recte intelligendos utilem eſſe cenſeo, tum maxime medicis: Quibus tamen, ſi rem acutius atq; acrius uidero & perſpexero, non modo ad percipiendum artem ſuam, præclaram illam, utilem eſſe ſentio, ſed ad rite exercendam prorſus neceſſariam. Quod cæteris ferè, qui hæc legunt, ſatis ſit ea intelligere, medicos quæ intelligunt, perficere oporteat. Habet enim medicina menſuras ratas & certas, ac definita ſtataq; pondera, in quibus ſi imperiti & parum prouidi homines errore ducuntur, quos uelim nunquam errare, ea errata non raro afferunt dolorem, interdum etiam interitum. Atq; aliorum errores humana ratione depelli poſſunt, medici, ſi fuerint magni, nonnunquam diuina tantum. Etenim mercator cum metitur uel ponderat, ſi extra modum incuria prodit, ipſe accipit detrimentum: ſin dolo quippiam de ijs detrahit, defraudat emptorem, ſed in eo, quod facile rependi queat. Medicus ſi uel inſcitia, uel negligentia, uel maleficio utitur maioribus, quàm par ſit, menſuris & ponderibus, præſertim cum medicamentis purgantibus medetur, ægroti robur minuit, aut eum omnino interficit: ſin minoribus, quamuis id minori fiat ualetudinis iactura, non raro tamen etiam tunc medicamentum quod purgat nocet ægrotanti. Sed mercatorem emptores decipientem Magiſtratus pœna mulctant. Circumforaneis pharmacopolis, qui ſe pro medicis gerunt, & his & alijs modis ubiq; homines impune: ait ille: necare licet, tantum uero abeſt ut arceantur, ut florentiſsimarũ Italiæ urbium fora iſtorum uocibus perſonent. Ita peruerſo quodam more magis curæ nobis eſt tantula pecunia, nam minoris uendunt ſuas merces fallaces atq; fucoſas, quàm bona corporis ualetudo, ſine qua nec mens ipſa ſatis ſana eſſe poteſt. Verum nihil mirum pharmacopolas iſtos indoctos inter cætera permulta menſurarum & ponderum rationem priſcam Romanorum & Græcorum ignorare, cum noſtra ætate medici qui eã probe teneant, ſi ſint fortè, pauci admodum ſint, aliquot ante nos annis atq; adeo ſeculis nulli fuerint: quod appareret ex iſtorum ſcriptis, in quibus uidemus eos turpiſsime lapſos. Hinc partim factum, ut quia ueterum libros de medicamentis conſcriptos non intelligerent ipſi miſcere medicamenta ſimplicia cœperint, adeo

ut non ſolertes ſolũ uiri & experientes id agant, ſed inertiſsimus quiſque & omnium rerum imperitiſsimus quotidie utatur nouis medicamentis, à ſe temere excogitatis, ueterum neglecta iaceant. Hæc autem ratio explicandarum menſurarũ & ponderum multis de cauſis eſt per difficilis & lubrica. Primum enim diuerſarum regionum non minus olim ac hodie diuerſæ fuerunt menſuræ, & pondera. Sic alijs ſcriptoribus in uſu ſunt menſũræ Romanæ, alijs Atticæ, atq; item alijs aliæ: eademq; uarietas etiã exiſtit in ponderibus. Deinde autores, tam Græci quàm Latini, regionem, cuius menſuris uel ponderibus utantur, interdum non nominãt, interdum de ea memorant nimis obſcure. Tum etiam unus & idem autor menſurarum capacitatem, grauitatem ue rerum quas metimur, uel ipſa pondera, modo huius, modo alterius, regionis declarat. Præterea Græci de rebus Romanis loquentes, aut contra Latini de Græcis, menſuram uel pondus uocabulis ſuæ regioni uſitatis ſæpe explicarunt: quod aliquibus res, etſi non fuerũt eædem parum tamen uiderentur inter ſe differre: alijs etſi multum differrent, uti uocibus externis nõ placeret. Poſtremo libri mendoſe ſunt ſcripti. nam, ut de reliquis nihil dicam, menſuræ & pondera notis ſignificantur quibuſdam, quas aduertimus aliquando uel diuturnitate & iniuria temporum deletas, uel mutatas librariorum incuria aut temeritate, uel denicq; libros excudentium negligentia, aut praua corrigentium diligentia uitiatas eſſe. Quæ omnia niſi quis diligenter obſeruauerit, facillime in eos rapietur errores, à quibus ne magni quidem noſtræ ætatis uiri pace eorum dixerim, ſibi ſatis cauere potuerũt. Ne uero eorum autoritas, quam alioqui ſummo ſtudio, maxima eruditione, utiliſsimis libris iam pridem ęditis, ſibi iure compararũt, Latinæ Græcæq; linguæ ſtudioſis, quod attinet ad hãc rem obſit, & ut menſuræ ac pondera pleriſq; omnibus adhuc ignota fiant perſpicua & dilucida, decreui rem ipſam latius explicare. Quamuis in Græcis ponderibus fortè non admodum opus fuiſſet hoc meo labore, ſi non perijſſet liber à Diodoro de his ſcriptus: multo uero minus in ponderibus ſimul & menſuris tã Romanis quàm Græcis, ſi Galeni libellus de pondere liquorum, qui in medicamenta recipiuntur, extaret. Quoniam uero neuter peruenit in manus eorum, qui nunc uiuunt, & Budæus, Portius, Alciatus uiri clariſsimi & doctiſsimi & iuriſciuilis omniũ peritiſsimi de ſextario Romano totius cognitionis menſurarum quodam quaſi fundamẽto ſenſerunt maxime diuerſa, ac unius tantum ſententia ſtabilis & firma eſſe poſsit, aut nullius, operæprecium mihi uiſum eſt meum quoq; iudicium interponere. Et id mihi licere arbitror. qui enim non? cũ Budæo licuerit liberè de Hermolao Barbaro, & uere de Angelo Politiano, qui huius tractationis ſemina noſtro ſeculo primi in ſuis cõmentarijs ſparſerũt, iudicare? deinde Portio iam edito libro Budæi ſua in lucem proferre

ferre? nuper autẽ Alciato de utriuſq; ſententiâ diſcedere, ac propriam & nouam in locum ſubſtituere? Iudicia certè in literis olim fuerũt libera, nunc debent eſſe, & erunt poſteris, uel nobis inuitis, modo non ſint leuia, temeraria, & iniqua. Quod ſi eorum quiſpiam me in ius uocare ob hanc cauſam & apud doctos accuſare uoluerit, rationibus pugnet, argumentis agat, teſtimonijs deniq; autorum, ſi poteſt, conuincat: abſtineat ſe modo maledictis & conuicijs, ne noſtra arrogantia uel pertinacia, ne quid aliud dicam, periclitetur ueritas: quæ ſanè ut accurate diſputando exquiri, ita nimium altercando plerunq; amitti ſolet. Id quidem quod æquum eſt poſtulo: quo neglecto ſi quis omnino uoluerit ſtomachari & petulanter nobis maledicere, ipſum ſuo magis obfuiſſe nomini quàm meo, optimus quiſq;, certo ſcio, iudicabit. Nec à me hęc ſcribuntur, quod uehementer id ipſum uerear in tantis & tam præclaris ingenijs. Nam Budæus quidem, ut magni & generoſi eſt animi, ita puto meliorem eſſe uirum quàm ut perſpicuæ ueritati ullo modo refragari uelit. Alciatus uero, quantum ex ſcriptis eius intelligo, uir eſt & ipſe egregie doctus: quantum audio ex amicis, ingenio ualde candido. Portius autem quo magis eſt acer & diligens inueſtigator rerum abſconditarum, hoc enim nomine in primis à Baptiſta Egnatio uiro docto commendatur, eò minus grauiter feret me, quaſi ſocium quendam laboris, in idem incubuiſſe ſtudium. In quo etſi mihi liberius neceſsitate quadam eſt diſputandum, ſic tamen me gerere conabor, ut neminem eorum ſua debita laude priuare uoluiſſe uidear. Vt enim ueritati conſulere cupio maxime, ita clariſsimorum hominum autoritatem imminuere, neq; uolo neq; æquum eſſe cenſeo. Quod ſi alicubi labores ipſorum, quibus nomen ſuum commendarunt immortalitati, uidebor iniuſtè æſtimaſſe, extant omniũ ſcripta, in quibus diligens & prudens lector facile obſeruabit, quid illi, quid ue ego præſtiterim. Sed ad rem. Hunc docendi ordinem, quo omnis hæc tractatio, ratione & uia procedẽs, fiat expreſsior illuſtriorq;, in uniuerſum ſeruare inſtitui. Primum meam ſententiam breuiter ponam, deinde eam autoritate, quæ penè ſola hic magnam uim habet, enitar confirmare, tum à me diſſidentium opiniones diligenter expendam: ne res non ſatis diſcuſſa, ſed adhuc plena diſſenſionis lectorem non acrem dubium reddat, in cuius ſententiã debeat diſcedere. Quamuis qui mediocri ſit iudicio, is ea parte nondum perlecta, nõ difficulter ſtatuet, quam unam è tot ſententijs & tam diſcrepãtibus potiſsimum probet. Nec enim plus una poterit, quod una tantum non modo ſit uera, ſed etiam eſſe poſsit. Principio autem de menſuris dicam. Appellantur uero menſuræ quibus metimur tum liquores, quod genus ſunt oleum, uinum, acetum, aqua, mel: tum res aridas, cuiuſmodi ſunt omnia frumenta, legumina, fructus, ac plæræq; aliæ. Sed quia menſurarum aliæ ſunt Romanæ, aliæ Græcæ:

nam reliquas consulto nunc omitto: nec hæ inter se congruunt, initio Romanas tradere decreui, quod ijs intellectis quomodo pleriscp earū Græci, Romano Imperio iam florente, sint usi perspicuum fiet, Tamet si nō ignoro Romanos quocp Græcis usos fuisse. Romanæ præterea, ut & Græcæ, inter se differunt, quod alijs materiam tantum humidam, alijs siccam metiamur, nōnullis uero utrancp. Primū igitur liquorum mensuras aperiam. Culeus amphoras uiginti capit. Amphora urnas duas. Vrna congios quatuor. Congius sextarios sex. Sextarius heminas duas. Hemina quartarios duos. Quartarius acetabula duo. Acetabulum sesquicyathum. Cyathus ligulas siue cochlearia quatuor. Libra quocp cum mensura est, non secus ac si pondus esset, capit unc. duodecim. uncia autem duas semuncias. sextarius uero Romanus comprehendit libram & bessem, id est, unc. uiginti: μετρικὰς intelligo, quas, uerbum è uerbo exprimentes, mensurales dicemus, ut σαθμικὰς ponderales. Atcp libræ quidem & unciæ mensurales cuicp mensuræ fixæ semper & immobiles manent, cum ponderales pro rerum, quas metimur, uarietate sæpius mutentur. Hinc autem non difficulter & intelligere & colligere possumus numerum librarum uel unciarum, quarum unaquæcp mēsura est capax. Vt igitur à sextario quasi initio quodam & fundamento incipientes, per maiores ipso mensuras ad culei usque perueniamus capacitatem: quia is, ut iam dixi, unc. uiginti, congius capit lib. decem. Vrna quadraginta. Amphora octoginta. Culeus mille & sexcētas. Rursus, ut sextariū distribuamus in plures partes, & minorum mensurarum capacitatem explicemus, quia ipse unc. uiginti, Hemina recipit decem. Quartarius quincp. Acetabulum duas cum dimidia. Cyathus sescunciā drach. & scripulum. Liceat mihi sic abuti ponderibus, quo res possit explicari. Ligula postremo drac. tres, scripulū unum. Hæc de Romanorum mensuris, quibus liquores metiebantur mea est sententia, quam nisi scriptorum defendero testimonijs, nemini me persuasurum scio. Nec immerito, quod tota ferè confirmandi ratio hoc in loco in autoritate consistat: quæ autem autores illi scribunt aut perspicua sint necesse est, aut, si fuerint obscura, illustrentur. Atque hic statim nostra legentem etiam atque etiam rogo, ne molestè ferat se nonnulla ab alijs prius scripta, iterum legere, quæ si omisissem, ut non feci ssem inuitus, qui dilucide docerem nō uidebam. Nunc antequam ad culeum mensurarū maximā reuertar, illud unum dicam, me perspicuitatis causa distinxisse & diuisisse mensuras in maiores & minores: ut maiores sint supra sextarium, minores infra. His igitur frequentissime medici utuntur, illis rarissime, omnibus tamē diuersi generis scriptores usos iam declarabimus. Quod Culeus uiginti amphoras contineat ostendunt hęc Plinij uerba, quę sunt in quarto libri decimi quarti capite. Quando & postea sæpenumero, septenos culeos singula iu-

Culeus.

gera

gera, hoc est amphoras centenas quadragenas musti dedere. Sic Plinius. Si septem culei centenas quadragenas amphoras, ut ipse declarat, efficiunt, perspicuum est ad calculos reuocanti, culeum amphoras capere uiginti. Idem Rhemnius Fānius in libello de ponderibus & mensuris dicit apertius: quo teste, qui ante me scripserunt, quia in hac mensurarum capacitate exponenda, sæpe sunt usi, eum ne mihi quidem negligendum puto. Sunt uero hæc eius carmina.

Est &, bis decies quem conficit amphora nostris
Culeus, hoc nulla est maior mensura liquoris.

Culeus autem uerbum est expressum ex Græco, quod est κοῦλεὸς, sic enim Ionica loquendi consuetudine κωλεὸς dicitur: quod præter cętera apud ipsos Græcos uasis genus significat, & fortasse mensuram, cuius rei nos certiores facerent rei rusticæ scriptores, si modo ulli qui hoc uerbo uterentur extarent. Vnde Romani eos imitati tam utres olearios & uinarios, quàm mensuram culeum dixerūt. Est autem liquoris mensura, ut asserit Fannius, & ex Plinij uerbis intelligitur, atq; Catonis quæ sunt in libro de re rustica capite tertio & uigesimo. Si in dolium resinam indes, in culeum musti p. III. bene comminuito: inde in fiscellam indito, & facito uti in dolio musti pendeat. Hęc de culeo. Sequitur amphora, quæ duas urnas comprehendit, quod Columella capite uigesimo lib. duodecimi explanat. Ego tamen si humida fuerit uindemia trientem, si sicca quadrantem medicaminis in binas amphoras miscere solitus sum, ita ut quatuor urnarum esset musti modus: urna aūt quatuor & uiginti sextariorū. Fannius quoq; de amphora loquens ait. Huius dimidium fert urna. *Amphora.*

Sed id ipsum apertissime & planissime explicat Volusius Metianus: cuius uerba sunt. Nam quadrantal, quod nūc plerique amphoram uocant, habet urnas duas. Quod uero idem mensuræ genus quadrantal & amphora nominetur, Festus Pompeius etiā declarat. Quadrantal, inquit, uocabant antiqui, quam ex Greco amphoram dicunt: quod uas pedis quadrati octo & quadraginta capit sextarios. Hęc Festus. Si igit amphora octo & quadraginta capit sextarios, ut ille recte scribit, urna uero quatuor & uiginti, ut tradit Columella, quis non intelligit amphoram duas urnas continere? Quin etiam idem ex eiusdem Columellæ uerbis, quæ sunt in libri tertij capite tertio, cum uerbis Varronis libri primi capitis II. collatis percipitur. Varronis uerba sunt. Non ne item in agro Fauentino, à quo tricenariæ appellantur uites, quòd iugerum tricenas amphoras reddat? Columellæ uero de eadem re hæc. Atque ut omittam ueterem illam felicitatem aruorum, quibus & ante M. Cato, & mox Terent. Varro prodidit singula iugera sexcenas urnas uini præbuisse: id enim maxime asseuerat in primo libro rerum rusticarum Varro. Cum enim de eadem re loquantur, nemo non uidet

amphoram duarum urnarum capacem esse. Alterum autem uocabulum à Græco fonte est deductum. à Græcis enim ἀμφορεὺς dicitur uas quod utrinque ansas habet, quibus capi & portari possit: mensuram etiam eodem nomine appellant, licet à Romana, ut dicam suo loco, diuersam: nam Latini unà cum terminationis mutatione & genus & mensuram mutarunt. Alterũ Latinum est dictũ à figura quadrata quadrantal: est enim pedis quadrati, ut Festus ait, & hæc Fannij carmina pulchre explicant.

Pes longo spacio latoq; notetur in anglo
Angulus ut par sit, quem claudit linea triplex
Quatuor ex quadris, medium cingatur inane
Amphora fit cubus.

Iam utroq; nomine non solũ eadem significatur mensura, sed etiam utrumq; ad liquores refertur: ut enim amphoram aquæ, ita quadrantal aquæ uel alterius liquoris possumus dicere. Amphoram uero liquorum mensuram esse cognoscitur ex Columellæ loco paulo ante citato: quadrantal autẽ, ex Catone: qui sic scribit capite quarto & uigesimo. Vuas apicias percoctas bene legito: ubi delegeris in eius musti culeũ aquæ marinæ quadrantalia bina, uel salis puri modium: hunc in fiscellam suspẽdito, sinitoq; cum musto distabescat. Imo etiã ex Plauti Curgulione ubi de anu bibula loquuntur Phædromus atq; Palinurus,

Sitit hæc anus. Quantum sitit? Modica est, capit quadrantal.

Vrna. De amphora satis multa, cui proxima est urna: quam quatuor congios comprehendere diximus. Scribit enim Volusius amphoram duas urnas, congios uero octo continere: unde certum est urnam, quæ est dimidium amphoræ, congios quatuor capere. Id autem congruit cum his Columellæ uerbis quæ paulo ante quoq; retulimus. Vrna autem quatuor & uiginti sextariorum. Nam cum congius sextarios capiat sex, ut mox explicabo, urnam, quæ est quatuor & uiginti sextariorum, necesse est quatuor congiorum capacem esse. Verum urna, quæ & uas aquarium significat, Varroni dicta est, quod urinat in aqua haurienda ut urinator. Mensurã uero liquoris esse Columella in loco iam dicto, & Cato in capite tertio & uigesimo ostendunt. Ait enim. Marmor si indes in culeum, libra indito in urnam, & misceto cum musto. Horatius etiam in primo sermonum.

Vt tibi si sit opus liquidi non amplius urna
Vel cyatho, & dicas magno de flumine mallem.

Congius. Sed discedamus ab urna. Congius sextarios capit sex, quod indicat Volusius cum scribit. Quadrantal habet congios octo, sextarios octo & quadraginta: nam octies sex, efficiunt octo & quadraginta. Hinc sextario nomen impositum, ut Fannius his uersibus declarat.

A quo sextari nomen feciſſe priores

Crediderim

Crediderim, quod eos capiat sex congius unus.

Sed Catonis uerba ostendunt quoq; congium sex esse sextariorum. ea sunt in capite septimo & quinquagesimo, ubi statuit, quantum uini sit familię bibendū. Mense quinto, sexto, septimo, octauo in dies sextarium unum. Deinde id ipsum declarans addit. in mense congios quinque. Cum enim menses ferè triginta dies habeant, & singulis diebus bibatur sextarius, fiunt triginta sextarij, qui quinq; efficiunt congios. Hunc locum docte explicauit Budæus uir acutus & diligens, ut hic de Portio taceam. Ex eisdem autem uerbis quisq; intelligere potest congium rei liquidæ mensuram esse. tum etiam ex his Liuij quę sunt libro quinto & uigesimo ab urbe cōdita. Et congij olei in uicos singulos dati. Hactenus de congio dixi, nūc de sextario similiter testibus planum faciā quod duas cōtineat heminas. Atq; id declarat Festus Pompeius sic scribens. Hemina ex Græco ἥμισυ, quod est dimidia pars sextarij. Nec minus Gellius in libro tertio capite quartodecimo. Si ex sextario hemina fusa est, non dimidiatum sextarium fusum dicendum est. Prę terea hæc Fannij carmina. Sextarius.

At cotylas, quas si placeat dixisse licebit
Heminas, recipit geminas sextarius unus.

Quod autem liquoris sit mensura, si nō esset maxime perspicuum, ex Horatio fieret. qui in primo sermonum inquit.

Panis ematur, olus, uini sextarius.

Ac Cicerone qui ait libro secundo de officijs. Si emere sextarium aquæ mina cogeretur. Vnde uero dictus sit, ante declaratum est. quam ob rem iam ueniamus ad Heminā. ea capit duos quartarios, quod asse rit Volusius Metianus. quem, ne quis tanquam testem minus grauem contemnat, sciat nobilem fuisse iurisconsultum. quo, ut Iulius Capitolinus scriptū reliquit, duo Antonini Pius & Philosophus sunt usi, alter cū de aliqua re iure sanciret. Philosophus autē ut iura disceret. Volusii uerba de mensuris hic integra ascribam. Nam quadrantal, quod nunc plerić amphoram uocant, habet urnas duas, modios tres, semodios sex, congios octo, sextarios octo & quadraginta, heminas sex & nonaginta, quartarios centum nonaginta duos, cyathos quingentos septuaginta sex. Ex his quilibet intelligit heminam duos in se continere quartarios. Sed Hemina unde sit nominata Festi uerba, quæ supra retuli, declararunt. quod uero mensura liquoris sit ex uarijs scriptoribus cognoscitur, quorum libri nobis passim exempla suppeditant. nunc illud Plautinum sufficiat in milite. Neq; equidem heminas octo exprompsi in urceū. Hemina.

Progrediamur recto ordine ad quartariū, qui duo continet acetabula, ut ex Plinio potest percipi, qui capite ultimo libri primi & uigesimi sic ait. Cum acetabuli mensura dicitur significat heminæ quartam partem. Igitur quartarius quem dimidiam partem Quartarius

esse heminæ uerbis Volusii probauimus, necessario duo capit acetabula. Sed Plinius & Fannius acetabulum quod Atticis fuit in usu explicarunt. Romanis eadē ratione suæ extitisse capacitatis alij scriptores ita usurpantes declarāt. Quartarij autem capacitatem inter Latinos, præter Volusium, qui explicarit hactenus inueni neminē. E Græcis cum eo cōsentit Dioscorides, cuius nonnulla extant in libello de mensuris & ponderibus, qui Galeno ascribitur. Is enim inter cæteras mensuras sic semper in liquidis meminit quartarij ut dimidia pars sit heminę, uel quod idem prorsus est duo capiat acetabula. Hunc quartarium, quia Fannius, ignorarunt Budæus, Alciatus, Portius * quod nemo putet acerbius & asperius dictum * nullus enim unquam fuit, quantumuis rerum diligens inuestigator, quem non aliqua latuissent. Verum quartarius est appellatus, quod quarta sit pars sextarij. Liquoris autē mensuram fuisse, indicant hæc Liuij uerba, quæ libro quinto ab urbe condita scribit. Manlius primum ob uirtutem laudatus, donatusq; non ab tribunis solum militum, sed consensu etiam militari, cui uniuersi selibras farris & quartarios uini ad ædes eius, quæ in arce erant, contulerunt * rem dictu paruam. cæterum inopia fecerat eam argumentum ingens charitatis, cum se quisq; uictu suo defraudans, detractum corpori atq; usibus necessarijs ad honorem unius uiri conferret. Et Columella quinto capite libri duodecimi. In uini uapidi ut acre fiat sextarios duo de quinquaginta, fermenti libram, fici aridæ pondo quadrantem, salis sextarium subterito, & subtrita cum quartario mellis aceto diluito * atq; ita in prædictam mensuram adijcito. Ac mihi uideor satis & quartarium esse mensuram, & qualis esset mēsura ostendisse, proxi-
Acetabulum. mum est ut doceam acetabulum continere sesquicyathum. id uero perspicuum fiet ex his Fannij uersibus, quibus de cyatho loquitur.

Bisquinq; hunc faciunt drachmæ si appendere tentes.
Oxybaphus fiet si quinq; addantur ad illas.

Verum acetabulum ex aceto nominatur ad imitationē Græcorum: apud quos ὀξύβαφον, quod & ὀξυβάφιον, uas primo dictum, in quod acetum infunditur, ut in id panem, cum ad carnes acorem addere placet, intingamus * deinde ad mensuram translatū. Liquoris autem mensuram esse, apparet ex eius acopi cōpositione, quod est apud Celsum & inscribit ἐλαιῶδες neruis utile. ait enim. Instillaturq; subinde quàm
Cyathus. optimi mellis acetabulum. Sequitur cyathus ἀπὸ τοῦ χύειν id est à fundendo Græcis dictus, literæ aspiratæ in tenuem mutatione. Hunc in Simpuli locum in conuiuijs succesisse dicit Varro de lingua Latina, cum in sacrificijs manserit altera appellatio. Inde translatus ad mensuram cyathus, quorum duodecim sextarium complent * quod ex iam dictis percipi potest, & nihilo minus ex his Scribonij Largi uerbis, quæ sunt Compositione CXXVII. Item rumicis radices tres, aquæ tribus he-

minis

minis incocte donec sextarius relinquatur inde cyathi quatuor per triduum dantur. Ex quibus etiam, si non ex nominis ipsius etymologia perspicuum esset, liquoris mensuram esse intelligimus. Restat ligula & cochlearium, quæ licet mensuram interdum significãt eandem, non tamen semper. Siquidem ligula aliquanto simplicior uidetur esse, cum in cochlearijs magna sit differentia, quam in sequentibus libris exponã. utroq; uero nomine Latinis quarta significatur pars cyathi· quod Columella declarat in libri duodecimi capite uigesimo primo sic scribens. Et ita coadijcitur in binas urnas ligula cumulata, uel mensura semunciæ bene plenæ salis cocti & triti. Ex quibus uerbis intelligitur ligulam quartam esse cyathi partem. nam cyathi quarta est ferè semuncia, demptis scilicet duobus scripulis. Quia uero dixerat ligula cumulata, necesse erat, cum mensura simili eam uellet apertius explanare, dicere mensura semunciæ bene plenæ. Si uero simpliciter ligula dixisset, mensura semunciæ non plenæ fuisset dicendum meo arbitratu. deest enim id, quod supra dixi, quo minus quarta cyathi pars sit integra semuncia. Capit namq; quarta apud Romanos drachm. tres & scripulum unum· ut liceat etiam nunc mihi semunciam mensuram sicuti pondus in eiusmodi minora pondera, non aliter ac si mensuræ essent, diuidere, ut eò melius res difficilis queat intelligi. Verum quod eadẽ quarta cyathi pars etiã cochlear dicatur, planius dicit idem Columella paulo post. Præterea fœnum grecum maceratur in uino uetere per triduũ· deinde eximitur & in furno siccatur uel in sole· idq; cum est aridum factum molitur· & ex eo molito post salituram musti cochlear cumulatũ uel simile genus poculi eius, quod est quarta pars cyathi adijcitur in binas urnas. Hæc ille. Mensuræ uero siue poculi genus, ut ipse loquitur, μυσφον Græci appellant· quod non modo Columella idem quod cochlear esse in hoc loco declarat, sed etiam Græcos cõstat sic usos. Verum genus hoc cochlearij magnum nominandum censeo, ut à reliquis discernatur. Ligula autem dicta est à linguæ similitudine, in cauum intra dentes, palatum uersus, contractæ. Vnde Plinius pro mensura & linguæ uocabulo utitur· cuius uerba sunt in libro uigesimo capite tertio & uigesimo, loquitur uero de granis ferulæ in uino tritis. Sunt qui comitialibus morbis dandum putãt Luna quarta, sexta, septima, linguæ mensura. Sed ligulam sic usurpat Scribonius Largus Comp. CXLIIII. Dantur quantum lupinus ex mellis ligula & aquę cyathis quatuor, Et Comp. CCXXX. Huic medicamẽto si anatis sanguinis quasi duo ligulę adiunctæ fuerint, minus mordebit. Idẽ sic quoq; usus est cochlearío Comp. CCXXXVII. Cum opus est cochlearia tria rosæ cyatho permiscentur, cum uero dicit rosam, intelligit oleum rosaceũ. Sed de cochlearío hoc in loco plura non dicam. Hanc autem Romanarum mensurarum rationem, qua explicatur quoties maior proxime se minorem

Ligula Cochlearia.

capiat

capiat, Fannius uersibus aperuit: quem secutus est ea parte Budæus ac reliqui duo, præsertim cum uiderent è ueteribus & bonis autoribus neminem alicuius mensuræ capacitatem enarrantem uspiam ab eo differre: quamobrem & ego easdem recensui mensuras & eisdem fermè testimonijs ipsas cõfirmaui. De quartario tamen, ut de ligula nihil dicã, nulla in tota ipsorum tractatione fit mentio. Cuius capacitatem Volusius explicat. Liuius uerò & Columella eo utuntur. Præterea singulas ipse mensuras persecutus, eas liquoris esse uerbis scriptorum probaui: quod ut quis maxime contempserit equidem ad docendum censui accommodatum & utile. Esto, notum sit excellentis eruditionis uiris, sit mediocris, infimæ non erit. Ego uero omnibus hac mea lucubratione uolui prodesse. Nunc priusquã ad alterum modum explicãdi mensurarum capacitatem perueniam, maiores mensuras in minores, imò minimas etiam distribuam: atque hinc perspicuum erit quoties quæq; non proximam modo, sed unamquamq; se minorem capiat. Culeus in se cõtinet amphoras XX. urnas XL. congios CLX. sextarios DCCCCLX. Heminas MDCCCCXX. quartarios IIIIDCCCXL. acetabula VIIIDCLXXX. cyathos XIIDXX. ligulas XLVIILXXX. Amphora capit urnas II. congios VIII. sextarios XLVIII. heminas XCVI. quartarios CXCII. acetabula CCCLXXXIIII. cyathos DLXXVI. ligulas MMCCCIIII. Urna capit congios IIII. sextarios XXIIII. heminas XLVIII. quartarios XCVI. acetabula CXCII. cyathos CCLXXXVIII. ligulas MCLII. Congius capit sextarios VI. heminas XII. quartarios XXIIII. acetabula XLVIII. cyathos LXXII. ligulas CCLXXXVIII. Sextarius capit heminas II. quartarios IIII acetabula VIII. cyathos XII. ligulas XLVIII. Hemina capit quartarios II. acetabula IIII. cyathos VI. ligulas XXIIII. Quartarius capit acetabula II. cyathos III. ligulas XII. Acetabulum capit cyathum cum dimidio. ligulas VI. Cyathus capit ligulas IIII. Hæc unà cum his, quæ præponere soleo, de quacunq; re dicturus, pro tabulis esse possunt: ne cui mea in epitomen contrahendi, quod non sine optimorum autorum iactura factum uidemus, locus relinquatur. Hactenus mensuras Romanas ratione & uia quadam collectas, & in ordinẽ adductas exhibuimus, præter libram, unciam & semunciam: quas mensuras esse nũc est probandum, ut rursus ad sextarium non imparati accedamus. Libram duplicem esse, uel hodie pharmacopolia, quocunq; in loco sint, ostendunt, ponderalem & mensuralem. Romanos etiam utraq; usos fuisse, Galenus, qui unus pro multis testibus esse potest, asserit libro primo de cõpositione medicamentorũ secundum genera. Cuius uerba latine tantum ascriberem nisi intelligerem quosdam Græca ipsa libentius legere, quibus in hac re morẽ gerere uolo. Scribit igitur sic. Καλεῖ γὰρ ὁ τῶν ξωμαίων ὁμωνύμως ὁ λιτρεὺς σαθμὸς τῶν ξηρῶν σωμάτων ὡς λιτραίῳ μίτρῳ τῶν ὑγρῶν. ὁ πάμπλου καθ' ὅλην τὴν πόλιν ἴσην ἐξ ὕλης κεραπίνης

Libra mensuralis. ponderalis.

τίνης γιγνόμενον. Id latine uerbũ è uerbo exprimentes ita reddere possumus. Appellatur enim à Romanis librale pondus solidorum corporum nomine simili libralis liquidorum mensuræ, quæ permulta in tota urbe est, ex cornea materia constans. Hæc ille. Quibus uerbis declarat libram, quam Græci una litera immutata λίτραν nominant, significare tam mensuram quàm pondus. Deinde non multo post scribit. μικρὸν ἔμπροσθεν ἐδήλωσα τὴν ὁμωνυμίαν ἐξηγησάμενος τῆς παρὰ ῥωμαίοις σταθμικῆς λίτρας τῇ μετρικῇ. Id est, Paulo ante ostendi, cum nominis similitudinem, quæ est apud Romanos libræ ponderali cum libra mensurali enarrarem. Idem Galenus his uerbis, quæ sunt in libro sexto eiusdem operis corripit medicos, qui misturas medicamẽtorum memoriæ prodiderunt, quod non explanarint utram libram uel unciam intelligant. Διὸ γράφειν ἐχρὴν ἐπιμελέστερον ἐν ταῖς φαρμακίτισι βίβλοις οὐ ἰατροὺς ὁπρίας τινὰς κελεύουσι βάλλεσθαι τὰς οὐγγίας ἢ τὰς λίτρας τῶν ὑγρῶν φαρμάκων, πρότερον τὰς μετρικὰς ἢ τὰς σταθμικάς. Hoc est. Id circo medicos in libris de medicamentis accuratius oportebat scribere, quales nam uncias uel libras medicinarum liquidarum pręciperent inijci, mensurales ne an ponderales. Ex quibus locis, luculẽter scriptis, percipimus duplicem libram Romanis fuisse, mensuralem scilicet & ponderalem. Si igitur mensuralem indicamus, Gręce adijci debet μέτρω, Latine mensura: si ponderalem, Græce σταθμῷ, Latine pondo. Atq; ita Galenum apud Græcos alterã ab altera distinxisse ex sequentibus fiet perspicuum. Romanis uero etiam sic in usu fuisse hinc conijcio, quod scriptores interdum ad libram adijciant pondo. ut Plautus Pseudolo

Eo laserpicij libram pondo diluunt.

Et Rudente.

Neq; piscium libram unam iam hodie pondo cepi.

Interdum autem pondo ad libram non adiungant. ut Martialis lib. XIIII. Epig.

Grandia ne uiola paruo chrysendeta mulso.

Vt minimum libras debet habere duas.

Itaq; si cum libra coniungunt pondo, semper ponderalem significant: non aliter ac cum uerbum pondo per se ponunt. si non coniungunt, mensuralem. quanquam hoc omnino uerum non est. reperitur enim libra, cum pondus significat, sine alterius uerbi appositione sæpius à Latinis posita. Deinde pondo nullius differentiæ causa ad genera nummûm Romani addere cœperunt. ut cum dicunt pondo denarij, pondo uictoriati, hoc est pondere. id enim solum tunc declarat: nõ secus ac Græcis ὁλκὴ cum ad drachmam adiungitur. quo modo scribit Dioscorides ὁλκῆς δραχμῶν ζ. id est pondere drachmarũ septem. Atq; adeò eundem errorem hodie æque ac olim pharmacopolis affert

incuria

incuria, ne dicam inscitia, medicorum, qui nõ explicant libram de qua sentiant: cũ certe discrimẽ sit inter olei, uel uini, uel mellis librã. De quo errore, ac aliis nonnullis, in quorum mentionem casu incido, aliàs copiosius differere decreui: nunc cõfirmare uolui libram tam mensuram quàm pondus esse. Sed quod mensuralis, similiter atq; ponderalis in duodecim uncias diuidatur Galenus apertius explanat ibidem libro tertio, quàm ut in dubium uocari possit, ait uero. Ἔστι δὲ παρ' αὐτοῖς μέτρον, ᾧ τὸ ἔλαιον μετροῦσιν, ἐντετμημένον γράμμασι διαιροῦσας τὸ σύμπαν εἰς μέρη δώδεκα. καλεῖται τὸ ὅλον μέτρον ὑπ' αὐτῶν λίτρα. τὸ δωδέκατον δὲ αὐτῆς οὐγγία. Hoc est. Est autem apud ipsos: de Romanis loquitur: mensura, qua oleum metiuntur, intersecta lineis diuidẽtibus totam in duodecim partes. atq; mensura integra uocatur ab ipsis libra: duodecima uero pars eius uncia. Ex quibus maxime perspicuum est, libram mensuralem duodecim esse unciarum mensuralium. Quam ob rem in magno errore uersantur hodie medicamentarij qui nostrate libra, quæ ex sedecim uncijs constat, utuntur: maxime cum medicamenta tam Arabum quàm Græcorum conficiunt: cum ponderibus enim reliquarum medicinarum, quas in se recipiunt compositiones siue mixturæ, hæc mensura libræ non conuenit. Iam etsi satis probatum sit è Galeno libras & uncias mensuras fuisse, pauca tamen exempla supponere, non inutile arbitror futurum. Quanquam autem Galenus & medici eum secuti crebro sic usi sunt libra & uncia, unum tamen aut alterum locũ ex ipso quoq; testimonij gratia ascribã. In libro primo eiusdem operis scribit ex his constare album emplastrum. Λιθαργύρου μὲν καὶ ψιμυθίου λίτρας ἑκατέρου σταθμῷ. δυοῖν δὲ λιτροῖν ἐλαίου μέτρῳ. Id est. Ex argenti spumæ & cerussæ singulorum libra pondo, olei uero duabus libris mensura. De hac eadem libra meo iudicio loquitur Suetonius in Cæsare dictatore, Populo præter frumenti denos modios ac totidem olei libras, tricenos quoq; numos, quos pollicitus olim erat, uiritim diuisit. Etenim non temere legeris ueteres oleum, uinum, & reliquos liquores appensos uendidisse aut donasse, sed dimensos. utebantur autem libra uel mensura, quæ aliquot libras siue uncias capiebat mensurales: licet medici liquores nunc appendant, nunc metiantur. Ad unciam abeo, quam usurpat Galenus octauo libro de compositione medicamentorum secundum locos. Συντίθεται δὲ χειμῶνι μὲν εἰς δραχμὰς η. τοῦ νεροῦ, οὐγγίας α. μετρικῆς ῥωμαϊκῆς ἐμβαλλομένης τοῦ ναρδίνου μύρου. Id est. Componittur autem hyeme quidem ad octo ceræ drachmas iniecta nardini unguenti uncia una mensurali Romana. Semuncia uero præter Græcos sic usus est Columella, cuius uerba, quæ supra quoq; retuli, sunt: & ita coadijcitur in binas urnas ligula cumulata, uel mensura semunciæ bene plenę salis cocti & triti. Mẽsura semunciæ dixit, quippe mensuram semunciam significans, eo more loquendi quo

Vncia mensuralis ponderalis.

Semuncia mẽsuralis.

quo dicimus menſura ſextarij uel heminæ, quia menſuræ ſunt. & quo nemo diceret menſura denarij uel uictoriati, quia pondera. Contra in fine libri eiuſdem pondo ſemunciam dixit, pondus ſemunciam indicans his uerbis. Quod ſi etiã cum laſer non habueris, pro ſylphio mellis adijcies pondo ſemunciam. Sed reuertar ad libram. quod oleũ cornibus libralibus uendebant ex uerbis Galeni ſupra citatis quiſq; percipere potuit, nec minus ex hoc loco qui iam ſequitur, quem ex primo libro de compoſitione medicamentorum ſecundum genera aſcripſi. Εαύτις ὑπόθητ τῶν κοτύλην ἔχειν οὐγγίας θ ῥωμαικὰς τὰς καταγεγραμμένας ἐν τοῖς σωλήνοις κέρασι λιβραίοις. Hoc eſt. Si quis ſtatuat cotylen uncias nouẽ capere Romanas in cornibus libralibus, quæ in uſu ſunt, deſcriptas. Sic ille. Erant namq; lineæ quædã, ut alibi ſcribit, in orbem ijſdem cornibus extrinſecus inciſę quarum interualla erant unciarum capacia. Intrinſecus nanq; ut hodie in libris menſuralibus, quæ ex plũbo candido fiunt, & tuberculis quibuſdam ſignãtur, in cornibus non facile potuerunt notari. Verum eiuſmodi cornua non ſolum fuiſſe libræ unius, ſed duarum etiam librarum ex Horatij libri ſecundi ſermonum ſatyra ſecunda intelligimus ubi ait

Ac niſi mutatum parcit diffundere uinum, &
Cuius odorem olei nequeas perferre, licebit
Ille repotia, nataleis, alióſue dierum
Feſtos albatus celebret, cornu ipſe bilibri.
Caulibus inſtillat, ueteris non parcus aceti.

Bilibri enim dixit duarum librarum menſuralium capaci. Vbi Acron interpres inquit. Sunt enim in uenalibus cornua, quæ olei habẽt quantitatem, ſextarij menſura. Quod ſi uerum eſt, fuerunt cornua diuerſæ capacitatis in uſu. Librale, de quo Galenus ſcripſit. Bilibre, de quo Horatius. Sextarij menſura, id eſt unciarũ uiginti, de quo Acron. Vt autem Horatius cornu bilibre dixit, ita Plautus in milite bilibrem aqualem, duarum librarum capacem uidetur dixiſſe. Verſus ſunt:

Ibi erat bilibris aqualis, hic propter cados
Ea ſæpe decies complebatur die

Sed hæc differentia eſt inter menſurales & ponderales uncias & libras, quod ponderales nobis ante oculos ponant grauitatem corporum, menſurales molem. Id uero cum res ipſa indicat, tum Galenus di lucide explicat libro primo operis iam commemorati ſæpius. Αἱ μὲν γὰρ ϛαθμικαὶ, τὸ βαρὸς κρίνουσι τῶν σωμάτων. αἱ δὲ μεγικαὶ, τὸν ὄγκον. Id eſt. Ponderales quidem: de uncijs loquitur: corporum grauitatem examinant, menſurales uero molem. Idem iudiciũ eſt de libra. Vt igitur tandem ſummatim colligam, quæ multis iam dicta ſunt. Libra menſura eſt & diuiditur in duodecim uncias, quæ & ipſæ menſuræ ſunt. Vncia uero in duas ſemuncias, quæ hodie in pharmacopolijs certo ſigno

discretæ non sunt, & olim etiam magis coniectura quadam eas metiri solitos crediderim. Vnum illud si præterea dixero, finẽ nostro de his sermoni faciã. Libras & uncias esse mensuras autoritas docet, persuadet ratio, experientia cogit credere. Quare nunc his fundamentis iactis uenio ad sextarium de quo inter magnos homines, ut iã dixi, summa dissensio est. Nam alius ipsum duarum librarum esse censet, in qua opinione est Budæus. Alius unciarum quindecim, nouem detractis, quod sentit Alciatus. Alius deniq; uiginti unciarũ, ut Portius in hoc Hermolaum Barbarum secutus, sed ponderalium qui communis omnibus ipsis, bona hoc illorum uenia dixerim, error est, quia omnes cõmunem constituunt sextarium, ut paulo post perspicuum fiet. Nos diximus eum uiginti unciarũ esse mensuralium. Atq; id sanè eo diligentius erit explicandum quo magis in sextario ad totam mensurarum rationem cognoscendam situm est qui enim eius capacitatem recte intelligit, reliquarum mensurarum omnium statuere potest. ut contra, in ea qui errat, in cæteris non potest non errare. Galeno medicorũ omnium longe præstantissimo, dum Romæ exerceret medicinam sub Antoninis Cæsaribus Augustis, hæc res in primis curæ fuit, qui libro primo operis, cuius sæpe mentionem feci, cum quorundam medicorum qui Romæ egerunt emplastra recenset, dubitat num Romanorum sextarium an Atticorum indicent. Siquidem Romanus uncias uiginti mensurales: Atticus, qui medicis in usu esse cepit, decem & octo comprehendit. Verba ipsius, quibus eã de sextario Romano sententiã, quam affirmo, explicat, hæc sunt. ξέστου δὲ νομίζω μεμνῆσθαι τὴν ἥραν τοῦ ῥωμαϊκοῦ. παρὰ μὲν γὰρ τοῖς ἀθηναίοις οὔτε τὸ μέτρον ἦν, οὔτε τοὔνομα τοῦτο. νυνὶ δὲ ἀφ' οὗ ῥωμαῖοι κρατοῦσι, τὸ μὲν ὄνομα τοῦ ξέστου παρὰ πᾶσιν ἐστὶ τοῖς ἑλληνικῇ διαλέκτῳ χρωμένοις ἔθνεσιν. αὐτὸ δὲ τὸ μέτρον, οὐκ ἴσον τοῦ ῥωμαϊκοῦ. χρῶνται γὰρ ἄλλος ἄλλῳ ξεστιαίῳ μέτρῳ. παρὰ γοῦν τοῖς ῥωμαίοις, ὁ ξέστης ἔχει μίαν λίτραν καὶ ἡμίσειαν καὶ ἕκτον, ὡς εἶναι τὰς πάσας οὐγγίας κ. ἃς τὸ πολὺ τοῖς κέρασι μετροῦσιν, ἐντετμημένοις ἔξωθεν γραμμαῖς κυκλοτέρεσιν. ἔνιοι δὲ ψευδῶς ὑπειλήφασι τὸν ῥωμαϊκὸν ξέστην ὀκτωκαίδεκα μετρικὰς ἔχειν οὐγγίας. ἔοικεν οὖν καὶ ὁ ἥρας ὅταν κοτύλην γράφῃ, τὸ μὲν ἥμισυ τοῦ ξέστου σημαίνειν. ἤτοι δὲ τὰς, θ, δηλοῖ οὐγγίας ἐκ τοῦ λιτραίου κέρατος, ἢ τὰς δέκα. τοῦτο γὰρ ἄδηλον. quod est. Sextarij autem Romani Heram meminisse arbitror. Nam Atheniensibus neq; mensura neq; nomen hoc erat. nunc uero ex quo Romani rerum potiuntur, sextarij nomen omnibus, qui Græca lingua tuntur, existit: at ipsa mensura Romanæ æqualis non est. alius enim alia sextarij mensura utitur. Quippe apud Romanos sextarius librã unam & dimidiam atq; sextam ipsius partem capit, ut unciæ uniuersę sint uiginti quas plerunq; cornibus, quibus in orbem ductæ quædam lineæ sunt extrinsecus incisæ metiuntur. Sed quidam falso putarunt sextarium Romanum octodecim cõtinere uncias mensurales

SEXTARIVS.

ſurales · uidetur igitur & Heras, ſi quando cotylen ſcribit, dimidiam ſextarij partē indicare · nouem uero uncias cornu libralis ſignificet an decem obſcurum eſt. Hactenus Galenus. In eadem ſententia eſt Oribaſius Iuliani apoſtatæ medicus in libro ſecundo ad Euſtathium filium. Ιταλικὸν κεράμιον ἔχει ξέςας. μη. ξέςης λίτραν μίαν καὶ οὐγγίας. η. Id eſt. Amphora Italica capit ſextarios octo & quadraginta. Sextarius librā unam & uncias octo. Idem prorſus tradūt reliqui Galenū ſecuti · Quin etiam Arabes, qui ſua tranſtulerunt de Græcis, eadem planè ſtatuunt · quorum uerba ſi aſcriberem putaui me legētibus moleſtum fore: tum etiā iccirco cenſui omittenda, quod in alio opere pluribus aperui quid de ponderibus & menſuris ſenſerint ipſi, & in alio quantum iuniores Itali à recto deflexerint atq; aberrarint · in quibus multa quoq; ſunt de proportione ueterum menſurarum & ponderum ad ea quæ nunc medicis ſunt in uſu. Porrò idem intelligitur ex hac compoſitione Andromachi iunioris quæ eſt apud Galenum libro nono de cōpoſitione medicamentorū ſecundum locos. ῥοδίνου κοτύλης τέταρτον, τουτέςι κύαθον. ας', ὅ ἐςιν οὐγγίας βς'. Id eſt. Roſacei heminæ quartam, hoc eſt ſeſquicyathum, quod eſt uncias duas & dimidiam. De menſuralibus ſine dubio ſentit · uter uero tandē declararit, Andromachus ne cuius compoſitio refertur, an Galenus qui retulit, eſt incertum. Itaq; cum quarta heminæ capiat duas uncias cum dimidia, neceſſe eſt heminam eſſe decem unciarum · quæ quia dimidia pars eſt ſextarij, ſequitur neceſſario eum eſſe unciarū uiginti. Sed quid opus eſt iſtis & ſimilibus cum uerba Galeni ſupra ſcripta ſint maxime dilucida? Quocirca à Græcis ad latinos tranſeundum eſt. Hermolaus Barbarus uir ſummæ eruditionis in caſtigationibus Plinianis ſcribit ex ſententia Feſti Pompei ſextariū uncias uiginti continere · ſed uerba quibus id dicat neq; ipſe neq; Portius eum imitatus recitat. Si tamen ita ſcripſit Feſtus, dubio procul uncias intellexit menſurales, quod neuter illorum explicat. Verum dubito nonnihil integrum ne Feſtum Barbarus habuerit, in quo hæc legantur, an ex uerbis collegerit, quibus declarat quot ſextariorum ſit quadrantal. maxime cum ex Plinio numerum unciarum amphoræ eliceret. unde facile erat ſubductis calculis ſtatuere, quot unciarum eſſet ſextarius. Certe nobis Paulus, bonus ille uir, qui in epitomen eū redegit, non plura reliquit quàm ſupra retuli. Verba autem Plinij ſunt in capite quarto libri decimiquarti de uino, quod L. Opimio Conſule creuit, in ducentos ferè annos ſeruato: Quo fit ut ſi eius temporis æſtimatione in ſingulas amphoras centum nummi ſtatuantur · ex his tamen uſura multiplicata ſemiſsibus, quę ciuilis & modica eſt, in C. Cęſaris Germanici filij principatu, annis centū ſexaginta, ſingulis uncias uini conſtitiſſe nobili exemplo docuimus referentes uitam Pomponij Secundi uatis, cœnamq; quam principi illi dedit. Hæc Plinius. Iam ex Colu-

mellæ libro quarto perſpicuum eſt, ut apertiſsime explicat Barbarus uſuris ſemiſsium de centenis nummis ſenos in annum redire creditoribus. Ineamus ergo hãc rationem. Si ſemiſsium uſuræ annis centum & ſexaginta, nongentos ſexaginta nummos, quod nemo opinor negabit, conficiunt, & Plinius dicit, ut Hermolaus interpretatur, ſingulas uncias uini ſingulis nummis uſuræ nomine conſtitiſſe, neceſſe eſt quod amphora totidem uncias id eſt nongentas ſexaginta contineat. Quod ſi uerum eſt, ut eſt ſanè, capiet ſextarios uiginti. Quemadmodũ enim Barbarus ex hoc loco ſemiſsium uſuram colligit, ita colligi poteſt quot uncias non amphora modo, ſed etiam ſextarius comprehendat. Ex his igitur omnibus probatum ſatis arbitror ſextarium uiginti capere uncias et quidem menſurales. nam quot ponderales, niſi humorem, quem metiris, nominaueris, dicere minime potes. alius enim alio grauior eſt. uerbi cauſa uinum oleo eſt grauius, mel rurſum multo grauius uino, ut nihil dicam de reliquis liquoribus & rebus aridis. Si quis ergo ſextarium ex pondere cõſtituere uelit, tot erunt ſextarij explicandi, quot res ſunt quas metiri ſolemus. in commune uero nullus ſic conſtitui poteſt. de quo copioſius cum infra, tum libro tertio dicã. Reſtat nunc tertia huius ſermonis pars in qua primo decreui nõnulla pro uiribus explicare, quæ uel obſcura & inuoluta ſunt apud autores, uel ambigua dubiaq; uidentur. Deinde argumẽta eorum qui ſententias meæ aduerſantes & repugnantes probant, expendere & refellere conabor. quorum alterum eſt ualde plauſibile, alterum uehementer odioſum. utrunq; uero penè neceſſariũ in tanta obſcuritate rerum & opinionum uarietate. quod ni eſſet, in totũ ab his abſtinere maluiſſem, partim conſulens breuitati, partim meæ & à me diſsidentium exiſtimationi. meæ quidem, ne iudicer libidine reprehendendi laboraſſe. illorum ne, quæ neſciuerint, aſſeruiſſe dicantur. Sed quia ipſi ſua non nuda & deſerta, ſed teſtimonijs ſcriptorum ſuffulta & munita protulerunt, niſi ſenſu quo dicta ſint declarato, infringantur, periculum eſt ne plerique, ultro citroq; opinionibus iactati animo fluctuẽt, ac penitus incerti, quò tandem conſiſtant relinquantur. Quod ſi fieret, hanc quęſtionẽ meo labore, ſtudio, diligentia nihilo magis explicaſſe, quàm implicaſſe nũ iniuria cenſeri poſſem. Neceſsitate igitur quadam compellor cõtra doctiſsimos noſtræ ætatis homines diſputare. In quo tamen ſic mihi temperaturus ſum, ut bonis uiris potius ſtudio ueri tuendi, quàm libidine lædendi quenquã, nedum illos, eò acceſsiſſe uidear. Itaq; cum duplex ſit menſurarum cõſideratio. una qua culeus à minima capiendo initiũ conſtituitur, uel contra idem in minimam uſq; diſtribuitur. altera qua cuiuſq; menſuræ capacitas, quod ad libras & uncias attinet menſurales, explicatur. In priori cum Budæo, Portio, & Alciato, ut iam ante dixi, mihi conuenit, niſi quod illorum non ſint integra. deficiũt enim eos

hæ

hæ menſuræ, quartarius, libra, uncia, ſemuncia, ligula. In altera cum ne mine eorum mihi conuenit, ut ex dictis diligens lector potuit intellige re, et ex ſequẽtibus multo magis intelliget. Nunc rurſus ſingulas men ſuras breuiter percurram à culeo incipiens: ubi primum hoc dicen- Culeus 1
dum puto. Menſurarum nominibus ſæpe uel uas aliquod appellatur, ut maiorum ferè omnium nominibus: uel poculum, ut minorum. quæ uaſa uel pocula tametſi non raro iuſtam menſuram ſuperant capacita te, tamen quia proxime ad earum aliquam accedunt, aut à ſimilitudine formæ, quam cum ipſis habent, idem nomen obtinent' uerbi gratia. Vas quod urnas quadraginta capit & iuſtum culei continet modum, & recte ex eo etiam nomen hoc ducit. Sic Vitruuius dolia culearia di xit, & Cato labrũ culeare, quod unius eſſent culei. Quod uero una aut altera urna quadragenarium numerum excedit, culeus etiam, quia pro xime ad ipſius accedit menſuram, appellatur. Sic Cato de re ruſtica ca pite CXLVIII. culeos nominat qui capiunt urnas quadragenas & ſin gulas' eius uerba ſunt. Vinum in dolijs hoc modo uenire oportet' uini in culeos ſingulos quadragenæ & ſingulæ urnæ dabuntur, quod neq; aceat, neq; muceat. Budęus hoc declarans, Catonẽ non ad iuſtam men ſuram reſpexiſſe putat, ſed ad morem negociatorũ, qui acceſsionis no mine in ſingulos culeos ſingulas urnas ſtipulabantur' ut id uini, quod infundendo & effundẽdo periret, hoc modo rependeretur. atq; ſic cu lei uenderentur, ut debent, iuſti. Verum fuerunt & culei, ſiue, ut Var ro etiam Nonio teſte uocat, culea è corio utres in quibus uinum & o leum portabatur. quorum meminit Feſtus cum ſcribit. Culeola corti ces nucum uiridium, dicta à ſimilitudine culeorum, quibus uinum ſiue oleum continetur. Præterea Plinius libro ſeptimo capite uigeſimo. A. Iulius Valens meruit in prætorio diui Auguſti centurio' uehicula cum culeis onuſta donec exinanirentur ſuſtinere ſolitus. Hinc minæ illæ Plautinæ in Pſeudolo.

Si mihi non iam huc culeus oliui deportatur,
Te ipſam culeo ego cras faciam deportere in pergulam.

In eiuſmodi quoq; culeos è corio parricidæ uiui inſuti in proximũ mare uel amnem deijciebantur. Tum dolia ſeſquiculearia dicuntur à Columella libro duodecimo capite decimooctauo, quæ culeum cum dimidio capiunt, id eſt amphoras triginta. Eiuſmodi dolij medietatem prorſus continet dolium, cuius capacitatem ſignificat Plinius libro no no capite trigeſimo, de polypo magnitudinis inauditæ loquens his uerbis. Oſtendere Lucullo caput eius, dolij magnitudine, amphora rum quindecim capax. Satis multa de culeo' præſertim cum hæc om nia ferè doctiſsime, ut ſolet, explicarit Budæus, & de eius capacitate, quantum ego meminiſſe ualeo, nulla controuerſia ſit nec inter ueteres nec inter eos, qui nuper de menſuris ſcripſerũt. Siquidem Hermolaus

Authorum circa menſuras obſcura ambiguáq; Explicantur.

Barbarus qui ait, Culeus quadraginta urnas continet, idem planè di-
2 Amphora. cit: amphora enim duas urnas comprehendit. Iam ad amphoram, Sed quia cado, qui Fannio est idem quod Attica amphora, Plinius utitur, forte quispiam diceret me hunc non recte omisisse: cui ad hoc respondeo, cadum non fuisse Romanam mensuram, sed Atticam, quam Plinius usurpare solet cum uel è Græcis aliqua transfert, uel de Græcis loquitur uinis Romam aduectis: id quod in ipsorum mensuris explanare decreui libro sequenti. Verũ ut hodie plerisq; in locis mensuræ atq; pondera iusta, ueluti typi siue exẽplaria quædã asseruant in palatijs, ne uenditor, si capacioribus mẽsuris, aut grauioribus ponderibus utitur, ipse damnũ faciat: si minus capacibus, aut leuiorib. emptorẽ mercis aliqua parte fraudet: ita Romanã amphoram Ioui sacratam olim fuisse in monte Tarpeio, in quo Capitoliũ fuit, Fannij hi uersus aperte indicãt.

Amphora fit cubus, quam ne uiolare liceret
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.

Atq; hinc Iulium Capitolinum in Maximino patre Capitolinam amphoram puto nominare cum ait: Bibisse autem illum sæpe die uini Capitolinam amphoram constat, comedisse & quadraginta libras carnis, ut autem Cordus dicit etiam sexaginta. Itaq; Capitolinus his uerbis ostendit mensuram. nam iustæ capacitatis amphora, quemadmodum ex Fannij uersibus intelligi potest, in Capitolio asseruabatur, nõ miræ magnitudinis, ut è doctis quidam scripsit. Siquidem & Attica maior hac erat, & eadem multo maiores, ut & minores, in usu sine dubio fuerunt Romanis, quibus non ut mensuris, sed uasis utebantur. In hac uero mensura insigniter errarunt Angelus Politianus uir alioqui ualde doctus, & Demetrius Alabaldus: qui scribunt tres amphoras efficere sextariũ, quasi sextarius triplo capacior sit amphora, cum una amphora, quod ex Festi uerbis perspicuum est, octo & quadraginta sextarios contineat. Sed hunc errorem quia Budæus diligẽter & enodate explicat, mihi tempus in eo conterendum non esse censeo, sed ad
3 Vrna. urnam transeundũ: quam congios quatuor capere supra probaui. quo circa Nicolaus Perottus cornucopiæ scriptor magno uersatur in errore sic scribens. Vrnam uero quartarium dici manifestum est, quod quatuor sextarios capiat, Id enim omnino sine ullius autoritate scriptum est. nam neq; urna quatuor solum sextarios capit, sed quatuor & uiginti. neq; quartarius dicitur, cũ sint mensuræ nõ parũ diuersæ. Quinetiã quartarius ipse nõ quatuor sextarios cõtinet, sed est quarta pars sextarij, unde tres tantũ cyathos cõprehendit. Quod si quis de quartario cõgij, quẽ ex Catone cõstitui posse sentit Budæus, dictũ uelit: ne is quidẽ capit sextarios quatuor, sed unum & dimidiũ. Idem Perottus alio loco sui oblitus scribit. Vrna quadrantal continet: quadrantal uero octo & quadraginta sextarios. Hic inepte quadrãtal & urnã idem arbitratur,

cum

cum quadrantal duarum urnarum sit capax, ut Columella & alij declarant. Itaq; eius scripta, tantopere inter se dissidentia, satis arguunt ipsum hac parte nihil solidi scribere. Soleo autem errores indicare, quod iterum dicendum, non inuehēdi causa, sed mea stabiliendi, ne cuiuspiam autoritas sine ratione eis queat officere. Quoniam uero urna capit quatuor & uiginti sextarios, qui efficiunt heminas octo & quadraginta, Catonem capite decimotertio dixisse opinor urnam quinquagenariam, quæ duas heminas plus iusta caperet urna. Ab ea uas aliquod, quod ipsius mensuram continet, urnale dicere possumus: quemadmodum Plinius libro nono capite tricesimo polypi acetabula dixit urnalia his uerbis. Acetabulis siue calicibus urnalibus peluium modo. Acetabula autem siue calices ipse appellauit brachiorum sinus quas Græci κοτυληδόνας nominãt. Sequitur iam congius sex sextariorum capax, eadem uero mensura congiarium uocatur: à quo deinde munus quod à Cęsaribus, uel imperatoribus, amicis dabatur congiarium dici cepit: quod Fabius declarat his uerbis, quæ sunt in sexto de institutione oratoria. In metalepsim quoq; cadit eadem ratio dictorum: ut Fabius Maximus incusans Augusti congiariorum, quæ amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse dixit. nam congiarium commune liberalitatis atque mensuræ, à mensura ducta imminutio est rerum. Hæc Fabius. Vt enim donatiuum dicitur munus, quod militibus datur, ita cõgiarium quod amicis uel populo. Opinor autem inde dictum quod primo congij uini uel olei dabantur: deinde res aliæ dari ceptæ, eadem manente appellatione. Sic Suetonius utitur in Cęsare dictatore. Omnibus uero circa eum, atq; etiã parte magna senatus, gratuito aut leui fœnore obstrictis, ex reliquo quoq; ordinum genere, uel inuitatos uel sponte ad se commeantes uberrimo cõgiario prosequebatur. Idem in Augusto. Congiaria populo frequenter dedit, sed diuersæ ferè summæ: modo quadragenos, modo tricenos, nonnunquã ducenos quinquagenosq; nummos: ac ne minores quidem pueros præterijt, quamuis non nisi ab undecimo ætatis anno accipere cõsuessent. Budæus apud Plinium libro quartodecimo, eiusdem numeri capite, millia cadum congiarium dici putat unius congij. Ego arbitrarer ideo cados congiarios dictos, quod eos pro munere diuiserit: ut sua mensura cado maneret. Quamuis non ignorẽ cadum quoq; fuisse genus uasis, unde Columella scribit libro duodecimo capite octauo & uigesimo. Si in uetustatem seruare uoles, in cado duarum urnarum quàm optimi uini sextarium, aut fecis generosæ recentis sextarios tres addito. Sic ille. Arbitrarer, inquã, nisi exemplaria quædam Plinij excusa, & manu scriptũ peruetustum non haberent congiarium: ut uideatur ab aliquo ascriptum, qui significare uoluerit eiusmodi diuisionẽ fuisse congiariũ: atq; sic eam uocẽ in uerborum contextum irrepsisse. Fit autem à congio etiam congialis

Congius. A.

id eſt unius congij. Plautus in Aululatia.

Mulſi congialem plenam faciam tibi fideliam.

§. Sextarius At in ſextario, ut ſupra indicauimus, errarunt Angelus Politianus & Demetrius Alabaldus, qui aſſerunt eum tres amphoras capere. Perottus præterea qui putat eandem eſſe menſuram ſextarium & metretam, cum metreta amphoram, quæ continet octo & quadraginta ſextarios capacitate ſuperet. Romanus autem ſextarius nō modo Italicus reſpectu Græci dicitur à Palladio, ſed etiam urbicus reſpectu caſtrenſis, quod ab utroq; differat. Verba Palladij de Italico hęc ſunt, libro undecimo titulo decimoquarto. Tunc gypſi triti atque cribrati tres Italicos ſextarios mittis in uini amphoras decem. De urbico libro ſecūdo titulo undeuiceſimo. In uini ueteris ſextarijs urbicis decem, mittis grana myrti confracta ſextarios urbicos tres. Græci uero ſiue Attici ſextarij capacitatem libro ſequenti declarabo: nunc is quo milites in caſtris ſunt uſi, qui ob id dicit caſtrenſis, eſt explicandus. capit uero duos ſextarios urbicos, ſiue Italicos: qua de re audiamus diuum Hieronymum ſic ſcribentem in Ezechielem. Sextam enim partem menſuræ Hebraicæ, quæ appellatur hin, iubetur per ſingulos dies bibere. Porrò hin duos χόας Atticos facit, quos nos appellare poſſumus duos ſextarios Italicos: ita ut hin menſura ſit Iudaici ſextarij noſtriq; caſtrenſis, cuius ſexta pars facit tertiam partem ſextarij Italici. Ex quibus uerbis quis non intelligit ſextarium caſtrenſem duos Italicos ſiue urbicos capere? Sed hoc in loco abſcondita ſextarij diuiſio in cyathos, appellationes ſuas ſortita, præſertim apud poetas, aperienda eſt, ut Scribonij Largi locum, ubi inquit ſextarij bes, medici poſsint intelligere. Itaq; ſextarius, quod ante me Budæus nō indocte explicauit, quia duodecim cyathos in ſe continet, quemadmodum as & libra duodecim uncias, fit ut non aliter ac cum pōdera ſignificamus, ſextantem duas uncias dicimus, ita cum pocula duos cyathos. Martialis libro quinto epigrammatum.

Sextantes Calliſte duos infunde falerni.

Suetonius in Octauio Auguſto. Poſtea quoties largiſsime ſe inuitaret, ſenos ſextantes non exceſsit: id eſt duodecim cyathos qui efficiunt ſextarium: iccirco uero non dixiſſe ſextarium uidetur, quod pocula habuerit in uſu, quę ſextantem id eſt duos cyathos caperent. Sic quadrans tres cyathi. Martialis libro nono ad Calatiſſum.

Addere quid ceſſas puer immortale falernum?
Quadrantem duplica de ſeniore cado.
Nunc mihi dic, quis erit, cui te Calatiſſe deorum
Sex iubeo cyathos fundere? Cæſar erit.

Hinc perſpicuum ſatis eſt hæc de cyathis non de uncijs, ut Caldarinus & Beroaldus ſunt interpretati, debere accipi. Hoc modo Budæus putat dictum quadrantem à Cornelio Celſo de curatione quartanæ febris

bris. Si quarto die cum horrore febris reuertit̃ uomere, sicut ante præceptum est· deinde post febrem modicum cibi sumere, uini quadrantem. Triens quatuor cyathi. Propertius libro tertio.

Cum fuerit multis exacta trientibus hora.

Persius satyra tertia:

Sed tremor inter uina subit, calidumq́ trientem
Excutit è manibus. Martialis libro sexto.
Setinum dominæq́ niues, densiq́ trientes.

Quando ego uos medico non prohibente bibam?

Quincunx quinq́ cyathi. Martialis libro secundo ad librum suum.

Te conuiua leget misto quincunce, sed ante
Incipiat positus quàm tepuisse calix.

Semissem sic in usu esse non legi, sed loco eius heminam uel sex cyathos, ut apud eundem Martialem, cuius carmen paulo post subijciam.

Septunx septem cyathi. Martialis libro tertio in Zoilum.

Septunce multo deinde perditus stertit.

Bes octo cyathi. Martialis libro undecimo de Caio Proculo.

Quincunces, & sex cyathos, bessemq́ bibamus
Caius ut fiat Iulius & Proculus.

Ita Scribonius Largus Comp. CCXXVI. scripsit. Erui moliti sextarij bes· id est octo cyathi. Sic deniq́ Dodrans nouem cyathi. Dextans decẽ. Deunx undecim dici possunt. Martialis lib. duodecimo in Cinnã.

Poto ego sextantes· tu potas Cinna deunces.
Et quereris quod non Cinna bibamus idem.

Hactenus de sextario· consequitur hemina mensura Romana, uocabulum quoq́, licet à Græco sit deductũ. Quare Cato de re rustica cum nunc hemina scribat, nunc cotyla, non eandem mensuram uidetur indicare· sed cum heminam dicit, Romanam intelligere: cum cotylam, Græcam, & quidem Georgicam· de qua proximo libro sum dicturus. Catonis uerba de oleo sunt capite CXLVI. primæ cotylas duas. Nulla enim necessitas fuit cur non heminas diceret Romano loquendi more, cum aliàs sic loquatur, nisi diuersam mensuram significare uellet. Hemina. 6

Nunc ad quartarium uenio, quem quartam sextarij partem esse probaui· uerum ei sententiæ locus Plutarchi qui est in Camillo uidetur aduersari· de eadem enim re prorsus loquitur, de qua Liuius cuius uerba supra retuli ex quinto libro ab urbe condita· ait uero Plutarchus. Quartarius. 7

τοῦ δὲ μαλλίῳ τῆς νικῆς ἀριστεῖα πρὸς τιμὴν μεγάλην μᾶλλον ἢ χρείαν ψηφισάμενοι, συνεισήνεγκαν ὅσον ἡμέρας ἕκαστος ἐλάμβανεν εἰς τροφήν. σίτου μὲν ἡμίλιτρον φαρὸς, οὕτω γὰρ καλοῦσιν αὐτὸ. οἴνου δὲ κοτύλης ἑλληνικῆς τέταρτον. Id est. Manlio uictoriæ præmium magis magni honoris gratia quàm necessitatis decernentes contulerũt in ædes eius, quantumquisq́ uictus singulis diebus caperet· Cibi quidem selibram farris·

sic

ſic enim ipſum appellant·uini quartam partem Græcæ cotylæ. Hæc ille. Videtur autem nõ quartam ſextariĩ partem quartarium dicere, ſed heminæ, quæ eſt Græcis cotyla· atq; ſic idem eſſet quartarius quod acetabulum· quod tamen eſt contra Voluſiũ & Dioſcoridem, qui quartariĩ capacitatem declarant. Ego cenſeo Plutarchum mẽſuram Romanam Grẽca uoluiſſe explicare. cum autem nullam inueniret tam proxime accedere ad ſextarium quàm cotylen Græcã, quam & Georgicam dici arbitror, quartariũ cotyles dixit. Græcæ uero addidit ad differentiam Romanę, quam cotylen etiam uertere ſolent· ea autem aliquot uncijs minor eſt Georgica, ut in Græcis exponam. Porrò ξέſτης licet iam tum erat in uſu Græcis, non tamen niſi medicis, ut uel ea uox Plutarchum latuerit, uel ſi cognita fuerit, tanquam nõ ſatis pura, noluerit uti. Idem Plutarchus ſimili ratione cum Romani ſcriptores habent denarios, drachmas transfert, cum octo drachmæ Atticæ uix ſeptem denarios efficiant· quemadmodum hic tres cotylæ Georgicæ nondum duos ſextarios Romanos. Nam alios diligentius, alios negligentius hãc differentiam inter Romanas & Græcas tam menſuras quàm pondera conſideraſſe magis ex ſequentibus intelligi poterit. Si uero quiſpiam dixerit aliquam cotylen Græcam fuiſſe, quæ Romano ſextario capacitate reſponderit, equidem, illi ſua ſententia relicta, de re ignota nõ contendam. Sed quid tertiarius & quartarius ſignificet apud Catonẽ non nihil in dubio eſt. Is uero inquit capite XCV. Amurcæ in uas æneum indito cõgios duos· poſtea igne leui coquito· rudicula agitato crebro, uſque adeo dũ fiat tam craſſum quàm mel· poſtea ſumito bituminis tertiarium & ſulphuris quartarium· conterito in mortario utrunque. Plinius tertiam & quartam partem intelligit amurcæ duorum congiorum, in craſsitudinem mellis decoctæ. Verba eius ſunt libro ſeptimo decimo capite ultimo. Simili modo ne conuoluulus fiat, in uinea, amurcæ congios duos decoctos in craſsitudinem mellis· rurſuſq; cum bituminis tertia parte & ſulphuris quarta ſub diuo coquito, ne excandeſcat ſub tecto. Cum autem nõ explicet Plinius an amurcam ut eam craſsitudinem conſequatur, oporteat ad quartas, uel tertias, uel dimidias decoquere, nulla poteſt hinc menſura conſtitui, niſi decoctionis periculum quiſpiam fecerit. Budæus uero ait. Quartariũ apud Catonem ſic congĩ quartam partem ſignificare exiſtimo, ut tertiarium tertiam, & ſextarium ſextam. Itaq; niſi Plinij autoritas, qui quartã partem non congĩ, ſed amurcæ decoctæ interpretatur, obſtiterit Budæo, erit aliquis quartarius congĩ, perinde ac quartarium ſextariĩ ex Voluſio & aliis probauimus. Sed de his nimis multa. Acetabulum, ut ſupra dixi, ad imitationem Grẽcæ uocis quæ eſt ὀξύβαφον ab aceto deriuatum uidetur· quamuis Hermolaus Barbarus in caſtigationibus Plinianis ab accipiendo dictũ putat, unde quidam ſcribunt acceptabulũ. Sed idem

8 Acetabulum.

fallitur

fallitur in Corollarijs ſcribens, Quanquam & menſuræ genus ſignifi-
cat, quod & cochleare dicimus. Acetabulũ nanq; cyathũ unũ & dimi-
dium capit, qui ſex magna cochlearia, quas ligulas quoq; dicimus, effi
ciunt. In cyatho lapſus eſt Acron cum ſcribit ſuper hoc Horatij tertio Cyathus. 9
carminum, ode octaua. Sume Mecœnas cyathos amici Soſpitis cen-
tum. Ait enim. Cyathos menſuras dixit, quas pro ſexta parte ſextarij
dicebant. Cyathus enim non ſexta, ſed duodecima pars eſt ſextarij: ip-
ſe uero ſextarius ſexta eſt congij, quod fortaſsis eum decepit. Malo ta-
men credere hunc errorem, ut pleroſq; alios, alicuius librarij negligen
tiam creaſſe, qui notam heminæ nõ ſcripſerit integram. quare ſextarij
nota remanſit, quod facile fieri potuiſſe ex notis earũ menſurarũ, quas
tradam libro tertio, intelligitur. Landinus hoc loco, diuerſa recitando
hæſit. Mancinellus tacendo ſibi cauit. Sequitur ligula ſiue cochlearĩ- Ligula Cochlear. 10
quorum utrunq; multo frequentius pro inſtrumentis hauriẽdi, quàm
pro certis menſuris accipitur. Perottus uolens differentiam inter lin-
guam & cochlear explicare ſic ſcribit de ligula. Item inſtrumentum ad
ſimilitudinẽ cochlearis niſi q; cochlear concauitatem habet lingua pla
na eſt & oblonga in ſpeciem linguæ facta. Quod uerum non eſt. nam
lingua æque caua eſt ac cochlear, quod ſatis oſtendit Plinius cum ait,
Linguæ menſura. Si enim menſuræ genus eſt, qui poterit eſſe plana?
Imo potius hoc inſtrumentum quod ad linguę ſimilitudinem retractę
ad palatum, atq; ita cauæ, factum eſſet, lingua dictum fuit: quæ ſanè co
chlearis eſt forma. Tum eius diminutiui uſus non obſcure monſtrat
cauum fuiſſe inſtrumentum. Plinius libro uiceſimoprimo capite deci-
moquarto de cera loquens ait. Punica fit hoc modo. Ventilatur ſub di
uo ſæpius cera fulua: deinde feruet in aqua marina, ex alto petita, addi-
to nitro: inde ligulis eligunt florem, id eſt candidiſsima quæq;, trans-
funduntq; in uas, quod exiguum marinæ habeat frigidæ. Quo modo
flos ex uaſe in uas commode ligulis, niſi eſſent cauæ trãsfundi poſſet?
Sed Columella quoq; libro decimo capite decimoquinto de melle con
ficiendo ſcribit. Deinde ubi liquatum mel in ſubiectum alueum deflu-
xit, transfertur in uaſa fictilia, quæ paucis diebus aperta ſint, dum mu
ſteus fructus deferueſcat is ſæpius ligula purgandus eſt. Hæc ille. Qui
uero purgabitur, niſi inſtrumento cauo? Poſtremo Martialis libro o-
ctauo epigrammatum inſulſum Pauli iocum ridens, qui de prætoricia
corona folium mittẽs phialam appellauit: quo nam modo apte iocum
de phiala transferret ad ligulam & cochlearium, niſi caua eſſent? Ver-
ſus eius ſunt.

Quid tibi cum phiala, ligulam cum mittere poſsis?
Mittere cum poſsis uel cochleare mihi?

Liquet igitur ex his omnibus ligulam non planum, ſed cauum fuiſ-
ſe inſtrumentũ. Verum cochleare Martiali dictum eſt à cochlea, quòd

ea

ea hoc inſtrumẽto ori ingeratur: ait enim in apophoretis hoc diſticho.
Sum cochleis habilis, ſed nec minus utilis ouis.

Nunquid ſcis potius cur cochleare uocer?

Quamuis appellatũ uideri poſsit à ſimilitudine teſtæ ipſius cochleæ, quam nonnihil habet in concauitate maxime ſi cochleam fractam ei compares. De differentibus cochlearijs libro tertio plura dicam. Reſtant nunc, libra, uncia & ſemuncia: quas nemo, qui noſtra legerit, poſt
14. Libra mẽ ſuralis. hac ambiget Romanis menſuras fuiſſe. Itaque ne uocis ſimilitudo nos decipiat diligenter aduertendum in primis ubi autores libram uel unciam liquoris alicuius dicunt, non adiecto pondo. Sed poſſet hic quiſpiam aduerſus me cõtendere, libram olei tantum fuiſſe menſurã. quod etiamſi dederimus, Galeni autoritate neglecta, qui ſcribit liquorũ fuiſſe, nihilo tamen minus capacitas menſurarum hinc percipitur: unius enim menſurę capacitate conſtituta, reliquarum ſecundum proportionem, quam inter ſe habent, neceſſario conſequitur. Iterum contendat: neq; Columellã cum ſcribit menſura ſemunciæ, neq; Palladium cum de ſcilla libro octauo titulo ſexto, unius libræ menſura, ſic intelligendos ut mihi placet, ſed potius menſuram eiuſmodi quæ libram, uel ſemunciam capiat cuiuſpiam rei appenſæ ab ipſis dici: cui reſpondeo, eam interpretationẽ mihi uideri multum callidam, ſed parum ueram: tum enim dicendum fuiſſet pondere libræ & ſemunciæ: quod magis proprium & minus ambiguum fuiſſet. Deinde ut Palladij locum non magnopere defenſum cõcedam nihil probare, ſed pro modo quodam ſiue ratione ibidem accipi menſuram: quia ſcillam niſi contuſam commode metiri nõ poſſumus, Columella addit, bene plenæ: quod neſcio an unquam de pondere dici poſsit. Dicimus enim modium cumulatum uel plenum, uel plus modio: contra nõ plenum aut minus modio: nullus uero diceret, opinor, denarium cumulatum uel plenum: quod pondus ſit tantum, non etiam menſura. Igitur ex his perſpicuum eſt ſemunciam etiam menſuram eſſe, non pondus ſolum. Sed ut demus nec hoc loco Columellę quicq; effici poſſe, Galeni certe uerba apertiſsima meæ ſententiæ de libra & uncia menſurali, ferũt præſidiũ firmiſsimũ: nec minus eam confirmant ratio & experiẽtia. Hæc quod earum menſurarum uſus in hodiernum uſq; diem pharmacopolis utcunq; manſit: illa quod intelligimus menſuralibus rerum molem, ponderalibus grauitatem examinari, quę non exiguam habent differentiam in confi ciendis medicamentis. Nunc tempus eſſe arbitror, ut ad controuerſiam, quæ mihi cum doctiſsimis uiris eſt, ueniã, atq; teſtimonia ſcriptorum quibus ſua probant, aut refellam, aut oſtendam dicta alio ſenſu ac ipſi acceperunt. Quod niſi fecero, timendũ ne pleriſq; dubium uideatur adhuc quæ nam ex iſtis ſententijs lancem in libra ſit depreſſura, quod quælibet ſuis autoritatibus appareat eſſe grauis. Verum Portij

ſimplici

ſimplici eſt errore inuoluta: quod ipſe unciarum numerũ ſextariũ Romani recte definiens, in hoc uno labitur, quod ponderales dicat. Budæi uero & Alciati, pace eorũ dixerim: duplici: & quia in unciis explicãdis alter debitũ numerũ exceſsit, alter minuit: & quia uterq; põderales aſſerit. Sed cõtra cõmunẽ lapſum primo differendum cenſeo. Itaq; libet mihi mox eos interrogare utrũ ſtatuant in cõmune ſextariũ tot eſſe unciarũ quot aſſerunt? an rei cuiuſpiã quã metimur? Si dixerint in cõmune, id quale ſit ne intelligi quidem poteſt. Nã ponderales unciæ pro rerũ quas metimur diſſimilitudine adeo uariant, ut uix duas res reperire poſsis, quæ prorſus idem pendant. Quod qui credere noluerit, capiat quã uelit menſurã, ac eã nunc hac re, nũc illa cõpleat, & inueniet diuerſum pondus. Sin rei cuiuſpiã quã metimur dixerint, rurſus interrogabimus eos num liquidæ alicuius, an aridæ? ſi reſponderint liquidę: iterũ cum multi ſint liquores percontandi erunt: num ſextarius olei tot pẽdat uncias? an uini? an aceti? an melis? an lactis? an aquæ? an denicq; alterius liquoris? Itaq; ſi tum liquorẽ quempiã nobis expreſſerint, quantũ ille cum ſextariũ ſit menſura pendat ſolum dixerũt, de reliquis nihil. Sed ſi malint rei aridę reſpõdere, ſimiliter ex ipſis quęremus an tritici? an farris? an ordei? an fabæ? an alterius? quodcunq; uero tandẽ reſponderint, pondus illius tantũ, cum menſura ſextariũ ſit ſe explicaſſe fateantur neceſſe eſt. Quo modo ſi ſextarium definiemus, nõne tot erunt ſextariũ ſtatuendi, quot omnino ſunt res diuerſæ, quas metimur? Verũ tot noluerunt efficere, ſed unũ ſextariũ certum conſtituere ipſis erat propoſitum: quod minime facere poſſunt, niſi nobiſcum intelligere menſurales uncias ceperint, quę cuicq; menſuræ perpetuo fixæ & firmæ permanent, quaſcunq; res metiamur. Hæc cõtra lapſum communem dicere uolui. Nunc uideamus quo modo quiſq; ſua probauerit: ubi primo cum Budæo uiro Græce latineq; doctiſsimo agam: qui ſextarium Romanum duas libras cenſet pendere. Suam uero opinionẽ firmare nititur autoritate ſimul & experimento. Autoritate quidem Heſychij ſic ſcribentis de cyatho. Δίχεται δὲ ὑγρᾶ τινὸς ὀγγίας δύο. Id eſt capit uero alicuius liquoris uncias duas. Hæc de Romano cyatho ſcripta eſſe Budæus corroborat his argumentis quod Anaſtaſii Imperatoris tempore, cum res Romanę iã Grẽcis hominibus planè innotuiſſent, Heſychius ſcripſerit, & quod uncias duas uocabulo dixerit Romano. In hunc fermè modum Budæus. Equidẽ probaui duplices uncias eſſe, ponderales & menſurales. Heſychius autem ponderales non intelligit: ſiquidem ſcribit alicuius liquoris. Iam conſtat liquores non unius eſſe ponderis: etenim uinum grauius eſt oleo, ſi parem menſurã appenderis, & mel uino multo grauius, ut libro tertio explanabo. Itaq; cum nõ adiiciat cuius liquoris uncias duas capiat cyathus, eũ ponderales intellexiſſe minime poſſumus dicere. Igitur neceſſario

intellexit mensurales: sed de his nullum uerbum fecit Budęus. Verum fingamus hominem summa laude dignũ, nunc ita uelle sentire, quamuis scire nõ possumus quid sentire uelit, nisi quod apud optimũ quęq; uirum ueram rationem uallituram credimus: ne tum quidem de Romano cyatho sunt hæc dicta. Cum enim Galenus qui Romæ medicinam exercuit, ac diligentissime quantum ex scriptis eius apparet mensuras obseruauit, plane & aperte dicat sextarium Romanum uiginti esse unciarum, ex quo sequitur cyathum continere sescunciam drachmam & scripulum, nonne ipsi credendum est? Hesychium uero dicendum de Romano non loqui? quod nec ipse asserit. Nam quod Budæus ait res Romanas Anastasii Imperatoris tempore, quo scripsit Hesychius, hominibus Græcis innotuisse: certe, quod ad mensuras attinet, etiam Galeni, qui ferme quadringentos annos ante Hesychiũ medicinam perfecit, notæ erãt: imò longe ante tempora Galeni. Romanis enim mensurarum & ponderum nominibus quibusdam paululũ corruptis Græci medici celeberrimi sunt usi. Andromachus uterq;, quorũ pater Neronis fuit medicus, & Theriacen illam nobilem descripsit, filius uero etiã Romæ paulo post insignis. Crito quoq; Cæsarius medicus: Asclepiades, præterea, Heras, Dioscorides ac alij non pauci. Siquidem sextarius ipsis ξέστης dicitur: libra λίτρα. Vncia ὄγγια. qua de re sic scribit Galenus primo libro de compositione medicamentorũ secundum genera. ἡμῖν θαυμάσειεν ἄντις, ὅπως ἂν ἔφαμεν διατρίβων, αὐτὶ λιτρῶν ὧν ὀνόμαζεν κοτύλας. ἐπιχώρια γὰρ ταῦτα ὀνόματα. τὸ, τε τῆς λίτρας, καὶ τὸ τοῦ ξέστου, καὶ τὸ τῆς οὐγγίας. Id est. Atqui mirari quispiam posset, quo modo Romæ agens: de Andromacho iuniore loquitur: pro libris cotylas nominauerit. Hæc enim Romanis peculiaria sunt nomina, libra, sextarius, uncia. Verum de quo cyatho apud Græcos Hesychij uerba possint intelligi, dicam sequenti libro, in quo Græcas mensuras tractare decreui. Budęus ergo hoc Hesychij testimonio, id quod ipse uult, minime probare potest. Deinde uerbis innititur Isidori: qui scribit libro decimosexto capite quinto & uicesimo: Hemina autẽ appendit libram unam: quæ geminata sextarium facit. Sextarius duarum librarum est, quibus assumptis nominatur bilibris. Hęc ille. Quàm uero confusa, & plerisq; in locis inepta sit Isidori de mensuris & ponderibus traditio, quisq; facile, qui eam legere modo non auersatur deprehendet. Quin Budæus ait etiam, non optimum ipsum autorem ne harum quidem rerum. Itaq; Isidorus libras & uncias mẽsurales prorsus ignorauit, ut ex eius scriptis obseruari potest. intelligit uero ponderales, quod innuit uerbo appendit: ait enim in heminæ explicatione. Hemina autẽ appendit libram unam. Quoniam uero non explicat cuius rei hemina libram appendat, eius expositio fit planè dubia & incerta. nam neq; liquores neq; res aridæ in pondere, ut iam dixi, cõueniunt. Igitur uerbis Isidori

nihil

nihil probat Budęus: sed ipse aquam appendit, sua coniectura ductus, etenim Isidorus ibidem nullius prorsus liquoris, nedum aquæ mentionem fecit. Si Isidorum de aquæ pondere locutū putat: id uel ipsius uerbis nobis confirmet, uel hanc explicādi mensuras consuetudinem Romanis in usu fuisse ostendat, ut quoties earum dicerent pondus, non aliud quàm aquæ intelligerent: quorum cum neutrum facere possit, quis non uidet illum hoc teste nihil probare? Sed si Budæus se communem sextarium cōstituere, & uelit negare & possit, ac dicat duas libras aquæ pondere, sextarij Romani mensurā complere, tantūmodo quantum sextarius aquæ pendat dixit: sed ne tantū quidem pendit, ut libro tertio dicturus sum, ubi quale nam sit experimentum Budęi considerare decreui. Hoc satis nunc sit, Budæum non posse nobis probare neq; Hesychij, neq; Isidori uerbis Romanum sextarium dupondium esse. Verum idem Budæus uidens suæ opinioni ualde repugnare duos locos Plinij, è quorum altero apparet sextarium esse unciarum quindecim, altero uiginti: prior est ubi Plinius Atticas mensuras & pondera explicat: alter ubi loquitur de uino Opimiano: quomodo eam tueatur & defendat nobis libet uidere. Postquam Barbari retulit interpretationem, inquit. Ex quibus uerbis & si ambigere magis quàm rationem colligere doceamur, tamen, ut dixi, quod à me stat, id cupide accipio & in rem meā uerto. Sic Budæus: Quid Hermolaus Barbarus senserit, tum ex supra dictis tum ex sequētibus intelligitur. Si uero Budęus quæ cōsentanea ueritati sunt, uertit in rem suam, multis bene facit, sin minus, non paucos secū fallit. Sed pergit. Hac enim autoritate probo sextarium uel dipondiū fuisse, id quod astruere conor, uel certe unciarum uiginti: cum apud Plinium legatur quindecim unciarum esse, id est libręq; & quadrantis: quod nullo alio testimonio subsistere potest. Sic ille. Sextarius Romanus neq; dupondius fuit, neq; si fuisset unquā hac autoritate potuisset probari: quod uero dicit, uel certe unciarū uiginti, omnino est uerum, etsi Budæus id nunquā cōcesserit his uerbis probari. Apud Plinium autem non legitur sextarium Romanum unciarum esse quindecim, sed sequitur ex eius uerbis Atticum pendere uncias quindecim, quod infra declarabo. Sequitur in Budæo. Verum illud non concedo ut uncia uini duodecima libræ pars sit: nec in sextario uncias uini uiginti esse dico, sed duodecim, & in amphora quingētas septuaginta sex. quas Hermolaus nongentas sexaginta esse putauit: id quod ante ex Martiale abunde probatum est. alioqui sextarius qui citra controuersiam in duodenos cyathos diuiditur, nō unciarum uicenūm, sed duodenūm tantum esset, si uncia uini apud Plinium ad pondus non ad mensuram referretur: quod nec Pliniano sextario nec Pompeiano congruit: quodq; Hermolaum non aduertisse mirum est: præsertim cum Plinij in manus accepisset: quota est enim uncia pars

libræ, tota eſt cyathus ſextarij, & uncia tam ad quotam partem, quàm ad pondus refertur apud autores. Tantum Budæus. Vnciam non modo pondus ſed etiam menſurã eſſe recte ſentit: in eo uero ſolo errat hic Hermolaus ac cum eo Portius. Sed quod Budæus ait unciam pro cyatho ſumi, hactenus non probauit: ut enim legimus ſextantem pro duobus cyathis, quadrantem pro tribus, & item alias libræ partes pro cyathis, ita non facile inueniemus unciam pro uno cyatho. Quod etiamſi Budæus teſtimonijs ſcriptorum probare poſſet: hoc tamen in loco ſic unciam accipi debere, quiſpiam non ſine cauſa fidenter negauerit. Neceſſe enim tum erit, quo ea ſententia nõ habeatur prorſus perinfirma, Plinij uerba uarie mutare, & uſuras uſurarum colligere, de quibus nihil hic dixit Plinius. Cum ſi unciam menſuralem noſtrã intelligamus uera hæc ſint de ſextario Romano, ſiue ut Budæus Pompeiano, & alteri Pliniano, qui Atticus eſt, ut ad ipſum nõ pertinẽtia, nihil repugnẽt. Reliqua Budæi plura ſunt q̃ ut in loco referri poſsint: minus neceſſaria, quàm ut debeant. Quamobrem proxime ad Alciatum iuriſconſultum noſtra ætate doctiſsimum ueniam, quod ſimiliter duplici in errore uerſetur. Is libro quarto diſpunctionũ capite uiceſimo primo olim idem ſenſit de mẽſuris quod Budæus: ſed nuper edito libello, atq̃ commentarijs in titulum de ſignificatione uerborum & rerum, priori ſententia mutata in hac eſt, ut ſextarium Romanum quindecim unciarum fuiſſe putet, ſoli confidens autoritati: quæ quidem hac parte ſufficeret, ſi modo autorum ſcripta uere eſſent intellecta. Primo Plinij qui ſcribit libro primo & uiceſimo capite ultimo. Cyathus pendet per ſe drachmas decẽ. Sic igitur infert Alciatus. Cum in ſextario conſtet duo denos eſſe cyathos, conſequens eſt ſextarium non XXIIII. uncias, ſed drachmas CXX. hoc eſt quindecim uncias pendere. Si de cyatho Romano hęc eſſent ſcripta à Plinio, ſequeretur omnino tot unciarum eſſe ſextarium: nunc cum de Attico, fit ut Cotyle Attica, quam heminam interpretatur, quæq̃ ſex capit cyathos, pendat uncias ſeptem & dimidiam. Satis mirari non queo Alciatum uirum ingenij acuti & excellentis eruditionis non aduertere Plinium in eo loco de Græcorum, haudquaquam Romanorum menſuris & ponderibus loqui, cum ipſe id apertis his uerbis dicat in principio capitis. At quoniã in menſuris quoque & ponderibus crebro Græcis nominibus utendum eſt, interpretationem eorum ſemel in hoc loco ponemus. Drachma Attica: ferè enim Attica obſeruatione medici utuntur: denarij argentei habet pondus. Quid, quæſo, clarius eſt quàm Plinium de Græcis loqui? cum dicat ſe Græcorum nominum, quibus uſurus ſit interpretationem poſiturum? & re uera nomina quæ eo capite explicat Græca ſunt, excepto heminæ uocabulo, quo cotylen exprimit: & acetabuli, quo oxybaphũ. Deinde medicos ait ferè uti obſeruatione Attica: quorum ſcripta quia

inter

interpretatione explicat & exponit, mensuras & pondera Græcorum sibi cẽsuit esse declarãda, quo lector ea, quod diuersa à Romanis essent intelligere posset. Non probabit ergo Alciatus hoc Plinij testimonio sextarium Romanum esse quindecim unciarum. Postea Fannij carmine, quod item est de cyatho, sua stabilire nititur. Bis quinq; hunc faciunt drachmæ, si appendere tentes. Ex quo efficitur idem quod ex Plinio. Nec de cyatho Romano, sed Attico dicta sunt. Fannius enim usq; adeo Romanas mensuras cum Græcis confundit, ut neutræ satis certe ex eo constitui possint, utq; dubites, tot diuersa colligendo offuderit ne magis tenebras mensuris, an lucem attulerit, quemadmodum alibi copiosius exposui. Nihil igitur Fannij loco probauerit nobis Alciatus. Budæus certe uir prudens aduertit Plinium diuersa tradere, atque hic loqui eum de medicis ponderibus ait, quæ à negociatorijs olim, ut nunc quoq;, differebant: præterea ex isto loco putat Fannij carmen emanasse. Sed iure mihi dicet utercp; uides ne Pliniũ sic loqui? Cyathus pendet per se drachmas decem. num & eũ interrogabis? cuius rei cyathus? aut quia id non expresit, ipsum quoq; insciliæ damnabis? Quibus respondeo: si Plinius dixisset liquorem, multum cõsuluisset apud posteros perspicuitati: uerum quia eius tempore nõ ignotum erat, maxime Græcis, ut libro tertio dicam, quis liquor significaretur, culpandus ille non est, sed nos sumus accusandi: qui quo sensu talia dicantur, aut ipsi nescimus, aut certe nõ explicamus. Sed diceret Alciatus, nonne scripsi leuissimi tritici sextarium pendere uncias quindecim? fateor, & illud ipsum uerum esse, quia Plinius modium tritici leuissimi asserit pendere libras uiginti, credo. At enim triticum mensura Attici sextarij, qui ex loco Plinij quo suam opinionem probat constituitur, tantum non pendit: neq; Plinius ibidem triticum intellexit, ut nec illi de quibus loquitur Græcorũ medici. Quid enim adeo pertinebat ad medicamenta tritici leuissimi pondus reliquis neglectis tam accurate constituere? aut quid potius istius quàm grauissimi? Quasi maior ratio uilissimi tritici quàm optimi esse debuerit. Sed pendat sextarius Romanus tritico leuissimo repletus uncias quindecim: tunc dicendũ est Romanus sextarius tritici leuissimi pendit uncias quindecim: uel simpliciter Romanus sextarius pendit uncias quindecim. Alterum tamen dicendum non est, nisi ex consuetudine loquendi, de tritico leuissimo dictum esse intelligi possit: quam consuetudinem Romanis fuisse difficulter aut nunquam nobis probabit Alciatus. Promiscue uero & communiter præcipere ac dicere sextarium esse unciarum quindecim, siue pendere uncias totidem: loquitur enim utroq; modo idem intelligẽs: quo sensu dici possit non uideo. Vniuersalis namq; nullus potest constitui sextarius, nisi uncias intelligas mensurales: nam si ponderales acceperis, tantũ illius rei, quam aut expresseris, aut ex loquendi quodam

more posſis intelligere, sextarius statuitur. Sed se tamen sextarium habere Romanum ex Plinij sententia tritici leuissimi quod est Gallicum uel è Cheroneso aduectum, contendat Alciatus, atq; hinc, etiamsi communis nullus fuerit, posse rerum aliarum pondus, constitui: isto certe modo alius quispiam habere potest sextarium grauissimi, quod est Africum, qui sextarius pendat uncias uiginti drachmas sex & dimidiã: alius medij alicuius, ut Sardij, qui pendat uncias undeuiginti & dimidiam. Cum igitur tanta sit uarietas tritici non diuersarum solum regionum, sed unius etiam: nam Gallicum quoddam Budæus lõge grauius facit, quis ex pondere ipsius audebit constituere sextarium? etiamsi deerit nobis, ut cogitur dare ratione persuasus, si cõsideremus pondus Romanis cõmunem nullum fuisse? Postremo diceret quis pro Alciato, de sextario Romano hæc ipsum forte non scripsisse, sed de Attico, de quo sine dubio Plinius est intelligendus cum pondera explicat: audiat iste uerba Alciati & dubitare desinet. Scribit uero sic. Eadẽ ratione factum est, ut cum sextarius Romanus quindecim unciarum sit, ut supra dixi, Græci suo sextario uncias octo & decẽ attribuant. Sed hæc nunc meæ sententiæ causa tuendę satis sint. Restat ut argumenta discutiam Portij, statuentis item communiter sextarium Romanum unciarum esse uiginti ponderalium. Qui certe si pro ponderalibus dixisset mensurales, à uero non desciuisset: quod autem illas non has dicat ex uerbis eius perspicuum erit, quæ subijciam. Liquidorum itaq; mensuris inquit: ita declaratis ut quid inuicẽ capiant & càpiantur satis intelligi possit, earum pondera quibus præcipue deprehendi & ad nostras referri possint, dicenda sunt: & à minori ex iam dictis initium capiam. Hemina pendet uncias decem, sextarius uiginti, hoc est libram & besse congius libras decem, urna quadraginta, amphora octoginta, culeus mille & sexcentas libras pendet. Ita Portius. Ex quibus nõ potest esse obscurũ libras & uncias ponderales eum intelligere. scribit enim pendet: quod si de mensuralibus sensisset capit aut continet aut tale quippiam scribere oportebat. Sed diceret quis. Portius nõ negat se de ponderalibus sentire, uerum uini sextarium tantum pendere ait, nec sine testibus: idem ex Plinij loco, qui est de uino Opimiano, colligi potest, & Fannius clare dicit his uersibus.

Nam libræ: ut memorant: bessem sextarius addet.
Seu puros pendas latices, seu dona Lyæi.

Demus nunc uerum esse uini sextarium Romanũ pendere uncias uiginti: Portius certe non uoluit uini tantum explicare, sed cõmunem tam liquoribus quàm aridis: unde fit ut modij pondus librarum uiginti sex & unciarum octo, quod inde sequitur, esse dicat: quo tamen modio ucteres nullũ liquorem, nedum uinum metiri fuisse solitos in confesso est. Ne uero hæc credantur conficta, Portij uerba subijciam. Modij

dij ſex medimnum conficiunt. ſextarij ſedecim modium. Sextarios po no quia & his ſicca & humida metiri conſueuerunt. Horum ſingulo- rum pondus ſuperius ſcripſi fuiſſe libræ & beſsis, id eſt unciarum ui- ginti. Modij pondus ex computatione ſextarij & amphoræ ſuperius adducta, fuit librarum uiginti ſex & unciarum octo. Sic ille. Vides ſex tarium communem uiginti unciarum eum conſtituiſſe, non uini tan- tum. tum enim modium non tot librarum dixiſſet eſſe, ſed pondus ari dorum cum modij menſuram impleant, declaraſſet. Verum earum re- rum, quas metimur, uarium pondus, non minus ipſum ac alios torſit quod ex iſtis quæ de menſuris ſermonem incipiens ſcribit, percipere li cet. Menſuræ igitur, inquit, liquorum, ut ab his initium capiam quæ frequentiores & ſtabiliores apud antiquos fuerunt quia humida pon- dere inter ſe parum differunt. cum in eo ſicca & præcipue ſemina, qui- bus uita conſtat, genere & ſpecie raro conueniant, ut triticum à milio & utrunq; inter ſe. Sic Portius. qui cum aduerteret eſſe diuerſum pon dus rerũ quas metimur, uiam munire conatur, qua tuto perueniat ad ſextarij communis definitionem. ſed quo modo? Humida aſſerit pon dere parum inter ſe differre. Videamus igitur an hoc uere ſit dictũ de humidis. Olei ſextarius ex Fannij ſententia, quẽ ipſe ſequi uoluit, pen dit uncias decem & octo, uini uiginti, mellis triginta. Differunt ne er- go parum? cum mel uino decem uncijs ſit grauius? oleo uero duode- cim, id eſt integra libra. Mihi ſanè plurimũ uidentur diſtare. quæ etiãſi drachma ſolum una differrẽt, uix dicerẽ parum inter ſe differre, quod tum etiam diſcrimen trutina examinanti inſigne appareat. At Portius id auſus fuit dicere, cum mel ſextarij menſura, oleo eiuſdem menſuræ plus pendat drachmas XCVI. ſecundum Fannium, uino LXXX. Quid uero dicit de aridis? Genere & ſpecie non conuenire, ideo eorum men ſuras non facile pondere deprehendi poſſe. Cur ergo modium pende- re libras uiginti ſex & uncias octo ſcribit? quem ipſe recte ſentit arido- rum tantum eſſe menſuram? Quæ nam iſta eſt inconſtantia? Nihil a- liud reſpondere poteſt, niſi quod ſextarium cõmunem ſiccis æque ac liquidis conſtituerit: qui uncias uiginti, ſi dijs placeat, pendat, quantũ- uis inter ſe arida differant. Iam eius opinione intellecta, quibus ipſam probet conſideremus. Poſtquã dixiſſet quantum quæq; menſura pen deret, quæ uerba ſupra retuli, ſubiungit. Hæc ex diſpoſitione iam dicta menſurarum & ex multis autoribus & maxime ex Fauino ſupra dicto colligi poſſunt. Sic ille. Nos fatemur neceſſario conſequi ex proportio ne, quam menſuræ inter ſe habent, ut reliquæ tantum pendant, quan- tum aſſerit, ſi ſextarius uiginti uncias pendit. Quia uero communem ſtatuit, nullo ſenſu dicta eſſe declaraui. Qui uero ſint iſti multi autores, ex quibus hoc menſurarũ pondus colligi poſsit, non intelligo. Ex Fan nio certe, quem Fauinũ nominat & ex quo maxime poſſe ait, id quod

uult non colligitur. Nam is asserit uini & aquæ sextarium, quod supra quoq; dixi, pendere uncias uiginti, olei uncias decem et octo, mellis triginta. Carmina eius sunt:

Illud præterea tecum cohibere memento
Finitum pondus uarios seruare liquores.
Nam libræ: ut memorant: bessem sextarius addet,
Seu puros pendas latices, seu dona Lyæi.
Addunt semissem libræ liuentis oliui.
Selibramq; ferunt mellis supereſſe bilibri.

Ex his liquet Fānium secundum rerum dissimilitudinē diuersa sextarij protulisse pondera, non hoc sentire, quod Portius ipsius testimonio probare cōtendit, sextarium communem pendere uncias uiginti. Si igitur Portius Fannium uoluisset sequi, quemadmodum Alciatus in cyathi calculo sequitur, oportebat eum quatuor liquorū potissimorum pondera explicare, non omnium certum unum pondus statuere & dicere parum inter se differre. Sed fermè scire me puto quid deceperit Portium. Legerat in Hermolai castigationibus sextarium unciarum esse uiginti, deinde ex Plinio de uino Opimij loquente, idem colligi posse animaduertebat: quibus motus definitū statuit pondus, & quia legerat apud Fannium uini & aquæ sextarium pendere uncias uiginti, reliquos uero liquores differre, ut id dilueret, scribit parum inter se differre. Pergit. Et de amphora & sextario Sextus Pompeius atte statur. Illius uerba cum non citet credimus ipsum nō plura quàm nos inuenisse, uidelicet amphoram capere octo & quadraginta sextarios, sed fidem habere Hermolao Barbaro, qui scribit Festum sic sentire. Postremo ait. Et ex pulcherrima Pliniana computatione paucis cognita libro decimoquarto capite quarto scribendo de uino Opimiano colligitur. Gloriatur ibidem quæ essent usuræ semissium primo à se inuentum, quod ut uerum esse potest, ita fuisset multo credibilius, si Barbaro uiuente adhuc, illud sibi uindicasset. Nō negabit tamen Barbarum primo Plinij expositionem protulisse, quam cum retulisset Portius, mox aliter sensisse Plinium opinatur. cui opinioni, quam ex primis Hermolai castigationibus uenatus est, si locus ullus erit, nihil ipso teste probare poterit. Quam igitur incerta sit Portij de mensuris opinio ex iam dictis quilibet intelligit. Quam ob rem ad Hermolaum Barbarū, quem ille imitatus est, ueniam. nec is differentiæ huius inter libras & uncias mensurales ac ponderales uspiam meminit: quam scientem ueri simile est, si eius studium obscurissima quæq; explicandi consideramus, non fuisse taciturum. Ipsum uero ignorasse est indicio, quod postquam duas sententias de sextario protulisset, alteram Festi, qui uiginti dicat esse unciarum, alteram Africani, qui duarum uel trium librarū, subiungit. Ita fit ut singulæ amphoræ LXXX. Festo, uel XCVI. Africano, aut certe

CXLIIII. uini pondo capiant. Pondo dicit ex quo nemo non intelligit eum de ponderalibus libris sentire: Sed profecto bene feciſſet, ſi Feſti uerba aſcripſiſſet, quæ fortè ipſe habuit, in noſtris uero exemplaribus deſyderantur. Hæc pro mea ſententia defendenda libere magis & neceſſario, quàm petulanter & temere dicta à me accipiantur etiam atq; etiam rogo. Viros enim illos ob ſummam eruditionem amplector & quouis honore dignos iudico: quos nihil mirū in re tam obſcura à uero declinaſſe, cum neminem è ueteribus opiner inuentum iri, qui per omnia ueſtigijs ueritatis inſtiterit, ac non alicubi aberrarit. Illud unum ſi rurſus dixero finem differendi de menſuris liquorum faciam. Libræ & unciæ menſurales certę & immobiles menſuris ſemper manēt, ponderales uariæ ſunt pro uarietate rerum aridarū æque atq; liquidarum. Quocirca niſi quis rem humidam uel ſiccam expreſſerit, aut ex conſuetudine loquendi intelligi poſsit, ponderales libras uel uncias in menſuris nunquā definire poteſt. Quod ſi etiam expreſſerit, illius rei tantum menſuras, cæterarum minime declarauit. Nunc aridorum menſuras uia & ratione nō diſsimili exponemus. Modius capit duos ſemodios. Semodius ſextarios octo. Sextarius heminas duas. Hemina acetabula quatuor. Acetabulum ſeſquicyathum. Cyathus ligulas quatuor. Sed quia ſextarius capit uncias uiginti, ut ſupra probaui ſequuntur hæc ordine quodam. Modius continet libras uiginti ſex, uncias octo. Semodius libras tredecim, uncias quatuor. Sextarius uncias uiginti. Hemina decem. Acetabulum duas & dimidiam. Cyathus ſeſcunciam drachmam & ſcripulum. Ligula drachmas tres & ſcripulum unum. Hæc de Romanis menſuris rerum aridarum mea eſt ſententia, quam rurſus teſtimonijs autorum annitar affirmare. Vt autem à maxima menſura & hic ordiar: Modium aio duos ſemodios continere, quod ipſius ſemodij uox ſatis ſignificat: dictus em̄ eſt ſemodius à ſemis & modius quaſi ſemimodius, eliſa ſyllaba una, quod etiam in ſemuncia fieri uidemus. Sed quod uterq; ſit aridorum mēſura, nulla eget probatione cum paſſim in ſcriptoribus præſertim rei ruſticæ & frumentaria Ciceronis ſic poſsint inueniri. Modius autem nominatus uidetur à modo, quod inter cætera non raro menſuram ſignificat. Inde modiale uas dicimus, quod modij habet menſuram. Vnde Plautus ait in captiuis:

Aulas calicesq; omneis confregi, niſi quæ modiales erant.

Hinc etiam ſeſquimodius. Varro de re ruſtica libro primo. Hoc licet cōiectura uidere ex aliquot rebus: ut nuces integras, quas uno modio comprehendere poſsis, quod putamina ſuo loco quæq; habet natura compoſita: cum eaſdem ſi fregeris uix ſeſquimodio concipere poſsis. Hinc deniq; trimodiū. Plinius lib. XXXIII. cap. I. Neq; enim aliter potuiſſent trimodia illa annulorum Carthaginem ab Hannibale mitti. Semodius autem ſextarios octo continet, quod ex hac ratione liquet.

Qua

Quadrantal tres modios, ſex ſemodios, octo & quadraginta ſextarios capit, ut Voluſius ſcribit. Igitur neceſſe eſt modiũ ſedecim ſextarios, ſemodium octo continere. Quemadmodum uero à modio modialis oſtendi formatum, ita quoq; fit à ſemodio ſemodialis. Sic Cato capite LXXVI inquit. Hæc erit placenta ſemodialis. Sextariũ porrò duas heminas capere non eſt neceſſe ut ultra probem, aridorum uero menſuram fuiſſe declarant uerba Catonis quæ ſunt capite CV. Schœnum & calamum in pila contundito, quod fiet ſextarium unum: eodem in dolium confundito, ut odoratum ſiet. Et Columella libro duodecimo capite quinto. Salis ſextarium ſubterito. Et paulo poſt. Quidam ordei to ſti ſextarios quatuor. Sequitur hemina, quam quatuor acetabula conti nere probaui: quod uero ſit aridorũ menſura, Catonis uerba quæ ſunt capite CVII. explanant. Et iris aridæ contuſæ heminam. Præterea Columellæ libro duodecimo capite XLIX. Sat erit autem totidem heminas ſalis adĵcere quot ſunt modĵ oliuarum. Acetabulũ uero ſiccorum menſuram fuiſſe declarant autores. Cato capite CII. Si bouem aut aliam quamuis quadrupedem ſerpens momorderit, melanthĵ acetabulum, & quod medici uocant ſmyrneum conterito in uini ueteris hemina. Cornelius Celſus libro quinto capite decimooctauo. Habet gallæ & immaturę & alterius, coriandri ſeminis, cicutæ, lachrymæ aridæ, gummi, ſingulorũ plenum acetabulũ. Apud quem acetabuli uſus frequens eſt. Plinius etiam ſcribit libro decimooctauo capite ſeptimo. Quocunque autem genere præparato, uicenis ordei libris ternas ſeminis lini, & coriãdri ſelibras, ſalisq; acetabulo, torrentes ante omnia miſcent in mola. Cyatho autem ſic utitur Columella libro ſecundo capite undecimo. Atq; ita menſe ultimo Aprilis ſerito tantum, quantum ut ſinguli cyathi ſeminis locum occupent decem pedum longũ, & quinq; latum. Cornelius Celſus libro quinto de curatione papularum. Gith cyathos tres, picis aridæ unũ. Plinius præterea libro decimoquarto capite nono. Dulci è genere eſt & melitites: diſtat à mulſo, quod fit è muſto cũ quinq; congĵs auſteri muſti congio mellis & ſalis cyatho ſufferuefactis auſterum. Ligula poſtremo pro aridorum menſura uſus eſt Columella, cuius uerba iam ante retuli. Pluribus autem probaui minores menſuras fuiſſe aridorũ, quo res fieret credibilior: uidentur enim quædam in his ex natura ſignificationis liquorum tantum eſſe menſuræ. Iam iterum maiores in minores quaſq; diſtribuã. Modius capit ſemodios duos, ſextarios XVI. Heminas XXXII. acetabula CXXVIII. cyathos CXCII. ligulas DCCLXVIII. Semodius capit ſextarios VIII. heminas XVI. acetabula LXIIII. cyathos XCVI. ligulas CCCLXXXIIII. Sextarius & reliquæ minores ſe habent ut rerum liquidarum. Reſtat, ut inſtituto ordine, paucis ea quæ obſcura nobis occurrũt illuſtremus, quæ repugnantia elidamus. Itaq; menſuras ſiccorum ab humidorum menſuris

ſuris nec Budæus nec Alciatus diſtinxit, ſed eas confuſe tradidit uterque. Portius autem diſcreuit quidem, uerum neutras ſatis explicauit. utræq; enim plures amplectũtur partes quàm eas in quas ab ipſo ſunt diſtributæ. ſiquidem omiſit quartarium, acetabulũ, cyathum, ligulam ſiue cochlearium, libram, unciam. quæ ſunt in humidarum rerum menſuris. Quis uero illi credet, quod aſſerit minores hemina, medicis ſolũ in uſu fuiſſe? cũ Liuius & Columella utantur quartario? acetabuli & cyathi uſus apud autores frequens ſit? Libræ & unciæ Romanis quotidianus fuerit in oleo uendendo? Deinde heminam, acetabulum, cyathum & ligulã præterijt. quæ in menſuris, quibus res ſiccas metimur, ſunt habendæ. Quibus tamen, ſi nihil aliud, leguminum ſemina, ut hodie quoq; paruis quibuſdam menſuris uenduntur, olim fuiſſe diuendita credibile eſt, ac nõ medicis ſolum fuiſſe in uſu. Sed fortaſsis illud hominem decepit quòd modio & ſemodio atq; ſextario frequenter ueteres maxime rei ruſticæ ſcriptores, utantur, rarius hemina & acetabulo & cyatho. Nunc ad modium reuertar: in cuius capacitate declaranda multum fallitur Perottus, qui ſcribit ipſum duos & uiginti ſextarios continere: licet ibidem legatur uitio librarij ſeſtertios. Idem tradit modiũ quatuor modiolos capere, ſed nullius id autoritate confirmat. Mihi quidẽ modiolus apud Plautũ in Ciſtellaria mẽſuræ genus uidetur eſſe, cuius uero capacitatis fuerit, fateor me ignorare. Ait aũt Plautus. Quia ei promiſi modiolum uini dare.

χοινίκιον certe Celſus modiolum tranſtulit, ſed in diuerſa ſignificatione. Dicta ſunt à modijs Decẽmodiæ & trimodiæ uaſa ruſtica apud Columellam decem & trium modiorum. Acron uero interpres Horatij cum ait, Cumeræ dicũtur uaſa minora quæ capiunt quinq; ſiue ſex modios, quæ lingua Sabinorum trimodiæ dicuntur: uidetur non aduertiſſe trimodias à numero trium modiorum, quos comprehenderent dictas, niſi locus corruptus ſit. Demenſum autem quid ſit ubi χοίνικος declarabo dicam. Medimnum iccirco non addidi menſuris aridorum Romanis, quod Græca ſit: & Cicero in frumentaria non uteretur hoc uocabulo niſi loqueretur de rebus Siculorum, qui nõ minima ex parte Græci erant. Sed ut tandem modum & finem huic libro faciam, Romanis menſuræ rerum liquidarum tantummodo fuerunt, culeus, amphora, urna, congius, quartarius, aridarum ſolum, modius & ſemodius. Humidarum & ſiccarum ſimul, Sextarius, hemina, acetabulum, cyathus, ligula. Hactenus de Romanis menſuris quid ſentirem dixi, ſequenti libro Græcas exponam.

GEORGII AGRI-COLAE LIBER SECVNDVS DE MENSVRIS GRAECIS.



Romanas mensuras eò pluribus uerbis in primo libro expoſui, ut ipſas lectori, quoad fieri poſſet, explicarem dilucide. quam ob rem ſi cui longior uiſus ſum, is ſciat me maluiſſe in hanc partem peccare potius quàm rebus obſcuritatem & tenebras afferre. Meam quoq; ſententiam à doctiſsimorum hominũ opinionibus diligenter quidẽ minimeq; remiſſe, non tamen petulanter aut arroganter defendere uolui: adeo ut ſi docti etiã iudicarent, opera, ſtudio, labore meo Romanas mẽſuras, quod ad earum capacitatem attinet, è tenebris quaſi erutas, tandem ſuam lucem uere recepiſſe: equidem hanc laudem mihi ſoli nõ arrogarem, ſed partiendam eam cum Budæo, Alciato & Portio mea ſponte arbitrarer. Nam eorum ſcripta, eſto, me non multum iuuerint, ut iuuiſſe non nego, certè occaſionem de his ſcribendi, obtulerunt. In Græcis uero ſi quid de ſtudioſis eius linguæ hic meus labor meretur, credo me non admodum arroganter facturum, ſi id mihi totum uindicarem. Et hic tamen Budæum & Alciatum, Portius enim ſolius medimni meminiſſe cõtentus eſt, libenter etiam in partem laudis admitto, uel ob hoc quod ſtudioſe quædam collegerint. Nam quod ad reliqua attinet, illi minus in iſtis elaborarunt. Etenim Budęus tradit quidem Græcas menſuras, ſed ſic ut paucas à Romanis capacitate diſtinguat. utq; alibi eaſdem eſſe dicat, alibi nihil certi tradi poſſe ferè aſſerat. Alciatus uero eas à Romanis diſcernere nititur, & in explicandis operã conſumit, quo etiam pius negocij mihi cum illo erit, cũ alijs duobus minus. Romanarum autem menſurarum ratio hoc fuit expeditior, quod reip. maximæ quidem, ſed unius tamen eſſent unciæ. Græcarum uero inuoluta magis primo quod diuerſarum rerum pub. imo unius nonnunquam, fuerint diuerſæ. Siquidem aliæ Atticæ, aliæ Epheſiæ, aliæ Alexandrinæ, ut reliquas non commemorem. tum aliæ medicæ, aliæ Georgicæ, aliæ Hippoiatricæ. Deinde quod ſcriptores rei ruſticæ ferme omnes ac alij plurimi perierint unde medicis mẽſuris exceptis reliquarũ uſus ſic oſtendi ut ego cupio, & ſtudioſis arbitror utile, nõ poteſt enitar tamẽ, quoad res ipſa feret, omnia diligentius explicare. Verum in hoc libro potiſsimum declarabo Atticas, quas & medicas appellamus, atq; Georgicas, quod ijs in primis autores uſos eſſe conſtet. Adijciam autem ipſis & Hippoiatricas, quod ars ueterinaria non omnino ſit à medicina excludenda. Seruabo uero prorſus eandem, quam in Romanis, docendi

di ſeriem. Itaq; cum Atticæ ſiue medicæ mẽſuræ quoq; duplices ſint, liquorum & aridorum, primo liquorũ exponam. ὁ μετρητὴς ἔχει χοᾶς ιβ'. ὁ δὲ χοῦς ξέστας ϛ'. ὁ δὲ ξέστης κοτύλας β'. ἡ δὲ κοτύλη τέταρτα. β'. τὸ δὲ τέταρτον ἤτοι ἡμικοτύλιον ὀξύβαφα. β'. τὸ δὲ ὀξύβαφον κύαθον α'. ὁ δὲ κύαθος κόγχας μζ'. β'. μῦστρα δὲ δ' χήμας δὲ ε'. ἡ δὲ χήμη κοχλιάρια. β'. Id eſt. Metretes capit choas XII. Chus ſextarios VI. Sextarius cotylas II. Cotyle quartarios II. Quartarius oxybapha. II. Oxybaphũ ſeſquicyathum Cyathus conchas duas · myſtra quatuor, Chemas quinq;. Cheme cochlearia duo. Sed quia cotyle continet nouem uncias menſurales, facile hinc calculis ſubductis colligi poteſt, quot librarum uel unciarum menſuralium quæq; menſura fuerit. Capit igitur Metretes centum & octo libras. Chus nouem. Sextarius librã & ſemiſſem. Cotyle, ut dixi, uncias nouem. Quartarius quatuor & dimidiam. Oxybaphum uncias duas & drachmas duas. Cyathus ſeſcunciam. Concha drachmas ſex. Myſtrũ drachmas tres. Cheme drachmas ij. ſcripulum unum, grana quatuor & quatuor quintas grani. Cochlearium drachmam unam, ſcripulum dimidium, grana duo & duas quintas grani. Licitum ſit mihi & hic minoribus ponderibus pro menſuris rei declarandæ gratia abuti · ut intelligantur planè drachma & ſcripulum & granum unciæ menſuralis: in quæ tametſi non ſit uſu diuiſa, animo tamen diuidi poteſt, imo etiam re ipſa, ſi quis hanc operam uellet ſumere nihil neceſſariam. Sic ſentio de Atticis menſuris, quibus maxime medici utuntur · quam ſententiam & ipſam autorum ſcriptis conabor probare. Itaq; metreten duodecim choas comprehendere Nicandri interpres his uerbis declarat. Μετρητὴς ἔχει ξέστας οβ'. Hoc eſt. Metretes capit ſextarios duos & ſeptuaginta. Cũ enim ſex ſextarij, ut mox oſtẽdam, efficiant Choa, efficient omnino duo & ſeptuaginta duodecim choas. Idem ex Fannij uerſibus percipitur, qui menſuram hanc Atticam amphoram appellat.

Attica præterea dicenda eſt amphora nobis,
Seu cadus: hanc facies noſtræ ſi adieceris urnam.

Si enim Attica amphora capit amphoram Romanam & urnam, Romana uero amphora congios octo, urna quatuor, nonne ſequitur Metreten continere Choas qui Romanis congij dicuntur, duodecim? Quod autem Metretes & cadus idem ſint, ex Dioſcoride & Plinio eſt perſpicuum. Nam ubi apud Dioſcoridem μετρητὴς legitur, Plinius eius quaſi interpres cadum reddidit. Verba utriuſq; quo res fiat illuſtrior aſcribenda cenſui. Dioſcoridis Græce afferam, ne cogar idem bis latine dicere inquit ille. ὁ δὲ οἰναίθιν@ σκυάξιται οὕτω. Λαβὼν τῆς ἀγρίας ἀμπέλου τὸ ἄνθ@ βρυόσης ξηρὸν μυᾶς. β'. εἰς μετρητὴν γλεύκους πρὸς ἡμέρας. λ'. ἔπα δυλίσας ἀπόθες. Quę uerba Plinius ſic cõuertit libro decimoquarto capite ſextodecimo. Fit è labruſca, hoc

d eſt

est uite syluestri, quod uocatur Oenathinum. Flores eius libris duabus in musti cado macerati post triginta dies mutantur. Metretes autē uerbum, ἀπὸ τοῦ μετρεῖν id est à metiendo deriuatum est. Latini in eo cum mutatione terminationis & genus mutarunt, non tamen significationem: si quando enim Metretam dicunt, mensuram Atticam mea sententia intelligunt. Cadus uero, nam & ipsum Grecū est ἀπὸ τοῦ χάσκειν, quod capacem esse significat, aspiratæ in tenuem mutatione deducti uidetur. Sed quod utrunq; liquorum mensura sit ex uerbis Dioscoridis & Plinij perspicuum fuit, & certe alter aliàs frequenter Metrete, alter cado sic utitur. Nuncupatur idem mēsuræ genus κεράμιον. Vnde Hesychius scribit κάδος ὅτι κεράμιον, Id est. Cadus est ceramiū. Quod fortasse aliter quis quàm de mensura acciperet dictum, nisi intelligeret ex Dioscoride Ceramium & Metreten idem esse, ex eodem & Plinio atq; Fānio Metreten & cadum, ex quo id quod uolumus sequitur. Sic uero Ceramio Xenophon libro sexto de Cyri ascensu ad Babylonem usus uidetur. ἔτι ξυνία πέμπουσι τοῖς Ἕλλησιν, ἀλφίτων μὲν μεδίμνους τοὺς χιλίους. οἶνον δὲ κεράμια χίλια καὶ ὀγδοήκοντα. Id est. Hi dona mittunt Græcis farinæ quidē tria millia medimnûm: uini uero Ceramia mille & quingenta. Dioscorides quoq; de uino Hyssopite scribit. Δεῖ δὲ τῷ κεραμίῳ τοῦ γλεύκους, λίτραν μίαν τοῦ ὑσσώπου κεκομμένου φύλλων προσβάλλειν. Hoc est. Oportet autem Ceramio musti, libram unam hyssopi foliorum contusorum addere. Porrò idem Dioscorides, ubi Romanam amphoram uult indicare differentię causa adijcit ἰταλικὸν tam Ceramio quàm Metretæ. Vt libro quinto de uino scillitico. Λαβὼν σκίλλης ὠτετμημένης καὶ κεκαθαρμένης μνᾶς. γ'. καθεῖς εἰς γλεύκους καλοῦ μετρητῶν ἰταλικοῦ. καὶ μείνας ἐξ ἴασον. Id est. Accipito scillæ concisæ & purgatæ minas tres ac immittito in musti boni Metreten Italicum, atq; ita per sex menses sinito. Hic Metreten Italicum appellauit amphoram Romanā. In eodem libro de uino absinthite sic scribit. οἱ μὲν γὰρ τρὶς. μ'. καὶ. η'. ξέσαις τῶν ἰταλικῶν κεραμίων μίξαντες ἀφυθίου ποντικοῦ λίτραν μίαν. Quod est. Quidā enim quadraginta octo sextarijs Ceramij Italici miscuerunt absinthij pontici libram unam. Ibi Ceramium Italicum nominat simul explicans sextariorū esse octo & quadraginta: quod ipsum in Romanis mensuris est declaratum. Itaq; Dioscorides si Atticam amphoram significare uult, simpliciter μετρητὴν uel κεράμιον uocat: sin Italicam siue Romanam, quæ nō paulo minor est, ἰταλικὸν, ut dixi, adiungit. Quemadmodum Latini contra Metreten amphoram Atticam appellāt, addentes Atticam ut à Romana distinguant, quam simplici amphoræ nomine appellant. Vtranq; uero Græcorum medicis in usu fuisse, postquam Romani Græciæ ceperūt imperare, uel ex Dioscoride liquet. Sequitur Chus qui Choeus quoq; dicitur. Hic ut apud Romanos Congius, sex continet sextarios: quod

Cleo

Cleopatra declarat: cuius pauca quædam de mensuris & ponderibus, sed ualde docta extant è libris κοσμητικοῖς excerpta. Sunt autem hęc eius uerba. ὁ χοῦς ἔχει μέτρῳ μὲν κοτύλας ἀττικὰς δώδεκα, ξέστας δὲ ἕξ. Hoc est. Chus quidem habet mensura Cotylas Atticas duodecim, sextarios uero sex. Idem Plinius indicat cum χοῦν Latine reddit congiũ. Dioscorides de uino quod è palmis fit ita scribit. ἐπίχει δὲ τοῖς δέκα χοίνιξιν ὕδατος χόας γ. Id est. Infunde in Chœnicas decem, aquæ congios tres. De eodem Plinius libro quartodecimo capite decimosexto, Dioscoridem imitatus. Proximumq; ei è palmis, quo Parthi & Indi utuntur & oriens totus. Maturarum, quas uocant & Chydeas, modio in aquæ congijs tribus macerato expressoq;. Rursum Dioscorides de uino quod fit è nardo Syriaca & Celtica atq; malabathro. ἡδύσει ἡμίμναιον λαβὼν εἰς δίχουν γλεύκους ἕξθες. Plinius: Apud alios nardi & malabathri selibris in musti congios duos additis. Quin etiam carmina Fannij idem ostendunt.

Heminas recipit geminas sextarius unus.
Adde duos Chus fit uulgo, qui est congius idem.

Deriuatũ autem uerbum χοῦς siue χοεὺς uidetur ἀπὸ τοῦ χέω, quod est fundere. nam uasis genus etiã significat, quo aqua hausta fundebatur. Rerum uero humidarum mensuram esse χοῦν ex his quæ dixi, apparet. Tertium locum in Atticis mensuris obtinet ξέστης. quod uocabulum è Romana dictione, quæ sextarius dicitur, corrupta formarũt, ut Galenus asserit. cuius uerba superiori libro retuli. Nã neq; nomen neq; mensura hæc apud uetustiores Atticos scriptores inuenitur, sed una cum imperio Romano & uox & mensura in Græciam uenit. Vnde usus eius apud Andromachum, Heram, Asclepiadem, Critonem, Dioscoridem, ac nonnullos alios, qui dum res Romanæ florerent, de medicamentis libros scripserunt admodum frequens est. Laurentius Valla censor latinæ linguæ acerrimus in Herodoti Euterpe ἀμυστῆρες sextarios transtulit quod si ἀμυστὴρ idem fuisset quod sextarius Romanus, celeberrimi illi medici Græci dubio procul usi fuissent ea uoce potius quàm Romana. Sed hoc non mirum de Valla, qui alibi Cotylen quoq; uertit sextariũ. ξέστης autem duas capit cotylas. Hinc Galenus libro primo de compositione medicamentorũ secundum genera scribit: ὥσπερ γὰρ ὁ ἥρας ὅταν κοτύλιον γράφῃ μὲν ἥμισυ τοῦ ξέστου σημαίνειν. Id est. Videtur & Heras quando cotylen scribit dimidiã sextarij partem significare. Sed id ipsum præter medicos in quibus facile potest obseruari, Aristophanis interpres in Pluto his uerbis declarat. Κοτύλη δέ ἐστιν εἶδος μέτρου, ὃ λέγομεν ἡμεῖς ἡμίξεστον. Hoc est. Cotyle autem mensuræ genus est, quod nos Hemixestũ dicimus. Fãnius etiã inquit.

At cotylas, quas si placeat dixisse licebit
Heminas, recipit geminas sextarius unus.

Verum liquidi mensuram esse Crito ostendit apud Galenũ de compositione medicamentorum secundum locos cum ait. ὄξους ξέστας γ. Id est. Aceti sextarios tres. Sed nihil opus est istis cum nusquam non in Galeni libris de compositione medicamentorum exempla sint obuia. quocirca ad cotylen uenio. κοτύλη uox est in Gręcia nata: nam Romani heminæ uocabulo utuntur· quod ipsum ex Græco quidẽ ἥμισυ deriuatum est, sed Græci non ferè habent in usu, nisi cum Romanas aliquas medicamentorum compositiones in suam linguam transferunt. Hoc autem nomine cauum ipsi significant: unde κοτύλην appellauerunt, non modo uasis genus & mensuram, sed sinum etiam in quo caput fœmoris uoluitur, & concauitatem manus, quam uolam latini nominant. A cotyle quoq; dicũtur κοτυληδόνες sinus tum uteri, tum polypi, atq; etiam herba ob similitudinem. Sed idem mensuræ genus τρυβλίον est dictum, ut scribit Cleopatra his uerbis. τὸ τρυβλίον τὸ αὐτὸ μέτρον χωρεῖ τῇ κοτύλῃ. ἔχει γὰρ μέτρῳ κυάθους, ϛ΄. Id est. Tryblion eandẽ quam cotyle mensuram capit. continet enim mensura cyathos sex. Dicitur eadẽ mensura ἡμίξεστον id est dimidius sextarius· quod uerba Aristophanis interpretis, paulo ante relata, declarant. Recipit uero cotyle duo ἡμικοτύλια. quæ uox quia medicis, ut mox ostendam, in usu est, satis id ipsum quod uolo, probat. Mensuram autem humidæ rei esse, hoc unum testimonium confirmare potest. quo magis hic utimur, ut solitam nobis confirmandi rationem, alibi necessariã, seruemus, quàm ut id, tanquam multum sit dubium, corroboremus. Soranus apud Galenum libro primo de compositione medicamentorum secundum locos ait. λιθαργύρου δραχμὰς. κ΄. ἀσβέστου δραχμὰς. κ΄. ὄξους κοτύλην μίαν. Id est. Spumæ argenti drachmas xx. Calcis uiuæ drachmas xx. Aceti cotylen unam. Sequitur quartarius, qui τέταρτον ab ipsis nuncupatur, quod quarta pars sit sextarij· utriusq; enim uocabuli ratio in promptu est. Hesychius quoq; mensuram esse dicit, licet capacitatem ipsius non explicarit. inquit uero. τετάρτῳ, μέτρῳ τῶν ὑγρῶν. Id est. Quartario mẽsura humidorum. Idem intelligitur ex Dioscoride, qui in exponendis liquorum, quos metimur, ponderibus semper τετάρτου mensuræ post cotylen mentionem fecit· cuius uerba in Libello de mensuris & ponderibus, Galeno ascripto, quisq; Græcarum literarum non omnino rudis legere poterit, quæq; nos in alio opere eiusdẽ cum hoc argumẽti explicauimus. Vtitur sic Damocrates apud Galenum libro octauo de compositione medicamentorum secundum locos. uersus est senarius.

ξέστου τέταρτον ἐξ ἑκάστου μίγματος. Id est.

Pars quarta Sextari mixtura ex qualibet

Eadem uero mensura ἡμικοτύλιον id est dimidia cotyle, ut dixi, nuncupatur. Dioscorides libro quinto de thymoxalme. Επίχει ὕδατος

κοτύλας

κοτύλας ς'. ὄξος ἡμικοτύλιον. Hoc est. Infunde aquæ cotylas sex, acti dimidiam cotylen. Apollonius apud Galenū libro primo supra commemorati operis. ἔψησον μετὰ ὄξος ἡμικοτυλίου. Id est. Coque cum acti dimidia cotyle. Liquet autem ex his liquorum esse mensurā, tametsi Damocrates medicus & poeta etiam ad res aridas traxerit. Capit uero duo oxybapha. Cotyle enim duos quartarios, ut probaui, comprehendit, quatuor uero oxybapha, ut ex Plinij uerbis perspicuū est, quę sunt capite ultimo libri primi & uicesimi. Cum acetabuli mensura dicitur, significat heminæ quartam partem. Magis autē proprie iste locus hoc probat, quia de Atticis mēsuris loquitur. Igitur quartarius necessario duo acetabula continet. Nunc explicandum erit ὀξύβαφον, ita primo dictum uasculū ad infusionem aceti, ut in id intingerent cibum sumentes, paratum. Vnde Athenæus scribit. ἡ μὲν κοινὴ συνήθεια οὕτως λέγει τὸ ὄξος δακτικὸν σκεῦος. Id est. Communis quidem consuetudo sic uocat uas quod acetū continet. Deinde mēsura hoc nomine dicta, quam medici interdum κοτύλης τέταρτον nominant, ut Serapio apud Galenum libro secundo de compositione medicamentorum secundum genera, ἐλαίου κοτύλης μιᾶς ἥμισυ, θέρους κοτύλης μιᾶς τέταρτον. Id est. Olei cotyles unius dimidiam, æstate uero cotyles unius quartam. cum dimidiam cotyles partem dicit nihil aliud quàm quartarium intelligit. cum quartam, nihil aliud quàm oxybaphum. Apud eundem libro primo de compositione medicamentorū secundum locos inquit Apollonius ὄξος κοτύλης τέταρτον. Id est. Aceti cotyles quartam. Capit uero oxybaphum sesquicyathum, quod sic probatur, Cotyle siue Tryblion sex cyathos continet, ut Cleopatra dilucide explicat, & hic Fannij uersus declarat.

At cotyle cyathos bis ternos una receptat.

Necesse igitur est oxybaphon, cum sit eius quarta, sesquicyathum capere, Quod uero mensura sit liquoris, ex dictis intelligi potuit. Iam ad cyathum, quem superiori libro ἀπὸ τοῦ χύειν id est à fundendo deriuatum, diximus, Cleopatra autem his uerbis explanat quod duas conchas, quas ipsa uocat minores, capiat. ἡ δὲ ἐλαττὼν κόγχη ἔχει μίτρῳ μὲν ἡμικύαθον. Hoc est. Concha minor capit mensura quidem semicyathum. Liquoris esse mensuram & etymologia probat, & satis testimonij est apud Galenum, nunc hoc unum sufficiat. Philippus medicus ut in quarto libro de compositione medicamentorū secundū locos scribitur, inquit. Μέλιτος ἀττικοῦ κύαθον α. Id est. Mellis Attici cyathū unum. Hinc trāseundum esset ad minores mensuras, sed quoniam de ipsis diuersa admodum tradita sunt ab autoribus, differemus earum explicationem in sequētem librum. Iam uero est dicendū quoties quęq; mensura unamquamq; se minorem comprehendat. Metretes capit choas XII. Sextarios LXXII. cotylas CXLIIII. quartarios CCLXXXVIII. Oxy-

bapha DLXXVI. cyathos DCCCLXIIII. conchas MDCCXXVIII. myſtra MMMCCCCLVI. chemas IIII CCCXX. cohlearia VIII DCXL. Chus capit ſextarios VI. cotylas XII. quartarios XXIIII. oxybapha XLVIII. cyathos LXXII. conchas CXLIIII. myſtra CCLXXXVIII. Chemas CCCLX. cochlearia DCCXX. Sextarius capit cotylas II. quartarios IIII. oxybapha VIII. cyathos XII. conchas XXIIII. myſtra XLVIII. chemas LX. cochlearia CXX. Cotyle capit quartarios II. oxybapha IIII. cyathos VI. conchas XII. myſtra XXIIII. chemas XXX. cochlearia LX. Quartarius capit oxybapha II. cyathos III. conchas VI. myſtra XII, chemas XV. cochlearia XXX. Oxybaphum capit ſeſquicyathum. conchas III. myſtra VI. chemas VII. cum dimidia, cochlearia XV. Cyathus capit conchas II. myſtra IIII. chemas V. cochlearia X. Concha capit myſtra II. chemas II. cum dimidia. cochlearia V. Myſtrum capit chemen unam & quartam ipſius partem, cochlearia duo cũ dimidio. Cheme capit cochlearia duo. Cochlearium minima mẽſura eſt. Hucuſq; capacitatem menſurarum, qua explicatur quoties maior ſe minorem capiat, quàm potui diligentiſsime declaraui: nunc ad alteram abeo, qua quot librarum uel unciarum menſuralium quæq; menſura fuerit oſtenditur. Libras & uncias menſurales Romanis in uſu fuiſſe primo libro ſatis multis probaui, ſecundum quas ſi perpendamus Atticarum menſurarum capacitatem, cotyle capit uncias nouem, atq; ſic hemina Romana eam una ſolum excelluit. Quod uero ita ſe res habeat, idẽ Galenus, ubiq; ſummæ diligentiæ uir, aſſerit libro quinto de compoſitione medicamentorum ſecundum genera ſic ſcribens. ὁ μὲν γὰρ ἥρας. ρπ. δραχμὰς ἔγραψεν εἰς ϛαθμὸν ἀνάγων οὐκ εἰς μέτρον τὸ ἔλαιον, ὡς ξ. δραχμὰς ἑλκούσης τῆς κοτύλης. καὶ γὰρ ἕλκει ἥγε ἀττικὴ. θ. οὐγγιῶν οὖσα τῶν ἰταλικῶν. ἕλκουσι δὲ αἱ. θ. οὐγγίαι ἰταλικαὶ αἱ ἐν τοῖς κατατετμημένοις κόρασιν ἑπτὰ καὶ ἡμίσειαν οὐγγίας ϛαθμικὰς. αἵτινες ξ'. δραχμαὶ γίνοντες, τῆς μιᾶς οὐγγίας. η. δραχμὰς δεχομένης. Hoc eſt. Heras quidem centum octoginta drachmas ſcripſit ad pondus oleum reducens, non ad menſuram· tanquam cotyle pendat drachmas ſexaginta. pendit enim eas Attica, quæ nouem unciarũ Italicarum exiſtit. Etenim nouem unciæ Italicæ, in cornibus interſectis diſcretæ, pendunt uncias ponderales ſeptem & dimidiam, quæ ſexaginta drachmæ fiunt, ſi uncia una octo drachmas ceperit. Hæc ille. Ex quibus quilibet intelligit Atticam cotylen uncias nouem capere cornu libralis. Igitur ex ea certa ſtabiliq; ſententia reliquarum menſurarum ſecundum libras & uncias capacitas conſequitur · quam ſupra expoſui, & nunc nihil neceſſe eſt repetere. Sed reſtat, ut quæ mihi repugnare uidentur, excutiam, quę inuoluta ſunt, explicem, quæ deniq; perperam dicta, reijciam. Itaq; reuertar rurſus ad Metreten, quam latini Metretam uocãt. Ea pro uaſe, in quo oleum ſeruabatur, uſus eſt Cato ita ſcribens capite centeſimo. Oleum ſi in metretam inditurus eris, amurca

ita

ita uti est cruda prius colluito. An uero id uas iustæ mensuræ fuerit incertum est. Apud Columellam certe uasis olearij genus hoc nomine significatur multo capacius Attica metreta, quippe quod recipit musti sexaginta sextarios & olei pondo octoginta, quæ & ipsa septẽ & quinquaginta sextarios complẽt & heminam ac supersunt duæ unciæ mensurales. Simul igitur collecti fiunt sextarij Romani centum decem & septem atq; hemina & duæ unciæ mensurales, cum metreta Attica tantum modo duos & septuaginta sextarios contineat. Præterea in idem uas ultra tot sextarios musti & olei immittit aridorum libras undecim & uncias tres: ex quo duplo fermè capacius esse intellígitur quàm metreta Attica. Columellæ uerba sunt hęc libro duodecimo capite primo & quinquagesimo de oleo gleucino. Hac autem ratione confici debet. Vas olearium quàm maximum, & aut nouum aut certe bene solidum præparari oportet. Deinde per uindemiam quàm optimi generis & quàm recẽtissimi sextarios sexaginta cum olei pondo octoginta in id confundi: tum aromata non cribrata, sed ne minuta quidem contusa, uerum leuiter confracta in reticulum iunceum & lineum adijci, & ita cum saxi ponduſculo in olei atq; musti partem demitti. Sint autem his portionibus pensata, quas infra subijcimus. Calami, schœni, cardamomi, xylobalsami, corticis de palma, fenigræci uetere uino macerati, & postea siccati, atq; etiam torrefacti, iunci radicis, tum etiam iridis Græcæ, nec minus anisi Aegyptij pari pondere, id est uniuscuiusq; libram & quadrantem, ut supra diximus, reticulo inclusa demittito, & metretam linito: post septimũ diem aut nonũ per se metretę si quid fecis aut spurcitiæ faucibus inhærebit manu eximito & detergito. Hæc ille. Igitur aliquot sextarijs exceptis hæc Metreta capacior duplo fuit quam Attica: qua de re non mensuram eo nomine, sed uas significauit olearium. Idem tamen Columella uidetur iustę capacitatis metretam indicare libro XII. capite XXII. Picis liquidæ nemeturicæ metretam adde in labrum, aut in alueum, & in eodem infundito cineris lixiuiæ congios duos. Cadus quoq; eadem quæ metreta mensura, Romana non fuit, quãuis Plinius eo utatur, sed profecto tantũmodo ubi uel Greca transfert, uel de Grecis uinis loquitur: ut libro quartodecimo capite decimo quinto. Quid ni & Cæsar dictator triumphi sui cœna uini falerni amphoras centum, Chij cados centum in conuiuia distribuit. Nam falernum Italicũ, Chium Grecum erat. Pro uasis uero genere Latini eo non raro utuntur. Sic Columella cadum picatum dixit capite supra citato. Post septimum diem oleum depleto: quod reliquum est musti picato cado recondito. Martialis quoq; ait.

In uaticanis condita musta cadis.

Hinc ἡμικάδιον dimidius cadus, cuius mentionem fecit Philochorus ἐν τῇ ἀτθίδι ut scribit Pollux. Ab ipso fit & ἡμιχόος, quod est ca-

dalis: si licebit formare à Græca uoce, Romanis tamẽ usitata, tale denominatiuum, quale est apud Plautum congialis: apud Plinium, urnalis: apud Catonem, semodialis. Significat uero καδίσκος mensura cadi. Sic scribitur panes qui dijs offerebantur fuisse καδίσκους, non secus ac placenta à Catone semodialis, quod mensura sit semodij, appellatur. Præterea idem mẽsuræ genus dicitur κεράμιον ut supra probaui. tum etiam σάμνος & σαμνίον quod uocabulum tanquam non satis Atticum propemodum reijcit Thomas magister in Atticorum nominum Eclogis cum ait. ἀμφορεὺς λέγε, μὴ σάμνος, μηδὲ μετρητὴς, εἰ καί τινες. Id est. Amphoreus dic, non stamnos, nec metretes, etsi quidam dicãt. Miror nonnihil, eum de stamno sic censere, cum Aristophanes in ranis utatur: ait uero.

ὅτ' ἐγὼ μὲν ὤμ Διόνυσος υἱὸς σαμνίου. Id est.

Quando ego Dionysius stamnij sim filius.

Vbi interpres inquit υἱὸς σαμνίου εἶπε παρ' ὑπόνοιαν. ἐπειδὴ ὁ οἶνος ἦν σαμνίῳ βάλλεται. ὁ δὲ Διόνυσος εἰς τὸν οἶνον ἀλληγορεῖται. σαμνία δὲ καὶ σάμνους, τοὺς ἀμφορεῖς τοῦ οἴνου φασίν. Id est. Filius stamnij dixit tacita significatione. quandoquidem uinum in stamnium mittitur. Dionysus uero per allegoriam ad uinum refertur. Stamnia autem & stamnos amphoras uini dicũt. Idẽ Aristophanes in Telmissensib. ut Pollux citat.

οἶνον τε χίον σάμνον ὑγιᾶ μύρου. Id est.

Vini uenire Chij & unguenti simul Stamnon

Magis autem miror ipsum putasse metreten Atticum uerbum non esse, cum Demosthenes eodem Polluce referente ea uoce sit usus: dixit uero οἶνου μετρητὰς, & usum eius antiquum fuisse è latinis etiã scriptoribus Catone & Columella liqueat. Sed nõ immerito quispiam nobis obiecerit Metreten nõ duodecim choum, ut dixi, capacem esse. sed decem tantum, quemadmodum Dioscorides scribit in uino è ueratro cõfecto his uerbis. ἔστι δὲ ὁ μετρητὴς χόες ι. Id est. Est autem Metretes choum decem. Cui planè Budęus accedit Fannij assueratione reiecta. Equidem malo hic in sententiam Alciati ire, qui putat. β. detritũ: quale non raro temporis iniuria ueteribus codicibus accidisse obseruari potest ac. ι. solum relictum pro ιβ'. sicq; legendum etiam apud Dioscoridem χόες. ιβ'. Mouet uero me ut Alciato potius assentiar hoc, quod è cæteris omnibus, qui Metretę capacitatem explicarunt, duodecim choum esse colligi possit. ut Nicandri interprete, Fannio, Dioscoridis & Plinij uerbis collatis, deniq; Cleopatra, ut in Georgicis, ubi eiusdem capacitatis est, explicabimus. De Metrete plus satis: nunc ad Choa ueniamus, quem sextariorum esse sex eisdẽ ferè autoribus ostendi. Quid uero dicemus ad diuum Hieronymum, qui cõmentariorum in Ezechielem libro primo Choa Atticum, sextarium Italicũ esse scribit? Alciatus, qui hunc locum aduertit, duplicem eos habuisse Choa

putat

putat · ait enim. Quo fit necessario ut duplicem Choa eos habuisse dicendum sit · alterum, quo in humidis forte utebantur minorē · alterum quo in aridis maiorem · uasculum enim triticeum Chœnice angustius nullum ipsi habebāt. Sic Alciatus. Maiorem Choa qui sex comprehendit sextarios rerum liquidarum potius quàm aridarū mensuram fuisse satis testimoniorum, quibus id ipsum probatur, supra retuli · minor ullus fuerit, nec ne, expendamus. primo tamen audiendus est Alciatus, qui his uerbis astipulatur Hieronymo. Quam sententiā ne improbem autoritas quoq; Plinij facit, qui libro decimoquarto de Nectarite uino uerba faciens, quod apud Dioscoridem fieri legerat, uncijs quinq; radicis εἰς χοᾶς quinq; musti additis, uertit in sextarios sex, ut Atticū Choa apud autorem: quisquis fuit seu Dioscorides seu alius unde ipse accepit: legisse eum credam. De eo etiam intellexisse Athenæum arbitror, qui Rhyton: cuius uasis etiam Martialis meminit: describēs simile esse cornui dicit, & duos Choas capere, & ideo solis Heroibus dari utpote bibacioribus. Nam & regibus Spartanorum in conuiuio cotylas binas dari solitum fuisse apud Herodotum legi, cum cæteris sola cotyla daretur. Vnde ostenditur aliquanto parciores uini fuisse, q̄ nunc nostrates homines sunt. Nam & Græco cantio Plauti in sticho, solos denos cyathos concedit. Horatius nouem · quoniam tres prohibet supra, rixarum metuens tangere gratia. Hæc ille. Quibus si accedimus, fuit alter Choeus etiā Atticis in usu. Sed de priori nō puto facile quenquam, qui nostra legerit, posthac dubitaturum, quin etiam Alciatus ipsum asseruit. In altero non absq; causa poterimus assensionem sustinere. Nam apud Athenæum libro undecimo iustum Choa, nō eum, cui sextarij capacitas est, accipimus. Quid enim mirū ῥυτὸν poculi genus capere duos Choas? cum ἐλέφας tres capiat? Δεῖνος aliud poculi genus Metreten? Ait enim apud eundem Dionysius Synopeus.

Δεῖνος μέγας Χωρῶν μετρητήν.

Id est. Dinus magnus capiens Metreten. Sic enim scribit de poculis Athenæus. Apud nostros etiam sunt poculorum genera argentea, plumbea, uitrea, lignea, quæ plus quàm duos Choas capiunt · quibus epotandis hospites bibaciores excipiunt diuites otiosi · quod nō commemoro, quod in laude ponam, sed ut probem talia pocula Græcis in usu esse potuisse, qui fuerint bibacissimi. De quibus Chamęleon apud eundem Athenæum, cum retulisset quosdam pluris fecisse ebrietatem quàm diuitias, ait. οὐκ ἔχοντες δὲ ἑτέραν ἡδονὴν ταύτης καλλίω, οὐδὲ μᾶλλον εὐχερῆ, καταφεύγουσι εἰκότως ἐπὶ τὸν οἶνον. ὅθεν καὶ τὰ μεγάλα τῶν ἐκπωμάτων ἐπιχώρια γέγονε τοῖς δυνάσταις. Id est. Non enim habentes aliam uoluptatem hac neq; honestiorem, neq; magis in promptu, merito ad uinum confugiunt · unde & ingentia pocula familiaria facta sunt magnatibus. Hæc ille. In die etiam festo, quo inferias agentes, poculis

certa

certabant, quem inde χόας nominauerunt, qui cæteris præbibebat, πρόμαχος uero ab ipsis appellabatur, uelut præpugnans, quatuor choas ebibebat: quod si tantum quatuor sextarios bibisset, tanquam strenuum potatorẽ reliquis immerito præfecissent. Vt igitur à tribus congijs epotis Torquatus Romanis Tricongius, Plinio referente dictus est, ita πρόμαχος ille τροταράχους dici potuit. Atq; is nondum urnam uini bibebat, desunt enim duo sextarij Romani, cũ Maximinus Imperator amphorã, quæ duas urnas integras capit, si Capitolino credimus, die exhauserit. Quemadmodum uero hic amphoram Capitolinam bibebat, ita Xenarchus Rhodius, eodem Athenæo autore, propter multam potationem dictus est Metretes. Athenæus igitur, cum dicit choa, non intelligit sextarium, quod Alciatus uoluit. Quod uero Lacedæmones in conuiuijs parciores uini erant Lycurgi legibus sic instituti, ut ab his et alijs abstinerent, nihil hic probat, aut improbat. Sed Plinius facit ne sententiam Hieronymi improbet Alciatus. Certe semper is χοῦν congium uertit, ut supra probaui: hoc uno loco excepto, quem deprauatum censeo. Dioscorides enim sic scribit. ὁ δὲ νεκταρίτης συνδάζει μὲν τὴν ἰλιγγίαν, ὀλίγοι μὴν ἰλιγγιῶσι. οἱ δὲ σύμφυτον. οἱ δὲ ἰδαῖον φλόμον. οἱ δὲ ὀρέσιον. οἱ δὲ νεκτάριον καλοῦσιν. ἰλιγγίας ξέρης ἑψηθὲν ἐγχύσας. ε. ὑδρόποσις εἰς ὀθόνιον, κάθες εἰς χόας ς. γλυκύνους. Plinius sic transtulit. Inuenitur & Nectarites ex herba, quã alij Helenion, alij Medicam, alij Symphyton, alij Idæum phlomum & Horestium, alij Nectareum uocant: radice ponderis XL. denariorum in sextarios sex musti addita. Nos legendum arbitramur: radice ponderis XL. denariorum in sextarios triginta sex musti addita. Vt enim quinq; uncias in XL. denarios: tanquam denarius & drachma idem sint, distribuit: ita sex etiam congios in triginta sex sextarios. Incertum uero est an illud triginta librarij alicuius incuria, ut non raro fit, sit omissum, an ipsius Plinij negligentia eadem illa qua scribit ochram ex rubrica fieri, cum rubrica fabrilis ex ochra fiat ut in libello nostro de re metallica indicauimus: quem Erasmus Roterodamus rei literarię nostra ętate facile princeps, & P. Plateanus grãmaticus nobilis ac medicinæ studiosus nuper ediderunt. Quod si quis malit legere, in congios sex musti addita, quia alijs in locis Plinius non consueuerit in congij locum tot sextarios, quot capit, substituere, per me licet, & idem erit. Præterea si quis assentiens Colenucio contendere uelit Plinium Dioscoridem nõ esse imitatum, sed alium quempiam qui sextarios sex scripserit, tum nihil est quod Alciatum mouere possit Plinius quo sententiam Hieronymi non improbet. Nam quod ipse credit Atticum Choa Plinium apud autorem, unde accepit, legisse, hic nimium est credulus, pace tanti uiri dixerim. Sed reuertar ad uinum Nectarites: id qui hodie parant, in musti mensuram amphoræ Romanæ, non ultra quatuor uncias inulæ campanę siue Helenij conijciunt,

nisi

niſi quod ipſi coquunt. At ſi non coxeris uerum tribus menſibus, ut Dioſcorides, antequam diffundas ſinas feruere, ſatis ualidū erit. Qua de re ſi quis ſic, ut uerba Plinij leguntur, compoſuerit, non uinum conditum, ſed omnino pharmacū quoddam efficiet: eſt enim Helenium perualidum medicamentum. Deniq; ſi Atticorum choeus eiuſdem capacitatis fuiſſet, cuius ſextarius Romanus, quis credet celeberrimos Græcorum medicos, quos ſupra commemorauí, & hic maluiſſe ſextarij uocem corruptam in ſuam linguam de Romana transferre, atque ξέſτην appellare? cum eius locum χοεὺς tenere potuiſſet, perinde ut Congij χᾶς obtinuit, & Heminæ κοτύλη. Quo fit ut Hieronymi locum putem aut deprauatum, aut ualde negligenter ab ipſo ſcriptum. nam Atticum Choa, & Italicum, ſiue Romanum, ſextarium eiuſdem capacitatis menſuras eſſe Hieronymus, pace uiri ſanctiſsimi & doctiſſimi dixerim, ſi uiueret, planū facere nullis (opinor) grauibus teſtibus poſſet. Sed quid dicemus ad Suidam & Ariſtophanis interpretem in Equitibus, qui ſic ſcribunt? χᾶς μέτρον ἀττικὸν χωροῦν κοτύλας ὀκτώ. Hoc eſt. Chus menſura Attica capiens cotylas octo? Nonne hæc ſi uera ſunt, tunc Chus non erit ſex, ſed quatuor ſextariorum? Illa autem uerò truncq; ex uno aliquo ſcriptore, ut & alia permulta, excerpſiſſe perſpicuum eſt. Is uero mihi uidetur huius menſuræ capacitatem cotylis Georgicis explicaſſe, quæ tredecim uncias menſurales & dimidiā capiūt, ut in ſequentibus oſtendam: continebat enim quæq; cotyle tres quartas ſextarij, atq; ita ſemper tres ſextarij quatuor tantum efficiebant cotylas. quocirca idem eſt dicere Choa Atticum duodecim eſſe cotylarū, quæ nouem capiunt uncias, ſiue octo, ut ille dicit, quæ tredecim & dimidiā. Tum etiam quod ita ſit intelligendum, ex Heſychio percipitur qui ſcribit. ἡμιδωδέκατον τὸ ἡμίχουν. Id eſt. Semiduodecima medimni pars Hemichus eſt. Ergo duodecima eſt idem quod Chus. Cum autem ea ipſa ſit quatuor chœnicum, ut infra explanabitur, Chœnix uero trium cotylarum, neceſſe eſt quod Chus ſit duodecim medicus medicarum, Georgicus Georgicarum. Quod fieri non poteſt, niſi Suidas & interpres Ariſtophanis cotylen accipiant Georgicā. Poſtremo proportio illa ſeſquialtera ſatis indicat Atticum Choa eſſe cotylarū Atticarum duodecim quam proportionem Georgicæ menſuræ omnes habent ad medicas, ut poſtea oſtendam. Itaq; niſi iſtis mouerer, dicerem Choa medicum duodecim eſſe cotylarum, Atticum octo. Sed alius repente nos pungit ſcrupulus. idem Suidas inquit. χοῦς δίξεστον. χᾶς γὰρ δύο ξέſται. χοεὺς δὲ ἕξ. Quibus uerbis ſignificat χοῦς unius ſyllabę circumflexum, eſſe duorum ſextariorum. χοεὺς uero diſyllabum accentus acuti, ſex. Quam differentiam eſſe commenticiam & futilem quilibet ex autoribus quos citauimus intelligere poteſt. Nam menſura eadem interdum χοῦς dicitur ab ipſis, interdum χοεὺς. Neq; fuit

ullus

ullus mea sententia Chus duorum sextariorum. Errorem uero librario, ut ego arbitror, ignoratio notarum attulit. scriptum erat χοίνικος hac nota ϫος. deinde διξέστου, declarationis causa· quod quispiam librarius legens χοὸς tanquã genitiuus esset à χοῦς hanc differentiam inter χοῦς & χοεὺς confinxit· quod nemini mirum uidebitur, qui aduertit in libello de ponderibus & mensuris ubi scriptum esse debet ὥστε τὸν μέδιμνον ἔχειν χοίνικας μη. à quodã qui notas legere nesciuit μνᾶς pro χοίνικας factum· erat uero hæc nota ϫ ας. Sed de his & similibus quisq; quod uelit statuat· ego nihil asseuero, ne quæ corrigere uoluerim, deprauasse dicar. Veri similia enim afferre soleo, quæ si quis leuia & infirma esse conuincat grauibus & firmis argumentis, non inuitus cedam. Certe libros deprauatos multam rebus obscuritatem attulisse, & ex ea deinde uarias & falsas opiniones exortas esse, nemo opinor, negabit. Quid uero hoc in loco faciemus, si non idem contigisse dixerimus? ac pro uno Choe Attico, secundo quodã partu natos quatuor? Primum duodecim cotylarum, qui uerus est. Alterum octo, qui aliquo sensu uerus esse potest. Tertium duorum sextariorum, id est cotylarum quatuor. Quartum huius dimidium, hoc est duarum cotylarum. Qui duo, si quid ego iudicare possum, ex notis quas homines rerum imperiti legere nesciuerunt nobis gignuntur. eò enim sua inscitia sunt progressi, ut modo non unius cotyles Atticum Choa constituerint. Vt deniq; finiam, Atticus Chus capax est sextariorũ sex siue cotylarum Atticarum duodecim. Nunc ad ξέστην qui inter mensuras Atticas receptus duplam proportionem habet ad cotylen, id est capit uncias decem & octo mensurales. Alciatus uolens Græcum sextariũ explicare, totidem quidem unciarũ esse dicit, sed ponderalium, quod satis ex unciæ interpretatione liquet, quæ cuiusmodi sit libro quinto in ponderibus Græcis expendam. Ego nescius sum præter Romanum sextarium alium ab autoribus explicatũ, quàm qui cotylas Atticas duas capit. Sed audiamus quibus sua probet. ait igitur. Sed & Græci ξέστην suum, quem sextariũ Plinius solet appellare, libræ esse scripserunt unius, itemq; semissis, sic Paulus Aegineta, sic & interpres Nicandri, sic & Suidas ipse in dictione Μέδιμνος prodidit. Hæc ille. Quæ Paulo Aeginetæ adiecta sunt, siue ipse, siue alius ea scripserit, Romanas mensuras explicant diuersis liquoribus refertas. inter quas olei sextarius pendit libram & semissem. Liquet uero inde etiam nonnihil Romanas esse, quod orditur sic: κεράμιον ἰταλικὸν id est Amphora Italica. Eadem explicatio mensurarum Romanarum est in libello de mensuris & ponderibus. unde conijcere possumus & hic utrunq; ab uno aliquo illa sumpsisse, aut alterum ab altero. Sed dicet quispiam, quid causæ fuit, cur Græci Romanas mensuras explicarint? Est quod huic respondeamus. Nonnulli Græci, qui Romæ medicinam exercuerunt scripserunt

libros

libros de medicamẽtis in quorum compositionibus siue mixturis Romanas mẽsuras usurparũt, partim eas Atticis, partim latinis nominib. appellantes, ut paulo post ostendã · quod aũt olei sextarium nonnulli, qui explicarunt mensuras, tantum pendere scripserint, libro tertio declarabo. Deinde dicit Alciatus sic sentire interpretẽ Nicãdri, qui cum plura his uerbis nõ habeat. ὁ ξέστης ἔχει λίτραν. α. ἡμίσειαν. Id est. Sextarius habet libram unam & semissem, non potest satis intelligi quid sibi uoluerit. Si enim põderales acceperimus de Romano sextario, olei pleno, est dictum, si mẽsurales de Attico. Porrò Suidas intellexit mensurales, unde etiam Atticum sextarium, ut in aridis exponam. Pergit Alciatus. Huic sententiæ etiam accessit Serapion Arabs medicus qui apud Dioscoridẽ libro primo capite de pinu, quod Græce legitur tres cyathos, quatuor uncias ipse transtulit, constat autem cyathos duodecim in sextario esse. Sic ille. Ex quibus efficitur sextarium Græcum sedecim unciarum esse, quod nemo prodit · reddunt igitur hæc Serapionis, ipsius Alciati sextarium Græcum magis ambiguum quàm certũ. Budæus autem mensuras Romanas & Atticas adeo putat easdem, ut eò deueniat tandem, ut credat Parrisios suos etiam Solonis mensuris & ponderibus uti, quia arbitratur se probasse, ipsos uti uel hodie Romanis. Nũc ad Cotylen Atticam, quæ medicis potissimum fuit in usu Galeno teste qui libro primo de compositione medicamentorum secundum genera sic scribit. ἐκ πολλῶν φαρμάκων πάλαι συγγεγραμμένων, πρὶν εἰς τοσοῦτο δυνάμεως ἠυξῆσθαι τὰ ῥωμαίων, ἐστοχασάμην, ἣν ὀνομάζουσι ἐκεῖνοι κοτύλην, ἴσην εἶν ταῖς κατὰ τὴν νῦν ἐν ῥώμῃ λίτραν οὐγγίαις ἐννέα. Id est. Ex multis medicamentis olim conscriptis, priusquam res Romanæ in tantam potentiam uenirent, conieci, quam illi nominant Cotylen. parem esse uncijs nouem libræ Romanis nunc usitatæ. Idem libro sexto eiusdem operis. εἰκὸς οὖν ἐστι τὸν ἀνδρόμαχον. θ. τῶν μετρικῶν οὐγγιῶν ἀξιοῦν ἐμβάλλεσθαι τὸ κίκινον ἔλαιον. ὡς γίγνεσθαι τῶν ἓξ κοτύλων οὐγγίας. νδ. μετρικὰς. ὅπερ ἐστὶ ταυτὸν λίτραις μετρικαῖς ῥωμαϊκαῖς δ'. ἐς ς'. Id est. Consentaneũ igitur est Andromachum nouem unciarum mensuralium oleum ricininum censere esse inijciendum, ut sex cotylę fiant unciæ mẽsurales quatuor & quinquaginta. quod idem est quod libræ mensurales Romanæ quatuor & dimidia. Hæc ille. Ex quibus intelligitur medicos maxime usos Cotyle Attica atq; ita etiam alijs mensuris secundum proportionem quam habẽt ad cotylen. Quin etiam Plinius idem sentit scribens. Ferè enim Attica obseruatione medici utuntur. Vnde ego motus has mensuras medicas appellaui. Sed hoc tamen in uniuersum uerum non est. nam ijdem Græcorum medici interdum Romanis utuntur mensuris nõ mutata capacitate. Hinc Plinius recte & prudenter dixit ferè. Id ipsum uero probandum censeo uerbis autorum. Sic usurpat Amphoram Romanã Dioscorides libro quinto de

uino absinthite. οἱ μὲν ἢ τρὶς.μ. καὶ.η.ξέσταις τῶν ἰταλικῶν κεραμίων μίξαν τες ἀψινθίου ποντικοῦ λίτραν μίαν. Id est. Hi quidem octo & quadraginta sextarijs Romanarũ amphorarum miscẽtes absinthij libram unam. Andromachus uero sic usus est congio Romano, quod declarat Galenus libro sexto de compositione medicamentorum secundum locos his uerbis. τὸ πλῆθος δὲ τοῦ χυλοῦ χοέος εἶναι κελεύει, τρυτέσι ξεστῶν. ς. τῶν ῥωμαϊκῶν ξεστῶν. Id est. Multitudinem succi choeos esse præcipit mensura, hoc est sextariorum sex Romanorum. Iubet enim Andromachus ex sententia Galeni, succum mali punici in medicamentũ inijcere mensura congij, qui Romanis est sex sextariorum. Subijcit nanq; ἐν ῥώμῃ γὰρ ἰατρεύσας τὰ πάντα τρὶς τῆς πόλεως ταύτης χρῆται μέτροις. quod est. Cum enim Romæ medicinam exercuerit omnino huius urbis utitur mensuris. Verum non modo sic interdum usi sunt Choe pro Congio Romano, qui uincit Atticũ integra libra, & xeste pro sextario Romano, qui Atticũ superat duabus uncijs mẽsuralibus, sed & Heminæ uocabulo, licet raro, omnino Romanã mensurã indicare cum uellent. ut idem Andromachus iunior apud Galenũ de compositione medicamentorum secundum locos libro 7. εἶτα ἐπίβαλε στροβύλων πεφωγμένων ἡμίναν. Hoc est. Deinde inijce nucum pinearum exiccatarum heminam. Epicharmi quoq; uerba commemorantur hæc ab Athenæo libro undecimo. καὶ πιεῖν ὕδωρ διπλάσιον χλιαρὸν ἡμίνας δύο. Id est. Et bibere aquam duplam calidam heminas duas. Et Sophronis κατάστρεψον τέκνον τὴν ἡμίναν. Hoc est. Subuerte puer heminam. Hinc conijcere licet iam olim Græcos hac uoce Italica usos, quam Diodorus in libro de uocibus Italicis est interpretatus, ut idẽ Athenæus scribit. Ista exempli loco satis nunc sint. in quibus non obscure cernimus, Græcos etiam, potissimum medicos, Romanas mensuras usurpare, easq; aliquando significare Romanis uocabulis, aliquando suis, sed ferè adijcientes differentiæ causa ῥωμαϊκὸν uel ἰταλικὸν. Quidam igitur cum dicunt cotylen, nihil aliud intelligi uolunt quàm nouem uncias mensurales, quæ est Attica. Alij decem, quæ est Romana hemina, Nonnulli libram mensuralem Romanam. Cum enim inuenirent apud latinos librã pro mensura, neq; uellent dictione Romana uti, neq; haberent ipsi mensuram, quæ illi prorsus responderet, cotylen ut quæ proxima in capacitate esset, transtulerunt. Licet Galenus ac alij quidam non spreuerint Romanam uocem, sed ea ambiguitatis causa uitandæ uti maluerint. Fuerũt nanq; Romanis insignes medici, Antonius Musa. Aelius Gallus. Cassius. Apuleius Celsus. Scribonius Largus. Valens, ac alij nonnulli, ex quibus non pauca medicamenta in suam linguam Græci cõuerterunt. Sed quod ita cotyle interdum utantur Galenus ostendit lib. sexto de compositione medicamentorũ secundum genera de Andromacho filio loquens. πάντως γοῦν ἐχρὴν αὐτὸν τῆς ῥωμαϊκῆς λίτρας

μνη

μνημονεῦσαι. νυνὶ δὲ κοτύλας γράφει, τὴν συνήθη περὶ τοῦ μέτρου τούτου κα
ταλιπὼν ἡμῖν ἀμφιβολογίαν, εἴτ' ἐννέα μετρικῶν οὐγγιῶν, εἴτε δώδεκα βού
λεται τὴν κοτύλην εἶναι. Id est. Omnino certe oportebat ipsum Roma-
næ libræ mentionem facere · nūc autem cotylas scribit usitatam de hac
mensura ambiguitatem nobis relinquens, an nouem unciarum mensu
ralium an duodecim cotylen esse uelit. Sed planius id dicit libro quin-
to eiusdem operis. καὶ ἤδη καὶ πᾶν τοῦτο πρόσθεν εἶπον ἐν τῷ πρώτῳ τῶν
δὲ τοῦ ὑπομνημάτων, ὡς ἐγχωρεῖ καὶ τοῦ ἰταλικῶν οὐγγιῶν. θ. τὴν κοτύλην
εἶναι, καθαπέρ τινὲς ὠήθησαν. ἐγχωρεῖ δὲ καὶ ιβ. ἐμβάλλειν, ὡς ἄλλοι κελεύου
σιν. Quod est. Atqui totum hoc iam ante dixi in primo libro horum
commentariorum, quod licet Cotylen nouem unciarum Italicarū esse,
ut quidam putarunt · licet autem & duodecim inijcere, ut alij iubent.
Hæc ille. Qui igitur nouem immittūt Atticam accipiunt cotylen, qui
duodecim, librā Romanā eòloci significari arbitrantur. Clarissime de-
niq; id ipsum apparet ex his Galeni uerbis quę sunt in libro quarto de
tuenda sanitate. ἔστω δὲ τὸ μὲν ἔλαιον, ἕντι τοῦ χαλαστικῶν. οἷον περὶ ἐν ἰταλίᾳ
τὸ σαβῖνον. ἐμβαλλέσθω δ' εἰς τὰς εἴκοσι καὶ πέντε κοτύλας, μόδιος ἰτα
λικὸς τοῦ σπέρματος τῆς ἐλάτης. οὐσῶν δὲ τοῦ κοτυλῶν ἰταλικῶν ἃς δὴ καὶ
λίτρας ὀνομάζουσι. Id est. Esto uero eius generis oleum cui relaxandi
uis insit, cuiusmodi in Italia Sabinum est. Conijcies autem in quinq;
& uiginti Cotylas seminis abietis modium Italicum. Sint uero cotylæ
Italicæ, quas utiq; & libras nominant. Perspicuū igitur est quod Græ-
ci medici nōnunquam Cotyle sint usi pro libra mensurali. Galenus ta-
men ac alij quidā libræ uocabulo frequentius utuntur. Sed Guarinus
Veronensis & Gregorius Tiphernas excusari non possunt, quorum
alter in Strabone δεκακοτύλους transtulit decem librarū, alter ἀττικὴν
κοτύλην acetabulum Atticum, nec Laurentius Valla qui in Herodo-
to κοτύλην Sextarium interpretatur, siue Atticam siue Georgicā ac-
ceperis. Habuerunt enim hi Romanam uocem Heminam qua, quod
ad eam proxime accedat, potuissent uti, si hoc uerbum omnino red-
dendum putarunt. Postremo quidam medici uel quia abhorrerent
à uoce sextarij, quæ Romana est, uel quia non haberent mensuram
per quam proprie redderent, cotyles uocabulo pro ea sunt usi · quemad
modum etiam Plutarchus, ut supra indicaui, locum Liuij uertēs. Hoc
ipsum uero Galenus quoq; mihi uidetur ostendere libro sexto de com
positione medicamentorum secundum genera. quem locum quia di-
uersæ significationis cotyles ibi meminit, omnino ascribendum puta-
ui. οἱ μὲν οὖν πλεῖστοι τοῦ γραψάντων περὶ μέτρων καὶ σταθμῶν. θ. φασὶν οὐγγιῶν
τοῦ ἐκ τῆς ῥωμαϊκῆς λίτρας, τὴν ὑπὸ τοῦ ἰατρῶν ἐν ταῖς φαρμακίτισι βίβλοις
γεγραμμένην κοτύλην. ἄλλοι δὲ τὴν τοῦ. ιβ. φασὶν οὐγγιῶν ὑπ' αὐτῶν λέγε
σθαι. καθάπερ ἐν ῥώμῃ τὴν λίτραν τοῦ ἐλαίου συνήθως ὀνομάζουσιν. ἤδη δέτι-
νος ἤκουσα λέγοντος ἑκκαίδεκα οὐγγίας ῥωμαϊκὰς ἔχειν τὴν ἐν ταῖς φαρ-

μαλίστα βίβλοις γεγραμμένην ὑπὸ τ ἰατρῶν κοτύλῃ. Id est. Itaq; maxima pars eorum qui de mensuris & ponderibus scripserunt, nouem dicunt unciarum libræ Romanæ Cotylen definitã à medicis in libris de medicamentis conscriptis. Alij autem duodecim unciarum dicunt ab ipsis dici, sicut Romæ olei libram de more appellant. Audiui uero quendam qui cotylen dicebat habere uncias sedecim definitam à medicis in libris de medicamentis scriptis. Hæc ille. Libro autem primo eiusdem operis adijcit ἥμοιρον ut prorsus fiat sextarius Romanus: ait uero. ῥᾳδίως δ' ἀκριβοῦσθαι, κἂν ἑκκαίδεκα καὶ ἥμοιρον ὑγιὰς τῶν κοτύλην ἔχειν ὑποθώμεθα, καθάπερ τινὲς φασί. Hoc est. Facile autem decidit. licet sedecim uncias & duas eius partes cotylen habere statuamus, quemadmodum nonnulli aiunt. Sed dicet quispiã, quomodo pro sextario Romano acceperunt, cũ tres unciæ atq; tertia ipsius pars desint integro sextario, qui est unciarũ uiginti? id libro sequenti exponã. nũc satis sit hãc uarietatẽ cotyles indicasse. qua considerata medici qui Græcos legũt diligẽter debẽt aduertere, quid cuiq; compositioni cõueniat, aut quæ nã uires medicamẽtorũ è mutata cotyle soleãt oriri, Hæc de cotyle. Hic uero mihi cũ Portio prorsus negotij nihil est, neq; cũ Budæo, qui de Græcis nihil fixũ statuere se posse dicit: quandoquidẽ Plinius id præstare nõ potuit. quippe cũ nec ipsis Græcis de ea re cõueniat: quæ pro locorũ, urbiumq; uarietate ac temporũ fortasse identidẽ euariarũt. Sic Budæus. Cum Alciato autem parum habeo negocij, qui Græcos suo sextario decem & octo uncias attribuere scribit, unde fit cotyle nouem unciarum: si igitur uncias, ut paulo ante dixi, intellexisset mensurales, quemadmodum ponderales tantum nouit, uere dixisset, modo explicasset etiam qui Græci, sed hoc fortasse leuius. illud fortuitum, quod non sentiens bis Atticum sextarium explicauit. primo cum ait Romanũ pendere uncias quindecim: pendit enim tot uncias Atticus oleo, ut dicam libro sequenti, refertus, minime uero Romanus. deinde cum decem & octo unciarum asserit Græcum. Est enim tot omnino mensuralium Atticus. Hæc nunc sufficiant, nam supra eius argumenta, quibus probat sextarium Græcum, expendi. Atq; tantum de Atticis siue medicis mensuris liquorum: quas fateor, ut pondera diuidam libro ultimo huius operis, diuidi posse in Atticas puras, & medicas, quæ partim sint Atticę, patim Romanæ, sed ad Atticam rationem translatæ. Breuitatis tamen gratia id ipsum hic facere neglexi. Ne uero ista parte etiam quippiam desyderetur: Puræ Atticæ sunt. Metretes. Chus. Cotyle. Oxybaphon. Cyathus. Mystrum. Cheme. Cochleariũ. Medicæ autem & illæ & præterea Sextarius atq; quartarius, quorum huncipsi τέταρτον, illum ξέστην appellant. Iam aridorum mensuras eadem ratione trademus. ὁ μέδιμνος ἔχει χοίνικας. μη. ἡ δὲ χοῖνιξ κοτύλας γ. ἢ ξέστην ας'. ὁ δὲ ξέστης κοτύλας. β, ἡ δὲ κοτύλη ὀξύβαφα δ'. τὸ δὲ

ὀξύβαφον

ὀξύβαφον κύαθον ας'. ὁ δὲ κύαθος κοχλιάρια ι. Quod est. Medimnus capit chœnicas octo & quadraginta. Chœnix cotylas tres uel sesquisextarium. Sextarius cotylas duas. Cotyle oxybapha quatuor. Oxybaphon sesquicyathum. Cyathus cochlearia decem. Quoniam uero cotyle capit nouẽ uncias mensurales sequuntur hæc. Medimnus capit centum & octo libras. Chœnix libras duas & quadrantem. Sextarius uncias octo & decẽ. Cotyle nouem, Oxybaphon duas & drachmas duas. Cyathus sescunciam. Cochlearium drachmam unam, scripulum dimidium, grana duo & duas quintas grani. Hæ sunt Atticæ mensuræ rerum aridarum, medicis maxime in usu, quod rursus enitar probare. Medimnum capere octo & quadraginta Chœnicas in Georgicis pluribus explicabo, nunc hoc Suidæ sufficiat. Μέδιμνος μέτρον χοινικῶν μη. Id est. Medimnus mensura chœnicum octo & quadraginta. Hũc uero medicis in usu fuisse probare nequeo: magnis enim mensuris perraro utuntur. E Chœnice tamen is sequitur eidem Suidę sic scribenti, Μέδιμνος μέτρον ἐστὶν ξηρῶν οἷον πυρῶν ἢ κριθῶν. μέδιμνον δὲ μοδίων ς. ὡς εἶναι μέτρον ξεσῶν. οβ'. ἤγουν λιτρῶν. ρκ. Id est. Medimnus mensura est aridorum ut tritici uel ordei. Medimnus igitur modiorũ est sex, ut sit mensura sextariorum duorum & septuaginta, siue librarum centum et octo. Ita Suidas. Illud uero sex modiorum esse medimnum, de hoc nõ est intelligendum, sed de Georgico. nam ille medicus aut modiorum Romanorũ tantum est quatuor, ac supereſt sesquisextarius exacta ratione. Aut modius solum modo est sextariorũ duodecim Atticorum: quorum prius modiorum numerũ minuit, alterum capacitatem. neutrum uero cum ueritate cõsentit. Sed de his plura in Georgicis. In eadem sententia, in qua Suidas, est Alciatus qui ait. Censeo igitur Metretam, Cadum, Medimnum, Amphoram Atticam eiusdẽ fuisse ponderis. Hęc ille. Sed animos nostros reuocemus ad memoriam eorum: quæ supra de Metrete scripsi. nempe quod & ipse sextariorum sit duorum & septuaginta, & libras mensurales capiat centum & octo: unde prorsus eadem capacitas esset. Itaq; si uno eodemq; liquore implerentur mensuræ illæ, isq; penderetur, idem pondus proueniret. Sed quid de hac re sentiamus, in Georgicis statuimus uberius explanare. nunc ad Chœnica ueniamus: quã tres cotylas capere declarat Cleopatra his sce uerbis. χοῖνιξ ἔχει μέτρῳ ἡμῖν κοτύλας τρεῖς, σταθμῷ δὲ δραχμὰς. ρπ. Chœnix habet mensura cotylas tres, pondere uero drachmas centum & octoginta. Ex his licet primo cognoscere Chœnicem trium cotylarum medicis fuisse: deinde etiam tot, quot dixi, unciaru mensuralium. quod ipsum tamen melius intelligetur ex libro sequẽti, in quo rerum, quas metimur, tradam pondera. quot enim drachmas Cleopatra definit, tot pendit oleum. Igitur si Chœnix tres continet cotylas, continebit omnino sesquisextariũ. Quin etiam Dioscoridis & Plinij loci collati

lati sic chœnicem in usu fuisse demonstrant. Dioscoridis est de uino quod fit è palmis. Λαβὼν φοίνικας τὰς χυδαίους πεπείρους βάλε εἰς πυθάκνην τετρημένην ἐν τῷ πυθμένι καὶ ἐσφηνωμένην καλάμῳ πεπισσωμένῳ. τὸ δὲ τρῆμα λίνῳ βεβύσθω. ἐπίχεε δὲ τοῖς δέκα χοίνιξιν ὕδατος χόας. γ. Quod Plinius sic reddidit libro quartodecimo capite sextodecimo. Proximumq; ei è palmis quo Parthi & Indi utuntur & oriens totus. Maturarum, quas uocant & Chydæas, modio in aquæ congijs tribus macerato expressoq;. In decem chœnicum locum, modium substituit. Efficiunt enim decem Chœnices cotylas triginta, sextarios uero quindecim. Romanus autem modius, ut primo libro probaui, sedecim est sextariorum. Plinius non æstimans unum sextarium, modium transtulit, nolens Græca uoce uti. Quamuis minus etiam est, si in Dioscoride è Chœnicum partitione non statim Romanos sextarios colligas, sed primum Atticos, deinde ex his Romanos. Sed Laurentius Valla alioqui ob latinam linguam à barbarie uindicatam summa laude dignus, ualde errauit Chœnica uertẽs in Thalia Herodoti modium. Tum in sexto libro, qui inscribitur Erato, parum memor prioris opinionis δύο χοίνικας duo semodia reddit· quem Cœlius in opere antiquarum lectionum non satis diligenter antiquas mensuras excutiens sequitur. Porrò chœnice non raro utuntur medici. Nã Chrysermus apud Asclepiadẽ, ut Galenus refert libro octauo de compositione medicamentorum secundum locos, ait. ὀρόβων ἀληλεσμένων χοίνικα. Id est. Erui moliti Chœnicem. Apud eundem libro decimo Erasistratus inquit. καππάρεως ῥίζης κεκομμένης καὶ σεσησμένης χοῖνιξ εἷς. Id est. Capparis radicis concisæ & cribratæ Chœnix unus. Hinc fit ἡμιχοίνικον. Dioscorides de uino è ueratro. ἀρκευθίδων ἡμιχοίνικον. Hoc est. Granorum iuniperi dimidiam Chœnicem. Sequitur ξέστης siue sextarius, quo pro aridorum mensura sæpe numero usus est Galenus & alij quorum ipse medicamenta recenset. ut de compositione medicamentorum secundum locos libro primo. Μύρτων μελάνων ξέστην. α. σελίνου σπέρματος ξέστην. α. μυρσίνης ἀκρεμόνων ξέστην. α. ἀδιάντου ξέστου τὸ ἥμισυ. λαδάνου τὸ ἴσον. οἴνου μέλανος ξέστας. ς. Quod est. Myrti nigri sextarium unum, seminis apij sextarium unum: summitatum ramorum myrti sextarium unum· adianti dimidium sextariũ, ladani tantundem. uini nigri sextarios sex. Quod uero Cotyle sit rerum aridarũ mensura non desunt exempla, quæ id ipsum declarant: sed Asclepiadis nũc sufficiat, qui sic usus est apud Galenum eiusdem operis libro nono. Γλοίου κοτύλας. ς. λεπίδος δραχμὰς. ις. κικίδος κοτύλας. β'. Id est. Visci cotylas sex. squamæ æris drachmas sedecim. gallæ cotylas duas. Oxybapho sic usus est Dioscorides de thymoxalme scribẽs. θύμου λείου ὀξύβαφον. ἁλῶν ἴσον. Thymi tusi oxybaphon, salis tantundem. Galenus quoq; ait libro de cõpositione medicamentorũ secundũ locos

quinto

quinto πεπόρεως λευκοῦ ὀξύβαφον. Id est. Piperis albi oxybaphum. De cyatho satis sit hoc Dioscoridis, cæteris, quæ permulta sunt, relictis. ὁ δὲ μελιτίτης πρὸς. ε. χόας αὐστηροῦ γλεύκους, μέλιτος χοῦν ἕνα, καὶ ἁλὸς κύαθον ἕνα. Hoc est. Melitites uero fit adiecto ad quinq; cõgios austeri musti mellis congio & salis cyatho. Quod uero cochlearium sic sit in usu, audiamus hoc unum Galeni testimonium, quod scriptũ est in operis, iam sæpius citati, libro secundo. Critonis est compositio Σταφίδος ἀγρίας καὶ ὀριγάνου ἀνὰ ὀξύβαφον. νίτρου δραχμὰς. β'. λεῖα δίδου κοχλίου πλῆθος διαμασᾶσθαι, ἕως ἂν πληρωθῇ τὸ στόμα. εἶτα χανὼν ἐαυτῷ ῥεῖν. Id est Herbæ pedicularis & origani singulorũ oxybaphum, nitri drachmas duas, tusa da ad manducandum cochlearij mensura, usq; dum os saliua impleatur tum hians sinito effluere. Hæc de aridorũ mensuris. Nũc meo docendi more maiores mensuras in minores distribuam. Medimnus capit chœnices XLVIII. Sextarios LXXII. cotylas CXLIIII. oxybapha DLXXVI. cyathos DCCCLXIIII. cochlearia VIIIDCXL. Chœnix capit sesquisextarium, cotylas III. Oxybapha XII. cyathos XVIII. cochlearia CLXXX. Sextarius capit cotylas duas. oxybapha VIII. cyathos XII. cochlearia CXX. Cotyle capit oxybapha IIII. cyathos VI. cochlearia LX. Oxybaphon capit sesquicyathum. cochlearia XV. Cyathus capit cochlearia decem. Iam transeundum esset ad tertiam sermonis instituti de mensuris rerum aridarum partem, in qua difficiles locos consueui explicare, sed quia pauca hic occurrunt de alijs dicẽda, quæ de medimno dici possunt mox in Georgicis diligentius exponam. tum etiã ibidem excutiã quæ de Chœnice à scriptoribus sunt tradita nunc Alciati quędam expendam, qui sic scribit. Metron enim ut eius poetæ interpres attestatur præcipue Chœnica appellabãt, ex eo quod illa principium sit omnis ferè mensuræ: quapropter & à quibusdam libra dicta est, sed improprie. Sic ille. Primum recte ex Aristophanis interpretis sententia scripsit. A quibus uero Chœnix libra sit dicta neq; ille explicat, neque equidem scio. Pergit. Videtur Rhemnius Palæmon non ipsam Chœnicem, sed eius dimidiũ libram appellasse, dum Atticam libram commemorat ponderis drachmarum LXXV. Hæc quomodo Alciato uenerint in mentem conijcere nequeo. nec enim Fannius hoc sensit, neque uideri potest id sensisse, Dimidiũ enim Chœnicis illius sunt drachmæ centum & octo, cum uetus mina Attica, quam explicat Fannius, sit tantum drachmarũ quinq; & septuaginta. Subiungit deinde. Erat autem Chœnix, ut Iulius Pollux, & Suidas, & interpres Nicandri ait, cotylarum trium, id est, ut idem interpres inquit, septem & uiginti unciarum Græcarum, quantum uidelicet in dies singulos panis solebant seruis antiqui demetiri. Hæc ille. Quæ uera sunt, & de Chœnice Attica, quam medicam dicimus, scripta, modo intelligeret Alciatus uncias mensurales. Tandem ait. Vnde apparet Chœnicis Atticæ differentia

ab alia communi Græcorum Chœnice, quæ ſextariorũ quatuor erat. Hactenus Alciatus. Primum an Chœnix talis fuerit nec ne, forte non ſine cauſa in dubium uocari poſſet. Deinde ſi fuiſſe concedamus Græci cuiuſdam & interpretis Nicandri uerbis atq; Fannij uerſu moti, nemo certe ex illis communem Græcorum dicit: quare quibus in uſu fuerit prorſus eſt incertum. Palladius quidem Syrorum Chœnicis meminit, ſed eius capacitatem non explicauit. Quia uero nemo nobis nominat bonos autores qui ea communi Grecorum chœnice ſint uſi, dubitauerit quiſpiam an num ex Choe qui octo cotylarum eſſe traditur à Suida & Ariſtophanis interprete, nata ſit inſcitia librariorum alteram uocem pro altera ſcribentium, ut cõtra Choa ex illa ortam uideri poſſe ſupra dixi. Verũ de rebus incertis ut ego nihil definire uolo, ita quiſque iudicet, quod ipſi uidebit. Præſertim cũ in ea Chœnice non multũ ſitũ ſit, ut quæ neq; medica neq; Georgica mẽſura ſit. Iã ſatis de rerum aridarum menſuris. ex quibus ſi auferas ſextariũ puræ remanebũt Atticæ. Porrò liquet ex dictis quod rerum liquidarum tantum menſuræ fuerint medicæ. Metretes. Congius. Quartarius. Aridarũ ſolum Medimnus et Chœnix. Vtrarumq; Sextarius. Cotyle. Oxybaphum. Cyathus. Minores uero, ut dixi, in ſequenti libro, tertio huius operis, diligentius declarabo. Sequuntur Georgicæ menſuræ, quæ ſi rei ruſticæ ſcriptores ulli eſſent reliqui, dubio procul doctius & certius tradi poſſent. cum uero ne unus quidem integer in noſtras manus peruenerit, & γεωπονικὸν, Conſtantino dicatum, nos non multum iuuare poſſit, Cleopatræ fœminæ doctiſsimæ ſcriptis innitemur. Quoniam autem & hæ duplices ſunt, primo liquorum exponam. ὁ μὲν μετρητὴς ἔχει ἀμφορέας. β'. ὁ δὲ ἀμφορεὺς χόας. δ'. ὁ δὲ χοῦς ξέστας. θ. ἤτοι κοτύλας. ιβ. ἡ δὲ κοτύλη ὀξύβαφα. δ'. τὸ δὲ ὀξύβαφον κύαθον. ας'. ὁ δὲ κύαθος μύστρα δ'. Quod eſt. Metretes capit amphoreas duos. Amphoreus choas quatuor. Chus ſextarios nouem, ſiue cotylas duodecim. Cotyle oxybapha quatuor Oxybaphon ſeſquicyathũ. Cyathus myſtra quatuor. Cũ autem cotyle Georgica capiat tres quartas ſextarij, erit omnino capax tredecim unciarum menſuralium & dimidiæ. atq; ſecundũ hanc proportionem Metretes continet centũ & octo libras. Amphoreus quatuor & quinquaginta. Chus tredecim cum dimidia. Cotyle librã & ſeſunciam. Oxybaphon tres uncias & drachmas tres. Cyathus uncias duas & totidem drachmas. Myſtrum drachmas quatuor & dimidiam. Sic ſentio de Georgicis menſuris. Quod uero Metretes capiat duos amphoreas declarat Cleopatra quæ inter cætera ſic ſe in Georgicis inueniſſe ſcribit ἡ μὲν ἀμφορέα ξεσῶν. λς. κοτυλῶν. μη. τὸ δὲ μετρητὴν ξεσῶν. οβ'. κοτυλῶν. ϛ ς. Id eſt. Et amphorea: intellige inueni in Georgicis: ſextariorum ſex & triginta, cotylarum octo & quadraginta. Metreten uero ſextariorum duorum & ſeptuaginta, cotylarum ſex & nonaginta

naginta. Ex quibus quisq; rationem inire uolens intelliget Metreten duos amphoreas capere. Idē planè dicit interpres Nicandri his uerbis. ὁ ἀμφορεὺς ξέςας τριακονταέξ. ὁ μετρητὴς ξέςας ἑβδομηκονταδύο. Id est. Amphoreus capit sextarios sex & triginta. Metretes duos & septuaginta. Numerus enim ille sextariorum consequit̃ si in eos cotylas redegeris. Secundum locum obtinet amphoreus capiens quatuor choas, quod sic probari potest. Chus, ut iam ostendam, capit cotylas duodecim. Amphoreus uero, ut scribit Cleopatra, octo & quadraginta. in quibus quia calculis subductis quater duodecim esse uides sequit̃ amphorea choas quatuor continere. Vtit̃ aūt eo Aristophanes in Pluto. Οἱ δ' ἀμφορῆς οἴνου μέλανος ἀνθοσμίου. Id est.

Quin amphoræ nigri atq; odori Liberi.

Et Herodotus libro primo alterius crateris, qui Delphos una cum aureo à Crœso missus erat, capacitatē explicans, ait. ὁ δὲ ἀργύρεος ὠδὶ τοῦ προνηίου τῆς γωνίας, χωρέων ἀμφορέας ἑξακοσίους. Id est. Argenteus autem in angulo uestibuli templi capiēs amphoreas sexcentos. Apud eundem Lacedæmones dono mittunt Crœso cratera æneum μεγαθεῖ τριηκοσίους ἀμφορέας χωρέοντα. Hoc est. Capacitate trecentos amphoreas continentem. Chus uero duodecim cotylas capit, ut eadem Cleopatra explanat. τὸν δὲ χοῦν ξεςῶν. θ. κοτυλῶν δὲ. ιβ'. Rursus intellige in Georgicis inueni, Choa sextariorū nouem, cotylarum duodecim. Ad huius differentiam puto Galenum declarationis gratia adiecisse τουτέςι τῶν ξεςῶν ς'. quod est sextariorum sex. Addidit uero & ῥωμαϊκῶν ob eam causam, quam iam ante dixi. Sequitur Cotyle, nam sextarij capacitatis ipsius declarandæ gratia mentio facta est· quę comprehendit quatuor oxybapha siue tryblia. nam eædem hic sunt mensuræ, cum in medicis fuerint diuersæ. qua de re uideamus uerba Cleopatræ. τὸ τρυβλίον καὶ ὀξύβαφον ὁμοίως ἔχουσι κοτύλης τὸ δ'. Id est. Tryblion & oxybaphon similiter capiunt cotyles quartam. Hinc Aristophanis interpres in Equitibus scribit. τρυβλία δὲ τὰ ὀξύβαφα. Id est. Tryblia autem oxybapha. Et hæc recte. in auibus uero non manet in eadem sententia super hoc uersu.

Οξύβαφον ἐν τευθενὶ πρόσθου λαβὼν ἢ τρυβλίον. Id est.

Oxybaphon hinc acceptum appone aut tryblium.

Putat enim diuersum his uerbis ὅτι τὸ τρυβλίον μεῖζον τοῦ ὀξυβάφου. Id est. Quod tryblium maius oxybapho. Est namq; maius in medicis, nempe idem quod cotyle, ut tū declaraui. Hic uero in Georgicis eiusdem capacitatis est, cuius oxybaphum. quod sesquicyathum capere eadem Cleopatra ostendit iam supra dictis adiungens, κύαθος κοτύλης τὸ. ς'. Id est. Cyathus capit cotyles sextam. Si oxybaphon quarta est cotyles, cyathus autem sexta, nemo nō intelligit & hic oxybaphon capere sesquicyathum perinde ac in medicis mensuris. Sed quod cyathus

contineat

contineat quatuor myſtra uerbis Columellę rerum ruſticarum ſcriptoris probari poſſe arbitror qui hunc locum, quem & ſupra libro primo attuli, dubio procul è Græco ſuæ artis autore aliquo tranſtulit. inquit uero Pręterea fœnum Gręcum maceratur in uino uetere per triduum. deinde eximitur & in furno ſiccatur, uel in ſole. idq; cum eſt aridum factum molitur, & ex eo molito poſt ſaliturã muſti cochlear cumulatũ, uel ſimile genus poculi, quod eſt quarta pars cyathi adijcitur in binas urnas. Hæc ille. Quibus uerbis uoluit explicare μῦςρον· quod uero id ſit quarta cyathi declarat Fannij hemiſtichium.

At myſtrum cyathi quarta eſt.

Nunc dicendum quoties quæq; mẽſura ſe minorem capiat. Metretes continet amphoreas II. choas VIII. Cotylas XCVI. oxybapha CCCLXXXIIII. cyathos DLXXVI. myſtra MMCCCIIII. Amphoreus capit choas IIII. cotylas XLVIII. oxybapha CXCII. cyathos CCLXXXVIII. myſtra MCLII. Chus capit cotylas XII. oxybapha XLVIII. cyathos LXXII. myſtra CCLXXXVIII. Cotyle capit oxybapha IIII, cyathos VI. myſtra XXIIII. Oxybaphon capit ſeſquicyathum, myſtra VI. Cyathus capit myſtra quatuor. Reſtat ut declarem quot unciarũ menſuralium fuerit cotyle, quo cognito perfacile erit cuiuſq; menſuræ capacitatem conſtituere· ad ipſam enim referuntur omnes reliquæ non ſecus ac in Romanis ad ſextarium. Dixi uero eam trium eſſe quartarum ſextarij. quod ipſum aſſerit Cleopatra ſic ſcribens. ἐν δὲ τοῖς γεωργικοῖς εὗρον τὴν κοτύλην τριῶν εἶναι τετάρτων ξέςου. Id eſt. In Georgicis autem inueni Cotylen trium eſſe quartarum ſextarij. Quod uerum eſſe è menſurarum Georgicarum declaratione à nobis præmiſſa & eiuſdem Cleopatræ uerbis ſatis intelligi potuit. Itaq; cum ſextarius capiat libram & ſemiſſem, quemadmodum in medicis menſuris probaui, tres quartæ eius ſunt libra & ſeſcũcia, quarũ Cotyle Georgica eſt capax. Ad tertiã partem uenio, in qua conſueui difficilia quęq; pro ingenij mei uiribus explanare. Quamuis uero hoc in loco non multa Cleopatræ autoritati aduerſa ſint, aut eſſe poſsint, tamen nonnulla declarationis gratia adijcere non arbitror inutile fore ſtudioſis bonarũ literarum. Has menſuras Georgicas nominaui ſecutus eandem Cleopatram, quę in Georgicis eas ſe inueniſſe ſcribit. Videntur uero & hæ fuiſſe Atticæ, cuius rei indicium uel maximum puto, quod metreta, quæ omnium conſenſu Attica eſt menſura, atq; ob id etiam à Fannio Attica amphora appellatur, ſuæ ſit hic capacitatis: id eſt omnino eiuſdem cuius eam eſſe iam ante in medicis oſtendi. Alterum argumentũ eſt quod medimnus iſte Georgicus mox declarandus ſex capiat modios Romanos. id uero de Attico medimno dictum item in ſequẽtibus probabo. Tertium quod hæ menſuræ Georgicæ inueniantur ſeſquialteræ proportionem habere ad medicas. Itaq; cum Solon, ut Plutarchus in eius uita refert, auxerit

rit mẽſuras & numiſmata, per hoc uero & pondera, uideri poteſt menſuras tertia parte cõſtituiſſe capaciores. Vt quas medicas diximus, ueteres fuerint Atticæ, Georgicæ Solonis inſtituto in earum locum ſucceſſerint. Vtq; ueteres menſuræ medicis iam inde ab antiquo manſerint in uſu, quod ipſis non ſine difficultate mutentur in compoſitionibus menſuræ. & quod ad eorum artem mutatio menſurarũ reip. commodi cauſa facta nihil pertinebat, ut contra illa nihil accipiebat detrimenti, manentibus menſuris medicinæ uſitatis. Georgicæ autem reliquis in uſu eſſe ceperunt. Verba Plutarchi ſunt. καὶ ἅμα τούτῳ γενομένην τῶν τε μέτρων ἐπαύξησιν, καὶ τῶν νομίσματος τιμήν. ἔκαττον γὰρ ἐποίησε δραχμῶν μνᾶν, πρότερον ἑβδομήκοντα καὶ τριῶν οὖσαν. Id eſt. Et ſimul menſuras auctas & monetã maioris precij factam. Centũ enim drachmarum minam conſtituit, quæ ante erat trium & ſeptuaginta. Idem intelligitur ex his uerbis Andocidis, quæ ſunt in oratione de myſterijs inſcripta. ἔδοξε τῷ δήμῳ, πολιτεύεσθαι Ἀθηναίους κατὰ τὰ πάτρια. νόμοις δὲ χρῆσθαι τοῖς Σόλωνος, καὶ μέτροις, καὶ σταθμοῖς. χρῆσθαι δὲ καὶ τοῖς Δράκοντος θεσμοῖς, οἵωπερ ἐχρώμεθα καὶ τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ. Id eſt. Viſum eſt populo, dixit Tiſamenus, ut Athenienſes regerentur patrio more. Legibus aũt uterenẽ Solonis & menſuris ac ponderibus. Vterentur uero & Draconis inſtitutis, quibus anteactis temporibus uſi ſumus. Sed Solonẽ Plutarcho & Andocide cõfiſus aio mẽſuras auxiſſe. In has uero Georgicas mutaſſe ueri ſimile mihi uidetur, quod argumentis dictis Atticæ comprobentur. non tamen id ſine ſcriptoris alicuius teſtimonio aſſeuerandũ puto. Quod uero proportionem ſeſquialteram habeant Georgicę ad medicas exponam. Cotyle Georgica capit uncias tredecim & dimidiam. Attica nouem. Nemo autem niſi prorſus rudis arithmeticæ nõ uidet ſeſquialteram proportionem eſſe tredecim & dimidij ad nouẽ. Sic Chus Georgicus capit duodecim cotylas Georgicas, quæ efficiunt nouem ſextarios. Chus uero medicus duodecim cotylas nouem unciarũ, quæ ſex conſtituunt ſextarios. Nouem autem ad ſex proportionem habent ſeſquialteram. Oxybaphum item Georgicum capit uncias tres & drachmas tres. Medicum uncias duas & drachmas duas. Iterũ proportio eſt ſeſquialtera. Cyathus quoque Georgicus capit uncias duas & drach. duas. Medicus ſeſcunciã. Eadem eſt proportio. Poſtremo myſtrum Georgicum comprehendit drachmas quatuor & dimidiam. Medicum drachmas tres. Manet & hic proportio ſeſquialtera. Vt uero Georgicæ menſurę ad medicas habent proportionem ſeſquialterã, ita mina Attica Solonis ad ueterem ſupertertiam. Vnde non uidetur ſi ſic auxit menſuras eandem proportionem ſeruaſſe. Id autem mirum eſt, inter Romanam amphoram & Metreten Atticum etiam proportionem eſſe ſeſquialteram. nam Metretes ſextarios duos & ſeptuaginta, Amphora octo & quadraginta

continet

continet. In hoc uero solum differunt quod sextarius Romanus Attico sit capacior. Itaq; his consideratis aliquis non immerito dubitare posset, an non ueteribus alius quàm Georgicus ille fuerit amphoreus, à quo Romani suam amphorã acceperint, & ad cuius proportionem Metretes auctus fuerit. Quo incremento facto manserit amphoreus dimidiũ metretæ, ut apud Romanos urna amphoræ. Sed in rebus dubijs sine autoritate nihil est affirmandũ. Metretes autem hic capit choas octo, quorum quilibet est duodecim cotylarum Georgicarum, siue nouem sextariorum. octo igitur Choes efficiunt duos & septuaginta sextarios. In medicis autem mensuris Metretes duodecim Choas continet, quorum singuli sunt sex tantum sextariorum. ex eo iterum inita ratione duo & septuaginta sextarij proueniunt. quocirca eiusdem planè capacitatis esse medicus Metretes & Georgicus intelliguntur. Iam tempus est ut ad aridarum rerum mensuras Georgicas transeamus. Ο μέδιμνος ἔχει ἡμιμεδίμνους μὲν. β'. τριτέας δὲ. γ. ἑκτέας δὲ ἕξ. ἡμίεκτα δὲ. ιβ'. ἡμιδωδέκατα δὲ. κδ'. χοίνικας δὲ. μη. ἡ δὲ χοῖνιξ ἔχει κοτύλας. γ. ἡ δὲ κοτύλη ὀξύβαφα. δ'. τὸ δὲ ὀξύβαφον κύαθον ας'. ὁ δὲ κύαθος μῦστρα δ'. Id est. Medimnus capit semimedimnos duos. Tertiarios tres. Sextarios sex. Semisextarios duodecim. Semiduodecimas partes quatuor & uiginti. Chœnicas octo & quadraginta. Chœnix uero capit cotylas tres. Cotyle oxybapha quatuor. Oxybaphum sesquicyathum. Cyathus mystra quatuor. Sed quia Cotyle capit uncias mensurales tredecim & dimidiam. Medimnus centum sexaginta duas libras. Semimedimnus unam & octoginta. Tertiarius medimni quatuor & quinquaginta. Sextarius medimni septem & uiginti. Semisextarius medimni tredecim & dimidiam. Semiduodecima pars medimni sex & uncias nouem. Chœnix libras tres uncias quatuor & dimidiã. Cotyle librã unam & sescunciam. Oxybaphum tres uncias & drachmas tres. Cyathus duas uncias & drachmas duas. Mystrum drachmas quatuor & dimidiam. Sic sentio de Georgicis rerum aridarum mensuris. Reuertar nunc ad medimnum qui rerum aridarum mensura est maxima ut Metretes liquorum. Legitur autem medimnus et medimnum, atq; sic in neutro Cicero potius utitur. Eius dimidium est ἡμιμέδιμνος Tertia pars τριτεὺς, quod est Tertiarius. Sexta ἑκτεὺς, quem Sextarium medimni interpretamur, ut à Congij sextario, quem sine alterius uerbi appositione sic appellamus, discerni possit. Græci tamẽ facile distinguunt, ut qui duo diuersa uocabula habeãt alterum planè Græcum ἑκτεὺς. alterum è Romano corruptũ ξέστης Cuius sextarij medimni dimidium est, quod & uocis compositio indicat, ἡμίεκτον. siue ut Aristophanes ἡμιεκτέον. id est dimidius sextarius medimni. Guarinus qui in uita Syllæ apud Plutarchum non adiecit medimni à latine tantum doctis intelligi non potest. est uero duodecima pars medimni.

Hinc

Hinc dimidium eius ἡμιδωδέκατον appellatur id est Semiduodecima quod quarta & uicesima pars sit medimni. Semiduodecima deniq; capit duas Chœnicas, nam medimnum octo & quadraginta. Sed hæc omnia ferè interpres Aristophanis his uerbis declarat in commentarijs in Nubes. ὁ δὲ μέδιμνος χοίνικας ἔχει μη. τούτων τὸ ἕκτον ὀκτὼ, τὸ ἥμισυ τοῦ ἕκτου τετάρτοις τῶν ὀκτὼ, τὰ τέσσαρα. ὃ καλεῖται τετράμετρον. ὁ δὲ ἡμίεκτος τέσσαρας ἔχει χοίνικας. Id est. Medimnus chœnicas capit octo & quadraginta. horum sexta pars, octo. dimidia sextæ, id est octo, quatuor, quod tetrametrum appellatur. Igitur Semisexta quatuor habet Chœnicas. Et paulo post iterum de medimno scribit. τούτου δὲ τὸ ἕκτον ἐστὶν ὀκτὼ χοίνικες. τὸ δὲ ἡμίεκτον τοῦτοις τὸ δωδέκατον τῶν ὀκτὼ πρὸς τοῖς τεσσαράκοντα, χοίνικες τέσσαρες. Id est. Huius igitur sexta pars sunt octo Chœnices. Semisexta uero id est duodecima octo & quadraginta Chœnicum, quatuor existunt Chœnices. Hæc Aristophanis interpres. idem sentit de his Suidas, sicut de plerisq; alijs. ita ut alter ab altero, aut certe uterq; ab uno aliquo autore descripsisse uideatur. Sunt uero eius uerba, ἡμιεκτέον μέτρον. οὗτος δέ ἐστι δ'. χοινίκων. ὁ γὰρ μέδιμνος μη. χοινίκων ἐστί. τούτων δὲ τὸ ἕκτον ἐστὶν η. χοίνικες. τὸ δὲ ἡμίεκτον, τοῦτοις τὸ δωδέκατον τῶν μη χοινίκων, τέσσαρα. τοῦ μεδίμνου ἔχοντος χοίνικας μη. τὸ ἡμιμέδιμνον τὰς κδ'. ἔχει. ἡμίεκτον δὲ τὸ χοῦς. δ'. χοίνικας. τὸ γὰρ ἕκτον χοίνικες ὀκτώ. Id est. Semisexta pars mensura. hæc uero est quatuor chœnicũ. Medimnus enim octo & quadraginta Chœnicum est. Horum igitur sexta pars sunt octo Chœnices. Semisexta uero, id est duodecima octo & quadraginta Chœnicum, quatuor sunt. medimno capiente octo & quadraginta chœnicas, dimidius medimnus scilicet quatuor & uiginti capit. Semisexta autem quatuor chœnicum capax est, Sextarius enim medimni chœnicas capit octo. Sic etiam interpres Nicandri. ἔχει χοίνικας. μη. τὸ ἡμιμέδιμνον ἔχει χοίνικας κδ'. Id est. Medimnus continet Chœnicas octo & quadraginta. Dimidius medimnus quatuor & uiginti. Quamuis ibidem corrupte, ut pleraq; alia, legatur λίτρας cum χοίνικας debeat legi. Pollux præterea libro quarto capite tertio & uicesimo. ὁ δὲ μεδίμνῳ χοίνικες ὀκτὼ καὶ τεσσαράκοντα. ὁ δὲ ἡμιμέδιμνος, τέσσαρες καὶ εἴκοσι. ὁ δὲ τριτεύς, ἑκκαίδεκα. ὁ δὲ ἕκτεύς, ὀκτὼ. τὸ δὲ ἡμίεκτον, τέσσαρες. Id est. Medimnus est octo & quadraginta chœnicum. Dimidius medimnus quatuor & uiginti. Tertiarius medimni sedecim. Sextarius eiusdem, octo Dimidius sextarius medimni, quatuor. Postremo Harpocratio, qui λεξικὸν decem rhetorum scripsit, inquit. τὸ μεδίμνου ἔχοντος χοίνικας τεσσαράκοντα ὀκτὼ τὸ χοῦς εἰκοσιτέσσαρας χοίνικας ἡμιμέδιμνον ἐστὶν. ἡμίεκτον δὲ τὸ χοῦς τέσσαρας χοίνικας, τοῦ ἕκτου, ὅπερ ἐστὶ χοίνικες ὀκτὼ, τὸ ἥμισυ. Hoc est. Cum medimnus capiat octo & quadraginta chœnicas, dimidius medimnus quatuor & uiginti chœnicum capax est.

Dimidius uero ſextarius medimni capit quatuor chœnicas, utpote qui dimidium ſit ſextæ partis, qui ſunt chœnices octo. Fortaſſe alicui uiſus ſum fuiſſe nimius in tot ſcriptoribus, tanquam teſtibus in una eaq́ re citandis. Is uero ſciat ideo à me factum, ut hi ſi non authoritate & præſtantia, uincerent ſaltem cõſenſione & numero. Ex his igitur omnibus illud perſpicuum eſt, medimnum primo in duos ſemimedimnos diuidi: quem uero Tertiariũ medimni nuncupamus, ipſius tertiam eſſe partem, ut Sextarium, ſextam. Dimidium ſextariũ, ſiue ſemiſextam, duodecimam. Dimidium duodecimæ, quartam & uiceſimam. Deinde quia medimnum capit chœnicas octo & quadraginta, dimidium medimnum capere quatuor & uiginti. Tertiarium medimni, ſedecim. Sextarium eiuſdem, octo. Semiſextam, quatuor. unde & tetrametrum dicitur. quod Ariſtophanis ioci ſatis indicant in Nubibus.

Γρίδου νῦν ἐμοί,
εἰ μὴ τετράμετρόν ἐστιν ἡμιεκτέον. Id eſt.
Quin iam licet certare poſito pignore
An Hemiecteon tetrametrum non ſiet.

Nam Chœnica metri ſignificabant nomine. Ea uero tres capit cotylas. quod ante quoq́ in medicis probaui, & non minus Iulius Pollux confirmat ſic ſcribens. κοτύλη δὲ ἡ τρίτον τῆς χοίνικος. Hoc eſt. Cotyle tertia Chœnicis pars eſt. Ab hac fit ἡμιχοίνικον id eſt dimidia Chœnix, quo utitur Dioſcorides. δίχοινικον, quo Ariſtophanes. τριχοίνικον & ϖϛπαχοίνικον, ut habet Pollux, id eſt mẽſura duorum, trium, quinq́ chœnicum. ἄρτος etiam τριχοίνικος id eſt panis trium chœnicum apud Xenophontem libro ſeptimo de Cyri aſcenſu ad Babylonem. Eſt autem ſolum menſura rerum aridarum, utitur uero ea crebro Ariſtophanes in Veſpis.

ἔλαβες κρι χοίνικα κριθῶν. Id eſt.
Capiebas chœnice ordei
medimna ſcilicet. & in Pace
Δοίην ἂν αὐτῶν ἰσχάδων τρεῖς χοίνικας. Id eſt
Dedero equidem pro ipſis caricum tres chœnicas.
In Concionatricibus
ἡμῶν ἀρτίσειν καρεβίνθων χοίνικα. Id eſt.
Multam daturam nobis ciceris chœnicem.

Hæc de Chœnice ſufficiunt. Cotylen quatuor capere oxybapha, ipſum uero ſeſquicyathum, Cyathum quatuor myſtra, iam ante ſatis declaratum eſt in liquorum menſuris, nunc dicendum quoties maior unamquamq́ ſe minorem capiat. Medimnum capit ſemimedimna II. Tertiarios III. ſextarios VI. dimidios ſextarios XII. Semiduodecimas XXIIII. chœnicas XLVIII. cotylas CXLIIII. oxybapha DLXXVI. cyathos DCCCLXIIII. myſtra IIII CCCCLVI. Dimidium medimnum capit

tertia

tertiarium cum dimidio, ſextarios III. dimidios ſextarios VI. ſemiduo decimas XII. chœnicas XXIIII. cotylas LXXII. oxybapha CCLXXXVIII. cyathos CCCCXXXII. myſtra MDCCXXVIII. Tertiarius medimni capit ſextarios II. dimidios ſextarios IIII. ſemiduodecimas VIII. chœnicas XVI. cotylas XLVIII. oxybapha CXCII. cyathos CCLXXXVIII. myſtra MCLII. Sextarius medimni capit dimidios ſextarios II. ſemiduodecimas IIII. chœnicas VIII. cotylas XXIIII. oxybapha XCVI. cyathos CXLIIII. myſtra DLXXVI. Dimidius ſextarius medimni capit ſemiduodecimas II. chœnicas IIII. cotylas XII oxybapha XLVIII. cyathos LXXII. myſtra CCLXXXVIII. Semiduodecima medimni pars capit chœnicas II. cotylas VI. oxybapha XXIIII. cyathos XXXVI. myſtra CXLIIII. Chœnix capit cotylas III. oxybapha XII. cyathos XVIII. myſtra LXXII. Cotyle capit oxybapha IIII. cyathos VI. myſtra XXIIII. Oxybaphon capit ſeſquicyathum. myſtra VI. Cyathus capit myſtra quatuor. Reſtat iam tertia tractationis pars, ut igitur & hanc abſoluamus reuertamur ad medimnum. Hoc proportionem ſeſquialteram habet ad medimnum iam ante in medicis mẽſuris declaratum, quam proportionem & reliquæ menſuræ rerum aridarum inter ſe collatæ ſeruant. Verum eò pluribus teſtibus comprobaui medimnũ octo & quadraginta chœnicas capere: deinde Chœnica tres continere cotylas, quò magis appareat explicationem Medimni Cleopatræ nonnihil deprauatam, ubi legitur γρ δὲ μέδιμνον ξεσῶρ. ρβ'. κοτυλῶρ ρλς. Rurſum intellige in Georgicis inueni. Medimnum uero ſextariorum centum duorum, cotylarum centum triginta ſex. Primum enim ſi hoc conceſſo chœnicem capere tres cotylas, ſubducemus rationem, erit medimnum tantummodo chœnicum quinq; & quadraginta & unius tertiæ. quod omnium conſenſu, qui medimnum in chœnicas diſtribuerunt, falſum comprobatur. Deinde ſi alterũ dederimus illud, medimnum capere chœnicas octo & quadraginta, & tum ineamus rationem, non erit chœnix trium, ſed duarum cotylarum, & quinque ſextarum cotyles. quod nihilominus eſt alienum à ueritate. Arbitror ergo locum corruptum iſto modo. Librarius legens ξεσῶρ ϛ. ſimilitudine ſoni quæ eſt inter. β'. & .γ. deceptus. β'. pro. .ϛ. ſcripſit, uel ſimilitudine figuræ ſolent enim non admodũ diſſimiliter pingere utramq; literam, maxime celeriter ſcribentes, ut in καφίκαφος. tum alius obſeruãs in Georgicis tres ſextarios efficere quatuor cotylas, & ſecundam explicationis partem corrigere uolens, pro κοτυλῶρ ϛμδ'. ſcripſit, quo res congrueret, ρλς. quamuis & hic error ob ſimiles quoſdam ductus literarum allatus eſſe uideri poteſt. Eiuſmodi uero permultos errores ſimilitudinem ſoni uel figurę literarum, ſæpenumero creaſſe in caſtigationibus, quas in Galenum & Hippocratem ſcribam, teſtimonio ueterum codicũ demonſtrabo. Sic igitur legendũ cenſeo. γρ δὲ μέδιμνον

ξεσδρ.ρμ.κοτυλῶν ρμδ'. Id eſt. Medimnum uero ſextariorum centum & octo. cotylarum centum quadraginta quatuor. Sed aliam difficultatem nobis affert Herodotus, quam Budæus uir diligens ante me obſeruauit, ne quemquam ſciens ſua debita laude priuem. Ait enim in Polyhymnia numerum exercitus Xerxis colligens. οὕτω πρὸς τετρακοσίας τε μυριάδας καὶ εἴκοσι καὶ ὀκτὼ, καὶ χιλιάδας τρεῖς, καὶ ἑκατοντάδας δύο, καὶ δεκάδας δύο ἀνδρῶν ἤγαγε ξέρξης ὁ Δαρείου μέχρι σηπιάδος καὶ θερμοπυλέων. Id eſt. Ita quingentas & uiginti octo Myriadas & tria millia ducētos & uiginti uiros duxit Xerxes filius Darij ad Sepiadem uſq; & Thermopylas. Conſtat autem ex præcedentibus hunc numerum deprauatum non eſſe. Non multo poſt ſic inquit εὑρίσκω γὰρ συμβαλλομένῳ, εἰ χοίνικα πυρῶν ἑκάστῳ τῶν ἀνδρῶν ἐλάμβανε, καὶ μηδὲν πλέον, ἓν δεκα μυριάδας μεδίμνων τελεομένας ἐπ' ἡμέρῃ ἑκάστῃ. καὶ πρὸς, τριηκοσίας τε ἄλλας μεδίμνους καὶ τεσσαράκοντα. Hoc eſt. Inuenio enim ſubducta ratione, ſi ſinguli quotidie ſingulas chœnicas tritici acceperint, ac nihilo plus, undecim Myriadas medimnûm ſingulis diebus abſumptas præterea trecenta & quadraginta. Itaq; ſi ſuperiorem numerum colligendo pro medimno chœnicas octo & quadraginta acceperis, prouenient quidem medimnûm undecim myriades, ſed præterea tantummodo ſeptem & ſexaginta medimna & quatuor chœnices. Si uero ineas rationem Medimnum non prorſus capere octo & quadraginta chœnicas, re accurate examinata inuenies hinc Medimnum capere ſeptem & quadraginta chœnicas & ſeptem octauas unius chœnicis atq; uiceſimam octauæ ac paulo plus quod uix ut quilibet intelligat definiri poteſt, & minutius eſt quàm ut definiri debeat. nondū igitur deeſt integra una octaua quo minus medimnū capiat octo & quadraginta chœnicas. Quod uero numerus plane non reſpondeat, aut librariorum uitio factum, quod tamen hic quia numerus non notis literarum, ſed integris uerbis ſcriptus eſt, non contigiſſe uidetur: aut Herodoti ipſius quadam incuria chœnicum calculis non recte ſubductis. quod ueriſimilius eſt. Qua de re nec locus hic ſententiam aliorum, qui definierunt quot chœnicas capiat medimnum, infirmare quicquam poteſt. Nunc erit explicandum quot modios Romanos medimnum comprehendat: tum etiam quod Atticum & Siculum eiuſdem fuerint capacitatis. Eſt autē Modius omnino uox latina, qua ſi quādo alij utuntur, & nomen & menſuram à Romanis mutuantur. ut contra Medimnum Græca quam nemo uſurpat niſi de rebus Græcis loquens. Itaq; medimnum capere modios ſex à multis traditur. Atque ut à Suida incipiam, is ſcribit. Μέδιμνος ἓν μοδίῳ. ς'. Id eſt. Medimnum igitur modiorum ſex. Hæc namq; proprie ad hoc pertinent medimnum. In eadem uero ſententia, in qua Suidas, eſt ille qui ſic ait in libello de menſuris & ponderibus. ὁ ἀττικὸς μέδιμνος ἔχει ἡμίεκτα

ιβ'. τὸ δὲ ἡμιέκτον ἔχει χοίνικας. δ'. ὥστε τὸν μέδιμνον ἔχειν χοίνικας. μη ξέστας. ϛς. Id est. Atticum medimnum habet semisextas duodecim. Semisexta uero capit chœnicas quatuor. unde fit ut Medimnum capiat chœnicas octo & quadraginta, sextarios sex & nonaginta. Paulo ante ait idem. ὁ δὲ μόδιος ὁ ἰταλικὸς ἔχει χοίνικας. η. ὁ δὲ χοῖνιξ ξέστας β'. Id est. Modius uero Italicus capit chœnicas octo. Chœnix autem sextarios duos. Hæc ille. Quis uero nõ intelligit si Medimnum Atticum capit octo & quadraginta chœnicas, Romanus uero modius octo, medimnũ capere sex modios? Idem dicit Fannius his uersibus de amphora loquens.

Huius dimidium fert urna, ut & ipsa medimni
Amphora, terq; capit modium. sextarius istum
Sexdecies haurit, quot soluitur in digitos pes.

Hæc igitur de Attico medimno scripta sunt, ut & Cornelij Nepotis, qui sic scribit in uita Pomponij Attici. Auxit hoc officium alia quoque liberalitate. nam uniuersos frumento donauit, ita ut singulis sex modij tritici darentur, qui modus mensuræ Medimnus Athenis appellatur. Sex legendum arbitror, & sentit mecum Alciatus. Scriptum enim primo sic puto VI. adiecto scilicet distinctionis puncto pleniore. librariũ uero puncto annumerato legisse septem. atq; sic hoc mendum ut facile fieri potuit, accidisse. Eiusdem planè capacitatis fuit Siculum medimnum. quod qui Siciliam habitabant non minima ex parte Græci erant. Sed Siculum quoq; comprehendere sex modios ex Ausonio intelligimus qui in Grippo de ternario numero ait.

Hinc Bromij quadrantal, & hinc Sicana medimna.
Hoc tribus, hoc geminis tribus explicat usus agendi.

Quod è Ciceronis uerbis quoq; cognosci potest, qui sic libro quinto in Verrem: Agri Leontini decumæ anno tertio uenerunt tritici medimna XXXVI. hoc est tritici modij CCXVI. Ineas rationem & inuenies medimnum sex modios capere. Idem paulo post ait. Professio est agri Leontini ad iugera XXX. hæc sunt ad tritici medimnum XC. id est tritici modios DXL. millia. Si enim nonaginta millia medimnûm distribueris in modios, quemq; uero in sex, oriuntur modij DXL. Ex his igitur satis perspicuum est Medimnum sex capere modios Romanos. eiusdem etiam capacitatis esse Atticum & Siculum. Iam declarandum est qua ratione Medimnum capiat sex modios, Modium continere sedecim sextarios in Romanis mensuris libro primo declaraui. in his uero Georgicis Medimnum octo & quadraginta esse chœnicum, quæ cotylas efficiũt centum quadraginta quatuor. quia uero quatuor eiusmodi cotylę efficiunt tres sextarios, erunt sextarij unius medimni centum & octo. hos si diuiseris in sex partes, quæq; sexta erit octodecim sextariorum. Atticus autem sextarius, ut probaui, minor est Romano

duabus uncijs mensuralibus. Si igitur duos sextarios Atticos fueris partitus, prouenient unciæ sex & triginta, quarũ duæ & triginta pro complendis sextarijs Romanis adijciendæ sunt. supersunt uero quatuor. Medimnum igitur capiet modios sex, sed quia supersunt sexies quatuor unciæ, continebit plus quàm sex modios sextarium unum & uncias quatuor· quam rem, tanquam paruam in tanta mensura, nõ uidentur curasse qui primo Medimnum sex esse modiorum literis consignarunt. Quod si quis ob id quod supererat sextarius unus & unciæ quatuor, contendere uelit locum Cornelij Nepotis non esse deprauatum, sed ab ipso scriptum medimnum septem modiorum, uereor ne nimis leue sit. Ad Alciatum uenio, qui cum Medimnũ Atticum capere octo & quadraginta cotylas probauerit ac Cotylen cõstituerit nouem unciarũ. nunq̃ potest explicare quõ capiat modios sex, ut in Cornelio Nepote recte credit debere legi. Non capiet enim nisi quatuor & dimidiũ si duas cotylas tam capaces esse, quàm capax est sextarius Romanus acceperis· quod tamẽ ipsum non uelle ex scriptis eius intelligitur. Igitur si rem diligenter examinaueris non capiet ultra quatuor modios Romanos & sesquisextarium. In idem impegit is cuius uerba recitantur à Suida. Sequitur enim ex ipsis modium esse sextariorum duodecim, quod nullus unquam scripsit. Quare nisi uiderem Chœnica & sextarium & cotylam ut mensuras rerum aridarum medicis secũdum eam proportionem in usu fuisse, facile mihi quispiam persuaderet è falsa cotyles usurpatione, nempe medicæ pro Georgica, eiusmodi Medimnum esse constitutum. Verum de his quisq; quod uelit, statuat. Certe medimnum capere modios sex non de eo quod è medica cotyle, sed quod è Georgica constituitur, intelligendum esse, nemo nõ ex ijs, quæ iam dixi, intelligit. Hæc igitur aduertens Budæus, ut est uir prudẽs & diligens Chœnica duorum sextariorum statuit. Sed cotylam Georgicam ignorans, putat nõ recte scriptum à Polluce Chœnica esse trium cotylarum. Idem Budæus & in Attica cotyle fallitur, eam eiusdem esse capacitatis, cuius est Hemina Romana arbitratus, Itaq; neuter satis inuenit, pace illorum dixerim, qui ex istis se expediret. Porrò modiũ Romanam uocem esse dixi· hanc igitur aut respuẽs Lucianus medimno utitur, ubi Romani scriptores habent modiũ· aut eandem mensuram censens, ut Alciatus sensisse putat· cum certe liceret ipsi loco eius ἑκτέα dicere, qui parum admodum à modio differt. In quo similiter Suidam, aut illum unde sua sumpsit, uidemus peccasse cum scribit de Annibale. ὅτι τὸ μέγεθος τῆς τοῦ ἀννίβου νίκης τῆς πρὸς ῥωμαίους καὶ τῆς τῶν ἐναντίων συμφορᾶς ἐπ' ὄψιν ἀγαγεῖν τοῖς Καρχηδονίοις μηχανώμενος, τρεῖς μεδίμνους ἀττικοὺς πλήρεις χρυσῶν δακτυλίων εἰς τὴν Λιβύην ἀπέπεμψεν, οὓς ἄρα τοὺς ἱππικοὺς καὶ βουλευτικοὺς ἄνδρας σκυλεύσας ἀνήρητο. Id est. Quoniam studuit Hannibal uictoriæ suæ simul & hostiũ calamitatis

magni

magnitudinem Carthaginiensibus ante oculos ponere, tria medimna Attica plena aureis annulis misit in Africam, quos scilicet dum spolia colligeret, equestris & senatorij ordinis uiris detraxerat. In eodem errore uersatur Angelus Politianus scribens. Duplex amphora modius est, aut si mauis Gręce medimnus· tum Guarinus Veronensis Strabonis interpres· inquit enim Strabo libro quinto. ὡδὶ δὲ ῥώμης κασίλινον ἴδρυτο ὡδὶ τοῦ ὀλτούρνῳ ποταμῷ. ἐν ᾗ πολιορκούμενοι Πραινεστίνων ἄνδρες μ. καὶ φ. πρὸς ἀκμάζοντα ἀννίβαν ὡδὶ τοσοῦτον ἀντέσχον, ὥσθ' ὑπὸ λιμοῦ διακοσίων δραχμῶν πραθέντες μέδιμνον, ὁ μὲν πωλήσας ἀπέθανεν, ἐσώθη δὲ ὁ πριάμενος. Hoc sic reddit. Romam uersus autem Casilinum est ad flumen Vulturnum, in quo prænestini milites XL. & D. aduersus Hannibalem uarijs instructum copijs, tamdiu obsidionem pertulere, dum inualescente fame, modius drachmis ducentis uenundaretur, & uenditor quidem mortem oppetierit, emptor autem incolumis euaserit. Vides ut μέδιμνον uerterit modium. Sic enim legit. Ego legendũ censeo μῦν id est murem· quod quispiam historiæ Romanæ ignarus, putans esse notam, μέδιμνον scripsit, non considerans etiam tum debuisse adesse uel πυρῶν uel κριθῶν uel tale quidpiam· ne quis censeat id ipsius Strabonis ignorantia factum. Quod uero debeat esse μῦν satis ostendunt uerba Plinij libro octauo cap. LVII. Venisse murẽ CC. nummis Casilinũ obsidẽte Hannibale· eumq; qui uẽdiderat fame interijsse emptorẽ uixisse annales tradũt. & Valerij Maximi qui lib. VII cap. sexto scribit. In illa obsidione & fide cum trecenti Prænestini manerent, euenit ut ex his quidam murem captum ducentis potius denarijs uendere quàm ipse leniendæ famis gratia consumere mallet. Sed credo prouidentia deorũ effectũ, ut & uenditori & emptori quem uterq; merebatur, exitum attribuerit. Auaro enim fame consumpto manubijs sordium suarum frui non licuit. Aequi animi uir, ad salutarem impensam faciendã, care quidem, uerum necessarie cõparato cibo uixit. Idem etiam indicat Liuius libro XXIII ab urbe condita. Postremo ad id uentum inopię est, ut lora detractasq; scutis pelles, ubi feruida mollissent aqua, mandere conarẽtur, nec muribus alioue animali abstinerent. Budæus quidem aduertit locum Strabonis ab alijs dissidere, sed quo modo id contigerit non declarat. Redeo ad mensuras ne quis clamet οὐδὲν πρὸς μέτρον. Chœnica tres cotylas Georgicas capere demonstraui, quæ efficiunt uncias mensurales quadraginta & dimidiam. duos ergo sextarios Romanos, sed remanet semuncia, quam non curantes quidã duorum sextariorum esse dicunt, ut Græcus ille ignotus, cuius uerba paulo ante retuli. In quam sententiam discedit etiam Budæus recte considerans Medimnũ non posse sex modios capere si Chœnica minorem duobus sextarijs Romanis uelimus accipere. Sed idem ignorans, ut dixi, cotylen Georgicam, non quiuit intelligere quo modo Chœnix esse

posſit trium cotylarum, quod Pollux tradidit. quare ſententia Pollucis reiecta, ſtatuit eam duorum ſextariorū capacem. Verum Chœnix cibus erat diurnus. unde Suidas ſcripſit. ἡ γὰρ χοῖνιξ ἡμερήσια τροφή. Hoc eſt. Chœnix enim cibus diurnus. Idem ſibi uult Heſychius cum ait. χοίνικες αἱ ἡμερήσιαι τροφαί. Quin etiam Alexarchus, ut refert Athenæus libro tertio ex hiſtoriis Heraclidis, in ciuitate Vranopoli à ſe condita nouam ſermonis proprietatem inducens inter cętera Chœnicē ἡμεροτροφίδα, quod eſſet menſura cibi diurni uocabat. Idem etiam ex Herodoto intelligi poteſt, qui tritici chœnica abſumendam quotidie ſingulis uiris, qui erant in exercitu Xerxis, partitur. Et è Pythagoræ ſymbolo, χοίνικι μὴ ἐπιπάθισαι. Id eſt. Chœnici ne inſideas. Quo monemur ne uictu unius diei quæſito, curemus craſtinū. Quod ſymbolū Eraſmus doctiſsime enarrauit in adagiis, quam ob rem mihi ſilendum puto. Nec ipſum neglectum eſt à Budæo. Hinc Homericus Telemachus ait in decimonono Odyſſeas.

Οὐ γὰρ ἄεργον ἀνέξομαι ὅσκον ἐμῦσαι
χοίνικος ἄπλητον, καὶ πηλόθεν εἰλήλουθώς. Id eſt.

Haud operis uacuum noſtram contingere quemquam
Chœnica perpetiar, longis licet hoſpes ab oris
Venerit.

Vtitur uero Homerus menſura pro demenſo diurno quod Chœnice olim diſtribuere ſolebant. Itaq; ex his intelligitur Chœnicē eſſe Grę cis menſuram cibi diurni, ut Romanis ſextariū caſtrenſem, qui duos urbicos capiebat, quemadmodū libro primo declaraui. Vt appareat ex Herodoto & Hieronymo eandem uictus rationem Græcis & Romanis militiæ fuiſſe. Sed & domi fuit, quod ex demenſo percipitur. de quo ſic interpres quidam Terentij ſcribit ſuper hoc quod eſt in Phormione:

Quod ille unciatim uix de demenſo ſuo
Suum defraudans genium comparſit miſer
Id illa uniuerſum abripiet.

Ait nanq; interpres: Serui quaternos modios accipiebāt frumēti in menſem, & id demenſum dicebatur. & utrū à menſe an à metiendo incertum. Hæc ille. Ad hanc conſuetudinem alluſit Iuuenalis ſatyra XIII. Seruorum uentres modio caſtigat iniquo.

Faciunt autem quatuor modij ſextarios quatuor & ſexaginta. ſi igitur menſem ſtatuas eſſe triginta dierū, cibus diurnus duo erunt ſextarij, ſed ſupererunt quatuor quos partim in reliquos quinq; dies, quos habent duodecim anni menſes, præterquam quod quilibet ex ipſis habeat triginta dies, diſtribues partim in ſemunciam, quam quæq; Chœnix plus habet duobus ſextarijs Romanis, conſumes. ſi quid uero prę terea ſuperſit corollarij uice datū cenſeri poteſt. Reſpondet autem demenſo

menſo Græce σιτομέτριον. quod in triginta dies datum fuiſſe ex Polybij loco, qui eſt in quarto, opinor intelligi poſſe. ὁ δὲ φίλιππος διαδοὺς ὅτι μέλλει σιτομετρεῖν, ἐκήρυξεν ὅσοι μὴ πλεῖον ἔχουσι τριάκοντα ἡμερῶν σῖτον ἀπογραφεσθαι πρὸς αὐτόν. Id eſt. Philippus autē diſtribuens, quod uolebat demetiri, proclamare iuſsit qui amplius non haberent triginta dierum cibum ſibi debere deſignari. Sed quod Terentij interpres ſcribit demenſum utrum à menſe an à metiendo incertū miror cum Plautus in Menæchmis hoc ioco ſatis indicet à demetiendo eſſe dictum.

Nunc argumentum uobis demenſum dabo,
Non modio, neq; trimodio, uerum ipſo horreo.

Sed de Chœnice atq; adeo de Georgicis menſuris ſatis multa. Iam ad Hippoiatricas ueniam. quas Latini menſuras mulomedicinæ ſiue artis ueterinarię dicerent. Vt enim illi eos ab equis, ita hi à mulis curandis nominarunt. Sed ijdem medici pecorum κτηνιατροὶ, inquit Varro, appellantur. Sic uero habent: ἡ κοτύλη ἔχει ὀξύβαφα. α. τὸ δὲ ὀξύβαφον κυάθους. γ. ὁ δὲ κύαθος μῦστρα. δ'. τὸ δὲ μῦστρον κοχλιάρια. β'. Quod eſt: Cotyle capit oxybapha duo. Oxybaphum cyathos tres. Cyathus myſtra quatuor. Myſtrū cochlearia duo. Sed quia Cotyle capit libram menſuralē, oxybaphū capit ſelibrā. Cyathus uncias duas. Myſtrum ſemunciam. Cochleariū drachmas duas. Maiores autem menſuras non addidi, quod nec Græcus, unde hæc ſumpſi, addiderit. tum etiā quod quiſq; facile poſsit Cotyle conſtituta ad ipſam tanquam ad regulam quandam eas dirigere. Sed ſubijciam uerba Græci illius. ἡ κοτύλη ἔχει οὐγγίας. ιβ'. ὀξύβαφα. β'. τὸ δὲ ὀξύβαφον κυάθους. γ. κύαθος ἔχει μῦστρα. δ'. κοχλιάριον δέ ἐστι μύστρου τὸ ἥμισυ. τὸ δὲ ὀξύβαφον ποιεῖ οὐγγίας. ς. ὁ δὲ κύαθος ποιεῖ οὐγγίας. α. Id eſt. Cotyle habet uncias duodecim, oxybapha duo. Oxybaphum uero cyathos tres. Cyathus habet myſtra quatuor. Cochlearium autem myſtri dimidium eſt. Oxybaphum quidem facit uncias ſex. Cyathus uero uncias duas. Ex quibus uerbis intelligitur cuiuſq; menſuræ capacitas quo ad minores & uncias. Verum quia ἔχει ambiguum eſt: nam & χωρεῖ & ἕλκει ſignificat: nos hic menſuralem unciam & libram intelligimus ob has cauſas, & quod nullus liquor ab ipſo exprimatur, quod æquū fuiſſet eum facere, ſi de ponderalibus ſentiret, & quod nullus ex loquendi quadam conſuetudine intelligi facile poſsit. Videtur autem hinc orta hæc menſurarū conſtitutio, quod medici aliqui, ut ſupra in Atticis teſtimonio Galeni probaui, Cotyle pro libra Romana menſurali ſint uſi. quos, puto, ueterinarij imitati tales menſuras ſibi proprias fecerunt. Quod ſi quis uncias ponderales acceperit, oſtendat de quo liquore ſit dictum: quod cum facere non poſsit, menſurales rationibus quibuſdam permoti intelligemus. De hoc cyatho ſcribit Suidas. κύαθος. ἀντλητήριον μέτρον ὑγροῦ, οὐγγιῶν. α. Id eſt. Cyathus menſura, qua res liquidas haurimus, unciarum duarum. Et

Heſychius

Hesychius. Κύαθος δέχεται ὑγροῦ τινὸς ὀγγίας δύο. Hoc est. Cyathus capit liquoris alicuius uncias duas. Si liquoris alicuius, necesse est, ut de mensuralibus intelligamus. aut si nolumus, diuersæ capacitatis constituamus cyathos: quod ualde absurdum est. tot enim tum erũt diuersi cyathi quot liquores diuersi. atq; cyathus mellis quãto capacior tum erit cyatho olei? Absurdum dixi. nam certæ & definitæ capacitatis sextarius Romanis fuit unicus, qui secundum quod modo hac modo illa re fuit impletus, ita rerum pondus diuersum, manente eadem mole, emersit. atq; sic etiam secundum rerum quas metimur uarietatem, dissimilitudo sextarij tradita est ab autoribus: Ita Fannius uini sextariũ id est tantum uini, quantum sextarius capit, pendere uncias uiginti scripsit, olei selibram, mellis libras duas & dimidiam. Sin autem Hesychius pondus certi liquoris significare uellet, aut eum nominaret, aut ex loquendi quadam consuetudine, quæ hic nulla probari potest, iam ante notus esset: minime uero diceret alicuius liquoris. Huius penè capacitatis Cotylen nobis constituit sine testibus Africanus unus è iunioribus Græcorum medicis cum scribit. Quam enim comparationem rationemue libræ pondus ad minam habet, libræ mensura eandem ad Cotulam habet, sextarij scilicet Xestęue dimidium. Sic M. Fabius Caluus nobis illa suo more uertit. Sed ipse Africanus paulo ante declarauit quam rationem habeat libra ponderalis ad minam his uerbis, Mina Attica ergo stateras quinq; & uiginti habet. libra uero Italica stateras quatuor & uiginti. Hęc uera esse quisq; è sequentibus libris intelliget. Nam Mina Attica drachmarum est centum. Libra Romana ponderalis sex & nonaginta. Vicesima igitur quinta parte maior est mina Attica libra Romana, id est statere uno siue quatuor drachmis. Eadem igitur parte maior esse debet Cotyle, libra mensurali, Cum autem duodecim habeat uncias, quas si in semuncias diuiseris, habebis semuncias quatuor & uiginti, una semuncia maior erit Cotyle. Fiet ergo quinque & uiginti semunciarum, id est libræ & semunciæ, non libræ solum, ut Alciatus eum scripsisse ait. Sed tamen id quod dixi, ab Africano forte inuentum, cui pulchrum uisum est libram mensuralem sic cõferre Cotylę, ut ponderalis recte minæ Atticæ conferri potest. Hoc ex Africano colligitur: quomodo uero illud ipsum quod Hermolaus uoluit, iterum nõ uideo. Certe Africanus Choa liquoribus repletũ asserit idem pendere quod Fannius. nempe uini libras decem. olei nouem. mellis quindecim. Vnde sequitur amphoram uini pendere libras octoginta, olei duas & septuaginta. mellis centum uiginti. Hermolai uerba superiori libro retuli. Sed relinquamus Africanũ qui sibi ipse non satis constat: quis enim non uidet, si Cotyle capax sit libręmensuralis & semunciæ, Choa cuiusq; liquoris nominati non multo plus pendere quàm ipse scripsit? Ad Isidorum uenio, qui cum superioribus sentit, dicens

cotylen

cotylen pendere libram. Hoc tamen Africano indoctior quod appendit scribit, discrimen quod est inter libram pondus & mensuram ignorans. Qui Budæum etiam uirum summe doctum induxit ut erraret, si cut libro primo diximus. Porrò usum Hippoiatricarum mensurarum pluribus probare nequeo, quod apud Græcos huius artis scriptor nullus, quod sciam, extet præter Absyrtum, quem mihi uidere non contigit, etsi sciam principi Mantuano esse. Hæ autem mensuræ ab alijs distinctæ, toti huic tractationi non parum lucis afferent. Sequitur nunc liber tertius in quo pondera rerum, quas metimur, declarare decreui.

GEORGII AGRICOLAE LIBER TERTIVS DE PONDERE RERVM quas metimur.



Ametsi magnus labor fuit Romanas mensuras inquirere, maior etiam Græcas non inuenire modo, sed & disponere inuentas, & sic tradere ut dissimilitudines, quæ sunt in ipsis, intelligi possent, is tamen fuit facilior, quod esset simplex. hæc enim mensurarum tractatio tunc solis autoritatibus erat confirmanda, quæ terminos pegerãt, quos transire minime liceret. Quẽ uero laborẽ in hoc libro suscipiemus, is quia duplex difficilior futurus est. Etenim non agendũ tantũ erit quo sententia nostra confirmetur scriptorum testimonijs, sed experientia ipsa, si quid inciderit cõtrouersum, magna ex parte discutiendum erit. In quo non exigua inest difficultas. Primo quòd res quas metimur multæ admodum & uariæ sint. Deinde quod non aridæ modo plurimũ à liquidis in pondere differant, uerum etiam quę sub utroq; genere comprehenduntur, non minimum inter se. Nam ut experti sumus à siccis permultis grauitate longe uinci liquores, ita usus rerum nos docuit eosdem liquores pondere seminum quædam genera uincere. Quo etiam nobis constat, uinum oleo & mel contra uino multo grauius esse. Aquam autem proxime accedere ad pondus uini, sed pluuiam, ut ab omni admistione terræ puram. Nam cæteræ quanto plus uel minus ea permixtæ fuerint, tanto grauiores inueniẽtur, leuiores ue. Sed oleũ quoq; quod omnium minus uariat, si non diligenter fuerit ab amurca ac retrimẽto purgatũ, ut de de facticio nihil dicam, puro grauius est. Et uinũ quod nigrum ob colorem rubeum obscurum uocant, ruffo aliquanto plus

pendit

pendit. Et mel despumatũ, eo quod è fauis destillarit. Quid? Nihil tam simile est quàm lac lacti, alterum tamen est altero grauius. Sic non minus in aridis ordeũ grauius est auena, far ordeo, triticum farre. Deniq; & triticum tritico, et ordeum ordeo plus pendit. Similiter de auena farre & alijs censendum. Itaq; cum tanta sit rerum dissimilitudo in pondere, quis non uideat, quæso, quàm lubricum sit hic quidpiam definire? aut quis ualde miret eos, qui de hac re scripserunt, inter se nõ nihil dissidere? Potest tamen in nonnullis penè certi quiddam statui. quod à ueteribus Græcis tantum abest ut sit neglectum, ut id diligenter exquisitum maximo consensu collocatum fuerit in usu quotidiano. Veluti olei pondus, quo mensuras Atticas, quas & medicas diximus, declararunt. Ego & autoritate ueterũ, et experientia fretus pondera cuiusq; mensurę refertæ his liquoribus, qui potissimum in usu sunt medicinę, diligenter expendam. cum quod medicis id ualde sit utile futurũ, tum maxime quod Budæus & Alciatus & Portius cum sextarium Romanum exponere sunt conati, uncias retulerint ad pondus, nõ ad mensuram. Sed primo uideamus quantum quæq; mensura oleo puro plena pendat. Vt autem à Romanis incipiã. Culeus capit, quemadmodum libro primo probauimus, mille & sexcentas libras mẽsurales, quæ nõ mutantur. pendit uero olei libras mille trecentas triginta tres et uncias quatuor. Amphora capit libras octoginta, pendit sexaginta sex & uncias octo. Vrna capit libras quadraginta, pendit triginta tres & uncias quatuor. Cõgius capit libras decem, pendit octo & uncias quatuor. Sextarius capit libram & bessem, id est uncias uiginti, pendit uncias sedecim drachmas quinq; scripulũ unum. Hemina capit uncias decem, pendit uncias octo, drachmas duas, & scripula duo. Quartarius capit uncias quinq; pendit quatuor & drachmam unam & scripulũ unum. Acetabulum capit uncias duas & semunciã, pendit duas uncias & scripula duo. Cyathus capit sescunciam drachmã & scripulum, pendit unciam unã, drachmas tres & siliquas duas. Ligula capit drachmas tres & scripulum unum, pendit drachmas duas & scripula duo & siliquas duas. Hæc mea sententia est de pondere olei, si ad Romanas mensuras exigatur. cuius fides rursum ab autoribus est petenda. Cotylen Atticã nouem uncias cornu libralis, id est mensurales capere supra in Atticis Galeno teste planũ feci, ut Romanam heminã decem in Romanis. Sed eodem autore nouem eiusmodi unciæ olei, pendunt uncias septem & semunciam. Ait enim. ἕλκουσι γὰρ αἱ.θ. οὐγγίαι ἰταλικαὶ αἱ ἐν τοῖς κατατετμημένοις κέρασι ἕπτα καὶ ἡμίσειαν οὐγγίας σταθμικάς. Id est. Pendũt enim unciæ nouem Italicæ, quæ sunt in cornibus intersectis uncias septem & dimidiam ponderales. Quod cum sit, decem unciæ mensurales, quas continet Hemina Romana pendũt octo uncias & drachmas duas & scripula duo. Hoc olei pondus ex alio Galeni loco non minus

intelligi

intelligi poteſt, qui eſt lib. VI. de cõpoſitione medicamentorũ ſecundũ genera. ἐγὼ γοῦν ἐν τῇ ῥώμῃ τὴν τοῦ ἐλαίου καλουμένην λίτραν, ἣν διὰ τῶν κατατεμνημένων κεράτων μετροῦσιν, ἔστησάποτε βουλόμενος μαθεῖν, ὁπόσον ἔχει σταθμὸν τοῦ βάρους. εὗρον δὲ ταῖς σταθμικαῖς δέκα οὐγγίαις ἴσας τὰς μετρικὰς τοῦ ἐλαίου. ιβ. Id eſt. Ego ſanè olei libram Romæ nuncupatam, quam interſectis cornibus metiuntur, appendi aliquando cupiens ſcire quantum ponderis haberet. inueni uero duodecim uncias menſurales, decem ponderalibus æquales. Vnde apparet libram & unciã menſuralẽ non è ponderalibus, ut una alteri reſpondeat, conſtitutas, quem admodũ hodie à pharmacopolis ignorantia quadam ſolent conſtitui. Sed de his aliâs. nunc ad id ueniã, quod ſuperiori libro promiſi me declaraturum, nempe quid hi medici ſibi uoluerint, qui Cotylen tradiderunt unciarum eſſe ſedecim, & duarum tertiarum unciæ. Quamuis autem Galenus, quod ſciam, nuſquam illud declararit, uidẽtur tamen mihi, ut tum dixi, primo ſextarij uocem reſpuiſſe, ac ſuam potius quàm latinam uſurpaſſe. Deinde ut ipſis uſitatum erat Cotylen Atticam dicere drachmarum ſexaginta, hoc eſt unciarum ſeptem & dimidiæ, non exprimentes oleum quod alioqui ſatis intelligeretur è conſuetudine illa loquendi: ſic etiam Cotylen, qua loco Romani Sextarij uterentur, arbitror eos dixiſſe drachmarum eſſe centum triginta trium & ſcripuli unius· quæ efficiunt uncias ſedecim & duas tertias· quod de oleo dictũ puto. Tametſi Galenus eos de uncijs menſuralibus locutos uidetur accepiſſe· quod ſine ulla ratione ab ipſis dictũ apparet meo iudicio. Itaq; niſi ſic ſentiamus, ſoli illi nihil rationis habuerunt, cur tantam cotylen conſtituerint. qui enim Cotylen aiunt nouem unciarum eſſe menſuralium, Atticam dicunt· qui decem, Romanam heminã· qui duodecim libram Romanam. Qui uero tradunt eam unciarũ eſſe ſeptem & dimidiæ de pondere ſentientes, iterum Atticam intelligunt· ſic arbitror qui ſedecim & duarum tertiarum unciæ, Romanũ ſextarium. Sed hic forte quiſpiam dubitabit, amphora olei fuerit menſura necne. Equidẽ fuiſſe in Varrone aduerto, qui ſic ait. Quidam ipſum triticum conſpergunt, cum addunt circiter in M. modium, quadrantal amurcæ. Nam ſi amurcæ, quid ni & olei? Quod igitur menſuras magnas quaſi cuiuſq; liquoris fuerint, expoſui, non ſine exemplo feci, ſed ſecutus ſum in hoc Græcos, qui idem in Romanis menſuris explicandis fecerunt. Iam ad Atticas, quas medicas appellaui, tranſeundum. Metretes capit centum & octo libras, pendit oleo plenus nonaginta. Chus capit nouem, pendit ſeptem cum dimidia. Sextarius, ſiue ut ipſi ξέστης, capit ſeſquilibram, pendit librã & quadrantẽ, ſiue unc. XV. Cotylec apit uncias IX. pendit ſeptem & ſemunciã. Semicotyliũ, quod Romani quartarium appellarent, capit unc. quatuor & ſemunc. pendit unc. tres, ſemunciã & drachmas duas. Oxybaphum capit uncias duas & drachmas duas, pendit

ſeſcunciam & drachmas tres. Cyathus capit ſeſcunciã, pendit unciam & drachmas duas. Tantum pendunt menſuræ Atticæ oleo refertæ, quod ut perſpicuum fiat non inutile erit iterum uerba Galeni integra aſcribere quæ ſunt quinto libro de compoſitione medicamentorum ſecundum genera. ὁ μὲν γὰρ ἥρας. ρπ. δραχμὰς ἔγραψεν εἰς σταθμὸν ἀνάγων οὐκ εἰς μέτρον τὸ ἔλαιον. ὡς. ξ'. δραχμὰς ἑλκούσης τῆς κοτύλης. καὶ γὰρ ἕλκει ἥγε ἀττικὴ. θ. οὐγγιῶν οὖσα τῶν ἰταλικῶν. ἕλκουσι γὰρ αἱ. θ. οὐγγίαι ἰταλικαὶ αἱ ἐν τοῖς κατατετμημένοις κέρασιν ἑπτὰ καὶ ἡμίσειαν οὐγγίας σταθμικὰς αἵτινες. ξ. δραχμαὶ γίνοντες, τῆς μιᾶς οὐγγίας η. δραχμὰς δὲ χομένης. Id eſt. Heras quidem centum octoginta drachmas ſcripſit ad pondus oleum reducens, non ad menſuram. tanquã Cotyle pendat drach. ſexaginta. pendit enim eas Attica, quę nouem unciarũ Italicarum exiſtit. Etenim nouem uncię Italicæ, in cornibus interſectis diſcretæ, pendunt uncias ponderales ſeptem & dimidiam, quæ ſexaginta drachmæ fiunt, ſi uncia una octo drachmas ceperit. Sic Galenus. Ex cuius uerbis diſcere poſſumus tantum olei, quantum capit Cotyle Attica, pendere uncias ſeptem & ſemunciam. atq; ita Sextarium quindecim uncias. Hac ratione ſcripſit Plinius lib. primo & uigeſimo capite ultimo de Atticis menſuris. Cyathus pendet per ſe drachmas decem. Cum acetabuli menſura dicitur, ſignificat heminæ quartam partem, id eſt drachmas quindecim. Hæc enim planè cum ſuperiori ratione cõueniunt. Medici autem in medicamentis, præſertim emplaſtris, oleo præ cæteris liquoribus utuntur, quam ob rem huius pondus etiam potiſsimum eis curæ fuit, quod ipſum ex alijs multis Galeni locis obſeruare licet. Hinc conſuetudo illa explicandi menſuras ipſius olei pondere nata, nemine non intelligente tunc, etſi non exprimeretur, de oleo dici. Cõſentit etiã cum his Fannius ſic ſcribens.

At cotyle cyathos bis ternos una receptat.
Sed de abaco nobis id pondus ſæpe notatur.
Bis quinq; hunc faciunt drachmæ ſi appendere tentes,
Oxybaphus fiet, ſi quinq; addantur ad illas.

Fannij hæc uocabula etiam omnia Attica ſunt. nec poſſunt aliter intelligi quàm de pondere olei. Hac eadem ratione quæ ſcripſit Alciatus uera ſunt, ſi oleum, quo Atticæ menſuræ plenæ fuerint, intelligamus. ſed ipſe hoc noluit, uerum triticum leuiſsimũ intelligẽs & Romanum ſextarium, putat in commune ſtatuiſſe ueteres ſextarium Romanum eſſe unciarum quindecim · de quibus infra dicam. Porrò hoc modo loquendi menſurarũ pondera dubio procul exponit Cleopatra cum ait. κοχλιάριον ἔχει <. α. ὁ κύαθος ἔχει <. ι. ἢ γο. α. καὶ τέταρτον, γράμματα λ. ὀβολοὺς. ξ'. θέρμους ϛ. κεράτια. ρπ. χαλκοῦς. υπ. ἐστὶ δὲ ὁ κύαθος κοτύλης τὸ ἕκτον. ἡ κοτύλη μέτρῳ μὲν ἔχει κυάθους. ς. σταθμῷ δὲ <. ξ'. γο. ζς'. γράμματα ρπ, ὀβολοὺς τξ. θέρμους φμ. κεράτια ͵απ. χαλκοῦς ͵βωπ. τὸ τρυβλίον

τὸ

τὸ αὐτὸ μέτρον χωρεῖ τῇ κοτύλῃ. ἴσχει γὰρ μέτρῳ μὲν κυαθους ς. σαθμῷ δὲ < ξ'. ὁ ξέστης μέτρῳ μ̄ ἴσχει κοτύλας. β. σαθμῷ δὲ δραχμὰς, ρκ. καλεῖται δὲ παρὰ αἰγυπτίοις ὁ ξέστης ἴνιον. τὸ ὀξύβαφον ἔχει κοτύλης τέταρτον. κύαθον ας'. σαθμῷ δὲ < ιε. ἡ κόγχη ἡ μεγάλη τὸ αὐτὸ μέτρον σώζει τῷ ὀξυβάφῳ. ἴσχει μὲν μέτρῳ μὲν κύαθον ας'. σαθμῷ δὲ < ιε. ἡ δὲ ἐλάττων κόγχη ἴσχει μέτρῳ μὲν ἡμικύαθον, σαθμῷ δὲ < ε. μῦστρον τὸ μέγα ἔχει κοτύλης τὸ ἑκκαιδέκατον. ὃ γίνεται < γς'. τέταρτον. τὸ δὲ μικρότερον κοτύλης τὸ κβ'. ὃ γίνεται < ι. γράμματα. ι. κεράτιον α. καὶ τὸ ἐνδέκατον. ὁ χοῦς ἴσχει μέτρῳ μὲν κοτύλας ἀττικὰς δώδεκα. ξέστας δὲ. ς. χοίνικας δὲ. δ'. σαθμῷ δὲ ἴσχει ὁ χοῦς < φκ. Id eſt. Cochlearium pendit drachmam unam. Cyathus pendit drachmas x. ſiue unciam unam & quartam eius partem, ſcripula xxx. obolos lx. lupinos xc. ſiliquas clxxx. Aereolos cccc lxxx. Eſt uero Cyathus cotyles pars ſexta. Cotyle menſura quidem continet cyathos ſex. pondere uero drachmas lx. uncias ſeptem cum dimidia. ſcripula clxxx. obolos ccclx. Lupinos dxl. Siliquas mlxxx. Aereolos, mmdcccclxxx. Tryblium eandem menſuram capit, quam Cotyle. menſura enim continet cyathos ſex. pondere uero drachmas lx. Sextarius menſura quidem continet cotylas binas, pondere uero drachmas cxx. Sextarius autem apud Ægyptios Inium appellatur. Oxybaphum continet cotyles quartam, & menſura quidem continet ſeſquicyathū, pondere uero drachmas xv. Concha maior eandem menſuram ſeruat quam oxybaphum. continet enim mēſura ſeſquicyathum, pondere uero drachmas quindecim. Minor autem concha continet menſura dimidium cyathum, pondere uero drachmas quinq̄. Myſtrum maius cōtinet cotyles decimamſextā, quæ fiunt drachmæ tres ac dimidia & quarta. Minus uero cotyles uigeſimam ſecundam, quæ fiunt drachmæ duæ, ſcripula duo, ſiliqua una & undecima. Chus continet menſura quidem cotylas Atticas duodecim, ſextarios autē ſex, chœnicas quatuor, pondere uero pendit drachmas dccxx. Hæc Cleopatra. quæ ſi olei pondus intelligas, ut debet intelligi, uera ſunt, atq̄ Cleopatra cū Galeno congruit: ſin alios liquores, noſtra probatione nō perſuaſus, minime. Eadem uero ratione plerīq̄ alij apud Græcos intelligendi ſunt, quorum uerba aſcribere ſuperſedeo, ne nimium magnitudo libri creſcat. Sequitur ut ſimiliter explicem quantum Georgicæ menſuræ oleo repletæ pendant. Verum in his quia Cotylen ſeſquialteram proportionem habere ad Atticam medicam probauimus, hæc conſequuntur. Metretes capit centum & octo libras, pendit nonaginta. Amphoreus capit quatuor & quinquaginta, pēdit quadraginta quinq̄. Chus capit tredecim & dimidiā, pendit undecim & uncias tres. Cotyle capit libram & ſeſcunciam, pendit uncias undecim & drachmas duas. Oxybaphum capit tres uncias & drachmas tres, pendit uncias duas & drachmas ſex ac dimidiam. Cya-

thus capit uncias duas & drachmas duas, pendit unciã unã & drachmas ſeptem. Myſtrum capit ſemunciã & drachmam dimidiã, pendit drachmas tres ac dimidiam & quartam drachmæ partem. Ita ſe habẽt Georgicæ. Hippoiatricæ uero, in quibus Cotyle proportionem ſuper tertiam habet ad Atticam medicam hoc modo. Cotyle capit libram unam, pendit uncias decem. Oxybaphum capit dimidiam libram, pendit uncias quinq;. Cyathus capit uncias duas, pendit unciã unã, drachmas quinq; & ſcripulum. Myſtrum capit unciam dimidiam, pendit drachmas tres & ſcripulum unum. Cochlearium capit drahmas duas, pendit drachmã unam, & ſcripula duo. Sic declaratæ ſunt etiam Hippoiatricę. Hęc autẽ omnia ſunt intelligẽda de oleo ſimplici ab amurca, qui eſt humor, ut ait Varro, aquatilis, ac retrimento, bene defecato. ni ſi enim tale ſit grauius eſt. quemadmodũ etiam factitij genera omnia natiuo grauiora ſunt, & multum inter ſe differunt, quæ omnia exquirere curioſum uidetur, & non magnæ utilitatis. Nũc tempus eſt ut minores menſuras conchyliorum nominibus appellatas explicem, quod me facturum primo libro recepi. De quibus cum diuerſa admodũ tradita ſint ab autoribus, equidem malo Cleopatram ſequi, quod eius ſcripta ſint doctiſsima. Sunt uero hæ menſurę minores, Concha. Myſtrũ. Cheme. Cochlearium. Itaq; Concha duplex eſt, maior et minor, quod è Cleopatra intelligi potuit, de maiori quoq; ſcribit Nicãdri interpres idem quod Cleopatra. ἡ μεγαλη κόγχη ἴση τῷ ὀξυβάφῳ. Id eſt. Concha maior æqualis eſt oxybapho. Quæ uerba in exemplari excuſo leguntur corruptiſsima. Maior igitur eiuſdem eſt capacitatis cuius oxybaphum. Minor dimidium cyathum capit. Hæc autem, ut ex eiuſdem Cleopatræ uerbis liquet, pẽdit drachmas quinq;. Illa uero quindecim, quod ſit triplo maior. Nec uideo aliter ferè autores minores menſuras explicaſſe, quàm pondere olei, quod ipſum ſupra declaraui. Vſi ſunt & Latini concha pro menſura. Cato capite CLVI. Si amplius ibit ſumito farinæ minutæ conchas duas, infriet in aquam, paulum bibat, conſiſtet. Hæc ille. Qui quoniam utitur acetabuli uoce, nõ uidetur pro eodem accepiſſe. Idẽ Cato uſus eſt concha pro uaſis genere capite LXVI. Cortinam plumbeã in lacum ponito, quo oleũ fluat. ubi factores uectibus premerint, cõtinuò capulator concha oleum q; diligentiſsime poterit, tollat. nec ceſſet. Sequitur Myſtrum quod duplex eſſe item Cleopatra tradit. Maius ex eius ſententia eſt decimaſexta pars cotyles, pendit uero drachmas tres ac dimidiã, & quartam drachmæ partem. Minus autem uigeſima ſecunda pendens drachmas duas, ſcripula duo, ſi liquam unã & grani quatuor undecimas. Porrò maius Georgicum dicere poſſumus: ibi enim fuit in uſu, ut uidere licet è ponderum collatione. Minus autem medicum. Quod etiam explicat Fannius, Atticas ſi ue medicas menſuras declarans, hoc hemiſtichio.

At

At myſtrum cyathi quarta eſt.

Paulo tamen leuius pondus definit quàm Cleopatra, ut proportio ſeſquialtera & hic maneat inter medicũ & Georgicum myſtrum. Pendit enim cyathus ipſi drachmas decem· quarũ quarta pars ſunt drachmæ duæ & dimidia. idem dicit Nicandri interpres. ὁ κύαθος ἔχει μικρὰ μῦστρα τέσσαρα. Id eſt. Cyathus capit minora myſtra quatuor. Itaq; hi duo pulchre inter ſe congruunt. Nec ab ipſis diſsidet Græcus quidam, quiſquis ille eſt, nec enim nomen exprimitur, qui ſic ſcribit in libello de menſuris & ponderibus. τὸ μέγα μῦστρον κοτύλης ἐστὶν ὀκτωκαιδέκατον. ἄγει δραχμὰς. γ. γράμμα. α. τὸ δὲ μικρὸν κοτύλης εἰκοστοτέταρτον. ἄγει δραχμὰς βς. Id eſt. Maius myſtrum Cotyles eſt octaua decima pars. pendit autem drachmas tres & ſcripulum unum. Minus uero Cotyles quarta & uigeſima pendens drachmas duas & dimidiã. Sic ille, maius his uerbis conſtituens capacitatis minoris quàm Cleopatra, minus uero eiuſdem planè cuius Fannius & Nicãdri interpres. Ipſius igitur duo myſtra proportionem ſupertertiam inter ſe habent. Deinde tamen additur τὸ δὲ δικαιότατον μῦστρον γράμματα ἔχει ὀκτώ. Hoc eſt. Iuſtiſsimum autem myſtrum ſcripula pendit octo. Idem ferè ſentiens quod Cleopatra, quæ id de minori tradit, niſi quod Græcus ille ob difficultatem, aut aliud quippiam, accurate rationem non ſubiecit, omittens ſiliquam unam & grani quatuor undecimas. Sed hic non multum ab alijs diſceſsit. alter uero, cuius nomen nihilomagis indicatur, ſiue mauis Paulus Ægineta, maxime diuerſa ſcribit. τὸ τρυβλίον τὴν ἔχει μῦστρα μεγάλα. γ. ὀξύβαφα δὲ. δ'. τὸ γὰρ μέγα μῦστρον ἔχει ὀξύβαφον. α. τρίτον. τὸ δὲ ὀξύβαφον ἔχει κύαθον ας'. ὁ δὲ κύαθος ἔχει χήμας μικρὰς ἤτοι μῦστρα μικρὰ. β. Id eſt. Tryblium autem capit myſtra maiora tria, oxybapha uero quatuor. Maius enim myſtrum capit oxybaphum unum & tertiam ipſius partem. Oxybaphũ uero capit ſeſquicyathum. Cyathus autem chemas minores ſiue myſtra minora duo. Hactenus ille. Qui cum Romanas menſuras explicarit, in præcedẽtibus quidem earum capacitatem, in ſequentibus pondus tribus notis liquoribus, hæc interiecit· quæ nec cum Romanis nec cum Atticis conueniunt. Igitur importuna ſunt aut falſa. Importuna ſi alterius cuiuſpiam reipublicæ fuerunt, in loco enim non ſunt admixta Romanis. Falſa ſi ita Romanas menſuras habere putans tradit. Itaque quod ipſe appellat myſtrum minus uel chemen minorem, Cleopatra concham nominauit. Poſtremo μῦστρον diminutiuum eſt τοῦ μυὸς, Id eſt, muris. unde latinis muſculus diceretur. Μῦς uero conchylij genus eſſe ex Ariſtotele liquet. Cheme autem ſimiliter duplex eſt. Maior eſt uiceſima pars cotyles pendens drachmas tres. Minor triceſima, pendens duas. De quibus audiamus rurſum hæc Cleopatræ uerba, χήμη ἡ μεγάλη ἔχει δραχμὰς. γ. καὶ ἡ μικρὰ δραχμὰς υ.

Hoc eſt. Cheme maior pendit drachmas tres, minor duas. Cum ergo cotyle pendat drachmas ſexaginta, ut iam probaui, perſpicuū eſt Chemen maiorem partem cotyles eſſe uigeſimam, minorem trigeſimam. Itaq; maior cheme habet proportionem ſeſquialteram ad minorem: ex quo & hanc recte Medicam, illam Georgicam opinor dixerimus. De Cheme Suidas ſcribit χήμη ἔδος ὀστέου. Id eſt. Cheme ſpecies oſtrei. Rectius tamen conchylij ſcripſiſſet. Chemen maiorem intelligit Crito apud Galenum quinto libro de compoſitione medicamentorum ſecundum locos cum ait. Λυθαργύρου χήμην. Quidam, ut ego ſentio, docere uolens de qua Cheme ſentiat adiecit ὅτι δραχμὰς γ. non his uerbis ſpumæ argenti pondus explicans, ſed olei ſi eo cheme impleatur. Habet Fannius quoq; chemen cum inquit.

At tertia myſtri

Quam uocitant chemen, capit hæc cochlearia bina.

Quæ de Cleopatræ minori cheme intelligi non poſſunt, multo uero minus de maiori: neutra enim neq; maioris myſtri, neq; minoris tertia eſt. Dioſcorides autem in libello de menſuris & ponderibus Chemen pro quarta cyathi parte accipit. quod igitur Fannius myſtrum, Cleopatra myſtrum minus, ipſe Chemen appellat. Fortaſsis hinc motus ille cuius uerba ſupra retuli, Myſtrū minus & Chemen minorem idem eſſe ſtatuit. Ex quo ſatis apparet alios diligentius, alios negligentius minores menſuras conſideraſſe. Nonnullos quia hæc omnia ſunt conchyliorum genera aliud pro alio dixiſſe. Quoſdam etiam pro uaſculis magis quàm pro menſuris, ipſis uſos. Vno tamen excepto omnes qui cochlearij mentionē fecerunt nō uariant, ſed ſummo cōſenſu chemen duo capere ſcribūt, licet diuerſę capacitatis cochlearia pro diuerſa chemes uſurpatione hinc proueniāt. Equidē hic Cleopatræ ſcriptis magnā fidem habeo, quod cū his quę ex alijs uere ſciri poſſunt uel maxime conſentiant. Colligamus igitur diuerſa cochlearia. Primum eſt Romanum, quod Columella nobis uidetur cōſtituere, niſi quis uelit potius ipſum ſignificare Georgicum, transferentem eum locum è Græcis & Romano more non locutum: cum uero reliquas menſuras in ipſo intelligamus Romanas, & hanc ſic accipere uiſum eſt. In illius loco Græci habent myſtrum. Idem nuncupatur ligula, ut ibidem dixi. Deinde eſt Atticum Cleopatræ, quod pendit drachmam unam. Eſt enim decima cyathi pars, chemes minoris altera. Qui autem Chemen quartam cyathi eſſe tradit, is ipſam duo cochlearia & dimidium capere ſcribit: unde iterum pendit drachmam, & decima eſt cyathi. Tum Fannij eſt cochlearium altera chemes pars, quarta & uiceſima cyathi. Capit enim ex eius ſententia Cyathus myſtra quatuor, myſtrum chemas tres: Cheme cochlearia duo. ex quo fit ut quatuor & uiginti contineat cyathus. Porrò Scribonius Largus hoc minus habet cochleariū.

cyatho

cyatho enim uidetur tribuere triginta. Siquidem heminæ centum & octoginta. Verba ipsius sunt compositione XVI. Postea oportebit scobis eboreæ heminam per duos menses consumere uitio correptum, accipientem ex eo terna cochlearia in die, ex aquæ cyathis tribus. Idem tamen compositione CXXII. maius illo cochleariũ significat cum ait. atq; ita postero die sumuntur ex cornibus cochlearia tria cumulata, satis ampla. Ex his igitur apparet magnam cochlearij diuersitatẽ fuisse. Omnia autem quæ de mensurarum pondere oleo refertarũ supra scripsi, si cum Galeno uiro magnæ eruditionis & multæ experientiæ facimus, necesse est consequi. Facimus uero cum illo potius quàm cũ alijs quorum nec eruditio nec in hisce diligẽtia nobis perspecta esse potest. Sed de his postea. Nunc mẽsuras uino repletas declarabo, & primum Romanas. Culeus oleo plenus pendit, ut dixi, libras MCCCXXXIII. & uncias IIII. uino MCCCCLXXXI. uncias quinq;, drachmas sex, siliquas quatuor. Amphora olei pendit libras LXVI. & uncias VIII. Vini LXXIIII. drachmas VII. siliquas duas. Vrna olei pẽdet libras XXXIII. & uncias IIII. Vini libras XXXVII. drachmas tres, scripulum unum, siliquas quatuor. Cõgius olei libras VIII. & uncias IIII. Vini IX. libras uncias tres, scripula duo, siliquas quatuor. Sextarius olei pendit uncias XVI. & drachmas quinq; & scripulum unum. Vini uncias XVIII. & dimidiam. siliquas duas & grana duo atq; duas tertias grani. Hemina olei pendit uncias VIII. drachmas duas, scripula duo. Vini uncias IX. drachmas duas, siliquam unam, granum unum & tertiam. Quartarius olei pendit uncias quatuor, drachmam unam, scripulum unum. Vini uncias quatuor, drachmas quinq;, grana duo & duas tertias. Acetabulum olei pendit uncias duas & scripula duo. Vini uncias duas, drachmas duas & dimidiam, granum unum & tertiam. Cyathus olei pendit unciam unam, drahmas tres, siliquas duas. Vini unciã unam & dimidiam, scripulũ unum & octo nonas grani. Ligula olei pendit drachmas duas, scripula duo, siliquas duas, Vini drachmas tres, siliquam unam, grana duo & duas nonas grani. Sic habent Romanæ. Hanc autem proportionem esse inter oleum & uinum tum qui de pondere liquorum scripsere tradunt, tum experiri licet, Dicunt enim illi uno quasi ore uinum nona parte grauius esse oleo. quam rem, periculũ faciens, sic esse comperi. Sed præstat uerba cuiusdam ex ignotis Græcis ascribere. Is ait. ὁ δὲ οἶνος τοῦ ἐλαίου ἐννάτου μέρος ὑπερέχει. ὅλον γὰρ αὐτὸν ἔχει καὶ τὸ ἐννάτον αὐτοῦ, Hoc est. Vinum autem nona parte excedit oleum: tantundem enim pendit & nonam præterea eius partem. Idem ex alterius ignoti Græci uerbis intelligitur, nec minus ex his, quæ sub Dioscoridis nomine referuntur. Nam uterq; Cotylen asserit olei nouem uncias, uini decẽ pendere: quod est nona parte grauius esse. Quibus cum Fannius planè cõsentit, olei sextarium decem & octo uncias,

uini uero uiginti pendere uerſibus explicans. Solus interpres Nicandri ſiue ipſe non ſatis diligenter expenderit, ſiue locus, ut alij plerique, ſit deprauatus, nonnihil diſſentit. Verum cum his à quorum parte ſtat experientia potius eſt ſentiendum. Cum igitur ſextarium olei probauerim teſtimonio Galeni pendere uncias ſedecim & drachmas quinq; & ſcripulum unum, pendet ſeruata illa regula, quam iam oſtendi, uini uncias decem & octo ac dimidiam, duas ſiliquas grana duo & duas tertias. Quo conſtituto, reliqua neceſsitate quadam, ut à me ſunt expoſita, conſequuntur. Porrò uinum debet eſſe fuluũ, πυῤῥὸν Græci uocant, à quo tamen alia non adeo multum differunt, præter nigrũ, quod craſſum ualde eſt. Nunc Atticæ menſuræ, eodem liquore impletæ, pari ratione ſunt explicãdæ. Metretes olei pendit libras nonaginta, uini centum. Chus olei pendit libras ſeptem et dimidiã, uini libras octo & uncias quatuor. Sextarius olei pendit libram et quadrantem id eſt uncias quindecim, uini libram unam, uncias quatuor, drachmas quinq;, ſcripulum unum. Cotyle olei pendit uncias ſeptem & dimidiam, uini uncias octo, drachmas duas, ſcripula duo. Semicotylium olei pendit uncias tres & drachmas ſex, uini uncias quatuor & drachmam unam & ſcripulum. Oxybaphũ olei pendit unciam unam & drachmas ſeptem, uini uncias duas & ſcripula duo. Cyathus olei pendit unciam & drachmas duas, uini unciã unam, drachmas tres, ſiliquas duas. Hoc modo ſe res habet in Atticis. Georgicorum uero Metretes, qui eiuſdem capacitatis eſt, cuius Atticus, olei pendit libras XC. uini C. Amphoreus olei pendit libras XLV. uini L. Chus olei pendit libras XI. & uncias III. uini uero XII. & dimidiã. Cotyle olei pendit uncias XI. & drachmas duas, uini libram & drachmas quatuor. Oxybaphũ olei pendit duas uncias & drachmas ſex ac dimidiam, uini uncias tres & drachmã unam. Cyathus olei pendit unc. unã & drach. ſeptẽ, uini uncias duas & ſcripula duo. Georgicas & iam notas fecimus, ſuperſunt Hippoiatricæ. Itaq; Cotyle olei pendit uncias decem, uini uncias undecim, ſcripulæ duo, obolum unum, ſiliquam unam. Oxybaphum olei pendit uncias quinq;, uini uncias quinq; & dimidiam, ſcripulũ unum, ſiliquas duas. Cyathus olei pendit unciam unam, drachmas quinq; & ſcripulum unum, uini unciam unam, drachmas ſex, ſcripula duo, ſiliquas duas, grana duo, duas tertias grani. Myſtrũ olei pendit drach. tres & ſcripulum unum, uini drachmas tres, ſcripula duo, grana duo, duas tertias grani. Cochlearium olei pendit drachmam unam & ſcripula duo, uini drachmam unam, ſcripula duo, obolum unum, granũ unum, unam tertiam grani. Ita ſe habent menſuræ, ſeruata Galeni ſententia, & hoc dicto uinum nona parte plus pendit quàm oleum. Vino in pondere æqualis eſt aqua pluuia, uel alioqui puranam quę uel cum terra, uel cum ſucco, uel cum lapide, uel cum metallica materia permiſta fuerit, multũ uariat

pondere

pondere. Vnde Fānius uere ſcripſit, poſtquam expreſsiſſet pondera liquorum ſua ratione.

Hæc tamen aſſenſu facili ſunt credita nobis.
Namq; nec errantes undis labentibus amnes,
Nec merſi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes par pondus habent, non denique uina
Quæ campi aut colles nuper ue aut ante tulere.

Vnum hoc adiiciendum puto. Oleum inter liquores natiuos omnium conſenſu, & experientia ipſa comprobante leuiſsimum eſt. Sed uinum quod è fecibus uini liquidis in ampulla excoctis, atq; in altum ui ignis ſublatis, deſtillarit, leuius eſt oleo. Licet uero ex eo etiam nõnihil cognoſcere, quod oleum ſi in id infuderis, fundũ petat, cum reliquo uino uel aquę affuſum ſupernatet. Vnde intelligi poſſet in eo aeris plus ineſſe quam in oleo: aer enim ſurſum fertur. Sed quod dixi magis propter ſubtilem penetrandi uim, quam habet uinum illud, uidetur eſſe. Deinde ut oleum facile inflammatur, ita uinum hoc humana ſolertia præparatum, ſi incenderis ardere non deſinet quouſq; totum cõſumitur. Sed neceſſe eſt ut aliquot uicibus ſit excoctum, alioqui quò plus aquæ admiſtum habet, eò grauius exiſtit, uidelicet eiuſdem ferè ponderis cuius oleum, & igne cõſumitur minus. Perinde uero ut uinum hoc factícium omni natiuo eſt leuius, ſic aquæ ferè omnes, quæ ignis calore rebus quibuſcunq; excoctis deſtillarint, quas ob id deſtillatas appellant, cæteris aquis leuiores ſunt. Reliquum nunc eſt, ut mellis pondus quoq; ſecundum diuerſas mẽſuras indicemus, ac primum Romanas. Culeus uini pẽdit libras MCCCCLXXXI. uncias quinq;, drachmas ſex, ſiliquas quatuor. Mellis libras MMCCXXII. uncias duas drachmas quinque, ſcripulum unum. Amphora uini pendit libras LXXIIII, drachmas ſeptem, ſiliquas duas. mellis libras CXI. unciã unam, drachmas duas, ſcripula duo. Vrna uini pendit libras XXXVII. drachmas tres, ſcripulum unum, ſiliquas quatuor. mellis libras LV. & dimidiam, drachmas quinq;, ſcripulum unum. Congius uini pendit libras IX. uncias tres, ſcripula duo, ſiliquas quatuor. mellis libras XIII. & dimidiam, uncias quatuor, drachmas quinq; ſcripulum unum. Sextarius uini pendit uncias XVIII. & dimidiam, ſiliquas duas, grana duo, duas tertias. mellis libras duas, uncias tres, drachmas ſex, ſiliquas quatuor. Hemina uini pendit uncias nouem, drachmas duas, ſiliquam unam, granum unum & tertiam. mellis libram unam, unciam unam, drachmas ſeptem, duas ſiliquas. Quartarius uini pendit uncias quatuor, drachmas quinque, grana duo, duas tertias, mellis uncias ſex, drachmas ſeptem & dimidiam, ſiliquam unam. Acetabulum uini pendit uncias duas, drachmas duas & dimidiã, granum unum & tertiã, mellis uncias tres drachmas tres, ſcripula duo, ſiliquas duas. Cyathus uini pendit unciã unam

&

& dimidiam, scripulum unum, & octo nonas grani: mellis uncias duas, drachmas duas & dimidiam, granum unum & tertiam. Ligula uini pendit drachmas tres, siliquã unam, grana duo, & duas nonas grani: mellis drachmas quatuor & dimidiam, siliquas duas, granum unum, & tertiam. Tantum pendunt Romanæ mensuræ melle plenæ. Quod rursus probandum. Fannius & Dioscorides sic tradũt pondera liquorum, ut ex ipsis intelligi possit mel tertia parte uino esse grauius: quorum uerba paulo post afferam. Cum igitur uini sextarius pendat uncias decem & octo & dimidiã, siliquas duas, grana duo, & duas tertias, pendet mellis libras duas, uncias tres, drachmas sex, siliquas quatuor. Hinc uero reliqua, ut expositum est, sequuntur. Porrò cum Fannio & Dioscoride experientia consentit, modo sumatur mel bene mundum, & id quod è fauis destillarit, despumatum enim grauius est. Sed ab ipsis nonnihil dissidet Græcus ignotus, siue mauis Paulus Ægineta, qui sic scribit, εἰ δὲ βούλοιο καὶ τὸν σταθμὸν τῶν ὑγρῶν εἰδέναι μέτρων, πάμπολλαι αἱ τῶν ὑγρῶν διαφοραί. ὡς ὧδε παραδείγματος, ἐλαίου τε καὶ οἴνου καὶ μέλιτος λέξομεν. τὸ μὲν δὴ μέλι, τοῦ οἴνου βαρύτερόν ἐστι τεταρτημορίῳ καὶ προσέτι δεκάτῳ. ὅπερ ἐστὶ τὸ ὅλον συνεγγὺς τρίτῳ. ἔχει γὰρ τὸ αὐτὸ τοῦ οἴνου, τὸ μέλιτος πλέον, ὅλον τὸν οἴνου σταθμόν, καὶ προσέτι τὸ τρίτον αὐτοῦ. Id est. Si autem uis & pondus mensurarum liquorum scire, uariæ sunt humentium rerum differentiæ secundum grauitatem, ut uerbi gratia olei, uini, & mellis dicamus. Mel quidẽ uino grauius est quarta parte & præterea decima: quod in uniuersum proximũ est tertiæ. Habet enim mellis eadem quæ uini quantitas siue moles, totum uini pondus & præterea ipsius tertiam partem. Vides quod ille quicunq; tandem fuerit mel uino grauius esse dicit primo quarta parte, deinde decima, sic ut desit aliquid ne plane tertiam compleat. Quarta uero pars sextarij sunt unciæ quatuor, drachmæ quinq;, grana duo, & duæ tertiæ. Decima aũt, uncia una, drach. sex, scripula duo, siliquæ duæ, grana duo, & duæ tertiæ. Tum quarta & decima coniunctæ efficiunt uncias sex, drachmas tres, scripula duo, & dimidium, granum unum & tertiam: quæ si adiunxeris ponderi uini fient libræ duæ & uncia una. Sed & hic tandem redit in uiam. Iam Atticas quoq; mensuras exponam, Metretes uini pendit libras C. mellis CL. Chus uini pendit libras VIII. uncias IIII. mellis libras XII. & dimidiam. Sextarius uini pendit libram unam uncias quatuor, drachmas quinq;, scripulũ unũ, mellis libras duas & unciam unam. Cotyle uini pendit uncias octo, drachmas duas, scripula duo. mellis libram unam & semunciam. Semicotylium uini pendit uncias quatuor, drachmam unã, scripulũ unum: mellis selibram & drachmas duas. Oxybaphum uini pendit uncias duas & scripula duo: mellis uncias tres & drachmam unam. Cyathus uini pendit unciã unam, drachmas tres, siliquas duas, mellis uncias duas

& ſcripula duo. Tantum pendunt Atticæ melle completæ. Georgicarum autem Metretes qui idem eſt, uini pendit libras C. mellis CL. Amphoreus uini pendet libras L. mellis LXXV. Chus uini pendit libras XII. & dimidiã: mellis XVIII. & uncias IX. Cotyle uini pendit libram & ſemunciam: mellis ſeſquilibram & drachmas ſex. Oxybaphum uini pendit uncias tres & drachmã unam. mellis uncias quatuor & drachmas quinq; cum dimidia. Cyathus uini pendit uncias duas & ſcripula duo: mellis uncias tres, drachmã unam. Tantum Georgicæ pendunt. Sequuntur poſtremo Hippoiatricæ, ne hæ quidem negligendę quando huc à nobis peruentum eſt. Cotyle uini pendit uncias undecim, ſcripula duo, obolum unum, ſiliquam unam. mellis libram unam, uncias quatuor, drachmas quinq;, ſcripulum unum. Oxybaphum uini pendit uncias quinq; & dimidiam, ſcripulum unum ſiliquas duas, mellis uncias octo, drachmas duas, ſcripula duo. Cyathus uini pendit unciã unã, drachmas ſex, ſcripula duo, ſiliquas duas, grana duo, duas tertias grani. mellis uncias duas, drachmas ſex, obolum unum, ſiliquã unam. Myſtrum uini pendit drachmas tres, ſcripula duo, grana duo, duas tertias grani. mellis drachmas quinq; & dimidiam, ſiliquam unam. Cochlearium uini pendit drachmam unam, ſcripula duo, obolũ unum, granum unum, & unam tertiã grani. mellis drachmas duas, ſcripula duo, ſiliquas duas. Hactenus Hippoiatricas. Sic planè ſe habent pondera liquorũ ſi fidem habuerimus Galeno, id ipſum de olei pondere referenti, & communi experientiæ, qua cõſtat uinum oleo grauius eſſe nona parte, & mel rurſum uino grauius tertia. Sed cum his non conſentiũt tam Græci quàm Fãnius, qui diuerſa tradens partim cum Galeno congruit, partim ab eo diſſentit. Cõgruit quidẽ in exprimẽdo Atticarum menſurarum pondere cum oleo repletæ fuerint, ut ſupra declaraui. Ni ſi forte quiſpiam ipſum generaliter conſtituiſſe putet menſurarũ pondera: quod quo modo uerum poſsit eſſe nemo ratione poteſt cõſequi. Diſſentit uero ab eo in Romanarum menſurarum pondere: nam eius ſententia ſextarius Romanus olei pendit ſeſquilibram, atq; ſic unciam plus & drachmas duas ac ſcripula duo, quàm nos definiuimus. Tum uini uiginti, & quidem recte id nona parte facit grauius oleo, ſed plus ipſi quàm nobis pendit ſextarius unciam unam, drachmas tres, ſcripula duo & dimidiam, granum unum, & tertiam grani. Mellis deniq; libras duas & dimidiam: quod rurſum tertia parte uino recte tradit grauius, ſed ipſi ſextarius mellis plus ẽq; nobis pendit, uncias duas, drachmam unam, ſcripula duo, duas ſiliquas. Quod fit quia in olei pondere diſſentiat à Galeno. Iam uerſus ipſius ſubiũciam.

Illud præterea tecum cohibere memento.
Finitum pondus uarios ſeruare liquores.
Nam libræ; ut memorant: beſſem ſextarius addet,

Seu

Seu puros pendas latices, seu dona Lyæi.
Addunt semissem libræ liuentis oliui.
Selibramq; ferunt mellis supereſſe bilibri.

Cum Fannio prorsus consentit Dioscorides & alius quidam, quorum explicatio mensurarum Romanarum est in libello de mensuris & ponderibus. Videntur autem hi olei pondus tam diligenter quàm Galenus non expendisse, uel si recte expenderunt, aut oleum tam purum, quàm ille, non appendisse, aut purum quidem, sed paruæ mensuræ, ut cyathi examinasse. ubi quia parum ipsis deesse uideretur, quo minus sescunciam penderet, id non curantes sescunciam pendere dixerunt. deinde secundum proportionem, quam habent inter se mensuræ, reliquarum pondera sunt consecuta. Sed quo tandem modo acciderit, ut certo sciri non potest, ita ego malo Galeno uiro doctissimo & experientissimo, quàm istis credere. Alius rationibus rem exquirēs cui uelit assentiatur. Verum & horum sententiam paucis exponam non diſiunctim ut ante, sed coniunctim quod quidam ex ipsis quoq; fecit. Quod autem Græci illi Romanarum mensurarum pondera explicent, uel ex eo potest intelligi, quod dicunt ἰταλικὸν κεράμιον id est Amphora Italica. οὖρνα id est Vrna. κόγγιον id est Congius. τέταρτον hoc est, Quartarius. Habent uero sic. Amphora Italica olei pendit libras LXXII. Vini LXXX. mellis CXX. Vrna olei pendit libras XXXVI. uini XL. mellis LX. Congius olei pendit libras IX. uini X. mellis XV. Sextarius olei pendit uncias XVIII. uini XX. mellis XXX. Hemina olei pendit uncias IX. uini X. mellis XV. Quartarius olei pendit uncias IIII. & dimidiam. uini V. mellis VII. & dimidiam. Acetabulum olei pendit uncias duas & drachmas duas. uini uncias duas & dimidiam. mellis uncias tres & drachmas sex. Cyathus olei pendit sescunciā. uini sescunciā, drachmam unam, scripulū unum. mellis uncias duas & dimidiā. Mystrum olei pendit drachmas tres, uini drachmas tres & scripulū. mellis drachmas quinq;. Si hæc uera essent, quilibet dictas rationes secutus facile constituere posset, quantum quæq; mensura uel Attica, uel Georgica, uel Hippoiatrica, oleo, uino, melle plena pendat. Reliquū nunc est ut & de rerum aridarū pondere aliquid dicam. Res aridæ quas metimur sunt frumenta, semina, legumina, sal, reliqua tametsi nonnunquam metimur, frequentius tamen pendi solent, ut aromata. Metallica uero solum appenduntur. E frumentis triticum est præcipuum bonitate simul & pondere. nō autem unius est ponderis, siquidem leuissimi modius pendit uiginti libras, atq; ita sextarius unc. quindecim, heminas septē & dimidiam. Grauissimi uero modius pendit libras septem & uiginti atq; dodrantem, & sic sextarius uncias uiginti & drachmas sex ac dimidiam. Hæc ex sententia Plinij cuius uerba sunt libro decimooctauo capite septimo. Tritici genera plura quæ fecere gentes. Italico nullum

equidem

equidem comparauerim candore ac pondere quo maxime decernitur. Verum huius pondus non declarat. paulo post scribit. Nunc ex ijs generibus quæ Romam inuehuntur leuissimū est Gallicum, atq; è Cheroneso aduectum: quippe non excedunt in modium uicenas libras, si quis granum ipsum ponderet. Adijcit Sardium sex libras. Alexandrinum & trientes. Hoc est & Siculi pondus. Beticum totam libram addit. Africum & dodrātes. Verum quod aliqui legunt adijcit Sardium selibras, deprauatum est. sic enim far longe grauius esset grauissimo etiam tritico: quod frangit Plinij sententiam, qui sic scribit. Põderosius far, magisq; etiamnū triticum. Idem farris pondus explicat ibidem: in trāspadana Italia scio uicenas quinas libras farris modios pendere, circa Clusium & senas. Igitur omnino legendum est sex libras. Verum hoc loco iterum mihi agendum est cum Budæo & Alciato. quod ni faciam, uereor ne mea perinfirma uideantur: nemo tamen id eleuandę auctoritatis ipsorum causa, quam excellentissima eruditione merito consecuti sunt, à me factū interpretetur uelim, sed ueritatis afferendæ, quæ non sine multorum incōmodo medicis nostris est hactenus ignota: ut in alio opere eiusdē cum hoc argumenti rationibus euidentibus ostendi. Sed primum Alciati uerba paulo diligentius expendamus, quibus suam de sextario Romano opinionem, post Isidori refutatam, declarat. Sunt uero hæc. Quid ergo censendū? ipse mensuras siue humidorum siue arentium eiusdem ponderis non esse & apud Nicandri interpretem, & apud Palæmonem legi. Sic ille. Quid apud Rhemniū Fannium Palæmonē legerit, paulo ante expositimus. quid uero apud Nicandri interpretē in alio opere: tum etiam mox nōnihil explicabimus. In utroq; certe liquores inter se differre legit. Aridas uero res in Plinio deprehendit distare. quod etiāsi Plinius tacuisset, facile Alciatus conijcere potuit. Deinde pergit. Quapropter si uasculum quod sextarium tritici capiat, pondusq; unciarū sedecim habeat, quis aqua uel uino impleuerit, uiginti ferè uncias efficiet: grauius enim est uinum seu aqua non solum tritico sed etiam oleo. Ita Alciatus. Hoc autem, id est superquartam proportionem habere uinum uel aquam ad triticum, neq; ex Fannio, neq; Nicandri interprete didicit. nam hi nullam mentionē fecerunt ponderis aridorū, nedum tritici. igitur experimēto: quod si est, nō fuit scribendū grauius est uinū uel aqua uel tritico, sed tritico quod ego appendi. nam tum Beticū, tum Africū grauius est aqua uel uino, etiamsi ex Fannij sententia concedamus sextarium uini uel aquæ pendere uncias uiginti. sedecim enim sextarij aquæ uel uini tunc pendent solum uiginti sex libras & uncias octo, cum sedecim tritici Betici pendant libras uiginti septem. Africi uiginti septem & dodrantem. Igitur Beticum triente, Africum libra & uncia grauius est. Oleo tamen & uinum & aqua põderosius. Sequitur in Alciato. Mel quoq;, utpote gra-

uiſsimum, pondere à cæteris differt, ita ut in duabus quibuſcꝫ libris ſe libra ſuperſit ſi conferatur oliuo. Sic ille. Hanc autem ſententiã ſiue putauit è Fannio poſſe elici, ſiue Nicandri interprete, ueram non eſſe conſtat. Fannius quidem ait.

Selibramcꝫ ferunt mellis ſupereſſe bilibri.

Non uolens id, quod Alciatus dicit, ſed ſextarium mellis pendere duas libras & dimidiam, cum olei pendat, ut declarat carmẽ ſuperius, ſeſquilibram. igitur mel plus pendit oleo libram. E Nicandri uero interprete colligitur libram mellis uiginti unum ſtagium & dimidium plus pendere quàm olei libram. duæ ergo libræ mellis plus pendunt quàm olei, ſtagia tria & quadraginta. quia uero ſtagiũ idem eſt quod ſextula, ex tot ſtagijs fient drachmæ ſeptem & quinquaginta, atcꝫ ſcripulum unum. quæ efficiunt uncias ſeptem, drachmam unam ſcripulum unum. Igitur necꝫ ex huius ſententia poteſt Alciatus ita conferre mel oleo. Qualis uero ea ſit alibi dixi. Subdit his. Cum ergo in pondere menſuræ huiuſmodi differant, arbitror ueteres in commune conſtituiſſe, ut unciarum quindecim eſſet ſextarius, ut quod uas leuiſsimi tritici uncias quindecim contineret, ſextarius eſſet. Hæc ille. Leuiſsimi quidẽ tritici ſextarius Romanus quindecim uncias pendit Plinio, qui ſcribit modium uicenas libras pendere. Verum hoc loco non tam ſua probat Alciatus, ut nec poteſt cum tãta ſit tritici diſsimilitudo in pondere, quàm alio ubi de Atticis loquitur: quemadmodum ſupra oſtendi quo in loco oleum eſt intelligendum, ut certe nulla alia res necꝫ liquida, necꝫ arida poteſt intelligi. Præterea cũ è Galeni ſcriptis neceſsitate quadam conſequatur ſextarium Romanum oleo plenum pendere uncias ſedecim, drachmas quincꝫ, ſcripulum unum; E Plinij leuiſsimi tritici uncias quindecim, ſi iuxta proportionem quam inter ſe habẽt ipſi conferas Atticum, qui oleo repletus pendit quindecim uncias, tritico refertus leuiſsimo pendet tantum tredecim uncias & dimidiam. Qui ergo ueteres in cõmune conſtituerunt quindecim uncias leuiſsimi tritici appenſi, ſextarium complere? Attici ne? quorum menſuras declarat Plinius? Minime. nam apud eos ſextarius leuiſsimi tritici, ut iam dixi, penderet tantum tredecim uncias & dimidiam. Tametſi non credimus Græcos quantumlibet fuerunt curioſi, tantam habuiſſe curam leuiſsimi tritici quod Romam inferebatur, quodcꝫ Plinius alibi expreſſit, ut per id ſuas menſuras explicarint. Romani ergo. Sed quis hoc ſcribit? Plinius dicet. at ille in genere non dicit ueteres ſic ſextarium conſtituiſſe, ſed ex eo intelligi poteſt calculis ſubductis ſextariũ leuiſsimi quidem tritici pendere uncias quindecim, nõ minus uero grauiſsimi uncias uiginti, drachmas ſex & dimidiam. & alterius cuiuſpiam tritici ſextarium aliud pendere. Vides igitur quod non ſatis ponderis habeant dicta Alciati. Sed obſcura ſunt quę ſubijcit. Sic de aqua, oleo, melle,

cæterisꝫ

cæterisq; siue aridis, siue humentibus. Quid ergo uas, quod leuissimæ aquæ, quæ est pluuia, leuissimi olei, leuissimiq; mellis, atq; aliorum liquorum tum etiam rerum aridarũ, continet uncias XV. sextarius erit? tunc tot erunt sextarij quot sunt liquores & res aridæ. Idem sequitur si leuissimum intelligendum non est. Interrogabimus igitur an Romani tot sextarios diuersos habuerint, an unum aliquem certæ et iustæ capacitatis, Certe cum id quod è scriptis eius sequi indicaui, non uideatur uelle, dicet ipsos sextarium habuisse definitæ quidem capacitatis, sed diuersi ponderis, prout res quas eo metiebantur diuersæ pondere extiterunt. Non ergo potest ullo modo dicere ueteres in genere constituisse sextarium unciarum esse quindecim ponderalium. Alciati opinione iam satis refutata & hac parte, ueniam ad Budæum, qui nititur è tritico appenso, & aqua, quasi experimento quodam, sextarium Romanũ esse dupondium conuincere. Audiamus uero ipsum. Satis autẽ habui hoc dicere, experimento me cognouisse sextarium Romanũ dupondium pendere. Id quod rursus mihi credi nolo nisi argumentis optimis probauero. Quibus autem id probat? Primo adducit uerba Plinij de tritici pondere, deinde subdit, His uerbis Plinius docet quod deterrimũ sit triticum, id pendere in modios uicenas libras. Quod autem longe optimũ, ut Africum, septem & uiginti libras & dodrantẽ. Hæc è Plinij sententia. Pergit. Hoc cum ego probare uellem, tritici sex semisextariolos nostros, id est sesquipintam pro captu bilancis admensus in altera lance depleui, & ponderibus identidẽ examinatis ad parem tandem libram perueni. Sic ille. Quantum uero ex eius sententia sex semi sextarioli efficiunt, mox ipse declarabit. Ait deinde. Hoc cum in lectissimo tritico feciſſem ponderaq; adnotassem, ad aliud triticum transii. Erant enim mihi puluini duo Francicani tritici sulcatim, ut assolet, in horreo dispositi ut eodem ex agro, sic non eadem segete cum igitur ex eo similiter eandem mensuram pensitarem, hoc discriminis adnotaui ut quod in eis puluinis eximium esset, & exacte excussum uentilatũq; eius mensura iam dicta leuiter agitata, & radiolo stricta, dupondiũ nostrum & quadrantem penderet, lance etiã pessum eunte. Quod autem negligentius uentilatum, & nonnulla ex parte lolio & melanthio mixtum, aut alia seminum inanitate, id duas libras & quadrantem siliquo minus in æquilibrio teneret. Hoc credimus, ut est uir diligens & doctus, factum à Budæo. ac melioris tritici Frãcici sex semisextariolos pendere duas libras Parrhisias & quadrantem, uilioris duas libras & quadrantem siliquo minus. Sed quid post scribit? Hæc mensura, id est sex semisextarioli, quos sextarios duos Romanos iudicatum iri omnibus fortunis meis cauere non dubitarim, si quis diligenter animaduertere uelit, & ueritatem modulis & ponderibus explorare. Vides ex hac obligatiõe, ut pro certissimo habeat senos semisextariolos tan-

tum capere, quantum duo ſextarij Romani quod tritico appenſo probare non poteſt. nam pro bonitate & uilitate diuerſi admodum ponderis eſt, quare implicatus hæret. ſed alias rationes quibus uidetur id confirmare poſſe, in alio opere excuſsi, nunc quæ ſequuntur expendamus. Seni inquam ſemiſextarioli octauam partem modij efficiũt, quorum pondus triticum ſi octonario multiplicetur, fient in ſumma duodeuiginti libræ noſtræ lectiſsimi quidem tritici. deterioris autẽ, id eſt, quiſquilijs ſeminum mixti, duabus uncijs minus, id eſt ſiciliquis octo. Si uerum eſſet ſex ſemiſextariolos eiuſdem eſſe capacitatis cuius duo ſextarij Romani, ſextario cõſequeretur, quod octonario multiplicati, efficerent duodeuiginti libras lectiſsimi tritici, quia ſex, ut aſſerit, faciunt libras duas & quadrãtem. Tum explicat diſsimilitudinem quam habet libra Parrhiſiis uſitata à Romana his uerbis. Porrò cum libra noſtra, ut ſæpe dixi, zygoſtatica qua merces appenſiles negociatores admetiuntur, quadrãte maior ſit libra Romana, fit ut duodeuiginti libræ noſtræ, quatuor & uiginti libras Romanas æquẽt. An id ſit diſcrimen inter libram mercatorum & Romanam ſimiliter alibi perpendimus. Pergit Budæus. Ita fit ut triticum noſtrum in agro, qui Francia dicitur, natum, duabus libris Siculo leuius ſit, cuius tamen ſupremam notam exiſtimo ſemiſſem aut quadrantẽ uigintiquatuor libris addere poſſe. Primum hæc cum Plinio non congruunt, qui minus multo pendere Gallicum ſcribit. Deinde nec ipſe Budæus plane ponderauit nam ſi ſemiſſe plus pendit, nihil' ne hoc putat eſſe Budæus? poterant ſex unciæ diuidi atq; plane dici quantum ſextarius Romanus tritico optimo impletus pendat. quod ſi ibi parum uideretur, in modio tamen, ubi ſedecies excreſcit, non erat negligendum. Sequitur. Hoc genus experimenti cum cuiuis obuium ſit & expoſitum, non eſt cur alia Plinij autoritate uel uera, uel mendoſa, impugnare ueritatem quiſpiam citra pertinaciæ reprehenſionem poſsit. Si Budæus uera eſſe ſua firmis argumentis probaſſet, atq; his ipſis quiſpiam non aſſentiret, iure pertinax dici poſſet, aut ſaltem tardus, ſi ea quæ dixiſſet uera, ingenio non potuiſſet conſequi. nunc cum id nondum factum & adhuc ſub iudice lis ſit, nullus iure pertinax dicetur opinor. ſed interea temporis nobis cum Budæo æquo iure diſceptare licebit, uſq; dum ueritate bene cognita doctiſsimi & optimi quiq; ſententiam tulerint. Et profecto hæ atq; aliæ eiuſmodi aſſeuerationes cum alioqui apud me ob inſignem eruditionem grauis eſſet Budæi autoritas, me non parum cõmouerunt, adeo ut pene eò deduxerint, ut ſcribendi operis cõſilium abijcerem. uerebar enim ne forte mihi perpetuæ contentiones cum uiris illis doctiſsimis futuræ eſſent. Deinde diſceſsi in hanc ſententiam ut mea ſimpliciter probarem abſq; diuerſarum ſententiarũ refutatione. Quod ut doctis ſat fuiſſet, ita rudibus atq; etiam quibuſdam mediocribus facile po

tuiſſet

tuisset imponere tantorũ uirorum autoritas ' quam iam aliquot annis, libris non indoctis æditis, sibi compararunt. Itaq; periculum erat mea condemnari posse antequam intelligerentur. quod etsi me non perinde mouisset, multis tamen obfuisset ista in ueritatis lucem non proferri. His ego motus argumentis ago cum Budæo ' qui ut iuris est peritissimus, ita amantissimus credo ueritatis. Si sua cognoscet non uera, sententia desistet. sin uera, solidis argumentis mea refellet. quod si fecerit equidem non modo non indignabor, sed etiam gratias habebo pro ueritate cõmonstrata. Verum difficile hoc futurum arbitror. quod ego optimorum autoritatem sequutus in hanc sententiam, quam tueor discesserim: ipse suis quibusdam coniecturis & experimentis, uiderit q; certis, nitatur. quanquam ne hic quidem præiudicare uolo, sed licebit his existimare qui utriusq; nostrum scripta diligenter legerint. Verum quæ in Plinio Budæi sententiæ aduersa sunt, minime sunt mendosa, sed uera. Atticas modo intelligamus mensuras, quas explicat Plinius. Si igitur Budæus sextarium Romanum tantum modo dupondiũ esse tradit, nihil ipsi repugnant, ut nec mihi qui uiginti unciarum esse mensuralium aio. Si uero sextarium qui duplus est cotyles Atticæ similiter dupondium statuit, quod facit easdem Atticas & Romanas mensuras esse scribens, hæc Plinij multum ipsi aduersantur, & recte. Igitur quod ad Atticum attinet sextarium Plinij autoritate citra pertinaciæ reprehensionem, spero, me impugnaturum Budæi sententiã: quod ad Romanum, aliorũ, & non infirmis argumentis. Pergit deinde. Hic si quis selibras legat, ut habent quædam exemplaria antiqua, ut sit, adijcit Sardium selibras: hoc etiam amplius id quod agimus cõfirmabit ' cum Plinius dicat grauissimũ frumentũ libras unam & uiginti & dodrantem pendere, & nos experimento didicerimus quod optimum apud nos sit frumentũ, id in modios Romanos quaternas & uicenas libras pendere. Quare si Plinius in pondere non deceptus est, uel nostrum triticum etiam Africæ præstantius est. uel libra Romana maior aliquanto fuit, quàm nos eam esse statuerimus. & tamen periculum nullum est, ut arbitror, ne minorẽ fecerimus libram, cum mensuras auxisse uideamur, quæ pondere deprehenduntur. In hanc enim tantum partem errare potuimus, utpote cum Plinius sextariũ centum & uiginti drachmarum faciat, quem nos bilibrem fuisse contendimus, id est drachmarum centum & nonaginta duarum: qua ratione hemina libralis fuit, quam Plinius sexaginta drachmarum fuisse dicit, id est tertia parte minorem, atq; eo amplius. Hæc ille. Hanc lectionem, quam profert Budæus non amplector, quod pugnet cum ipso Plinio, ut supra ostendi. Sed utram tandẽ Plinij lectionẽ probaueris, nihil ea iuuatur Budæus, quo duarũ librarum sextariũ Romanum cõprobare possit. Quod uero ait tum Francicum triticum Africæ præstantius esse, quippe quod

grauius,id ut in laudem Galliarum cedit,ita gratulor Germanis quod tam cultam terram occuparint. Siquid enim laudi dari potest non modo Francis & Burgundis & Nortemannis qui Gallias occuparūt, sed etiam Anglis & Pictis atq; Scotis qui Britannias, Sueuis & Gotthis qui Hispanias, Vandalis qui Africam, Gotthis & Langobardis qui Italiam,hoc cōmuni Germanorū gloriæ debetur. nam hi omnes Germani fuerunt.Sed quod scribit, & nos experimēto didicerimus quod optimum apud nos sit frumentū, id in modios Romanos quaternas & uicenas libras pendere, Si uerum esset, sextarius Romanus eo tritico impletus penderet sesquilibram. Mensuras autē capaciores ipsum feciſſe ex libro primo potest intelligi.unde in eam partem peccauit.Plinius uero,ut iam sæpe dixi,Atticas mensuras exponit,atq; hinc sequitur Atticum non Romanum sextarium tot pendere drachmas.Sequitur mox. Carmina autem quæ apud Priscianum leguntur sextarium uiginti unciarum esse statuunt.quo fit,ut noster superquinta sit eius,id est quinta parte superans.Fannius annexus est Priſciano, apud quem non legitur sextarium uiginti unciarum esse, sed sextariū aquæ uel uini pendere uiginti uncias ut olei sesquilibram, mellis libras duas & dimidiam. Verum intelligimus ex eo Budæum cum Romanum sextarium dupondium esse asserit,de aqua pleno sentire.quem ego aliquanto minus,quàm Fannius ait,pendere probaui. quis igitur non uidet Budæum multo capaciorem quàm uere fuit statuisse? Deinde disputat de loco Plinij, quæ, quoniam ipsius opinionem non confirmant,relinquamus. Postea admonet quo modo triticum recens sit metiendum. atq; hactenus nihil aliud egit, quàm quod Francici tritici pondus suo modo constituerit. Postremo sic, quod uult,colligit. Verum qui hoc quod diximus tritico expendendo fecerit, tum demum aquæ pondus exploret. futurum enim recipio ut quæ mensura tritici duas libras nostras & quadrantē pependerit,id est sex & triginta uncias, eadem tres libras nostras,id est quatuor Romanas pondere aquæ efficiat, ut sit inter triticeum aqueumq; pondus proportio sesquitertia. qua ratione librem fuisse sextarium antiquum,necesse est.id quod Isidorus ex quopiam autore antiquo scripsit. etiamsi Plinius heminā sexaginta drachmarum esse dicit.quod perinde ualet atque si sextarium libræ unius & quadrantis esse dixisset. Quid ex his, quæso, effici potest? aliud nihil nisi Francicum triticum supertertiā proportionem habere ad aquam, quam Budæus appendit,si æqualis mensuræ appenduntur. Hoc ergo experimento nihil agit. probandum est ternos semisextariolos Francicos tantum capere quantum capit sextarius Romanus. Audiamus uero quo modo id probet.Sed de modio citanda sunt exēpla. Cato. Vbi sementem paraueris,glandem parari legiq; cōuenit,& in aquam conijci. Inde semodios singulis bubus dare oportet, si laborabunt. Colu-

mella

mella de bubus aratorijs loquens libro septimo. Bubus pro temporibus anni pabula dispensantur. Ianuario mense fresi & aqua macerati erui quaternos sextarios mixtos paleis dare conuenit, uel lupini macerati modios, uel cicerculæ maceratæ semodios. Idem si grano abstinemus & regionis copia permittat, cum fronde laurea & ilignea glãs adijcitur. quæ, nisi ad sacietatem detur, scabiem parit. Potest etiam si prouentus uilitatem facit, semodius fabæ fresæ præberi Nouembri mense ac Decembri. per sementem quantum appetit bos tantum præbendum est. plerunq; tamen sufficiunt singulis modij glandis & paleæ ad satietatem datæ, uel lupini macerati modij, uel erui aqua consperſi sextarij septeni permixti paleis, uel cicerculæ similiter maceratæ sextarij duodeni, uel singuli modij uinaceorum. His exemplis conijcere possumus modium Romanũ non disparem fuisse ei mẽsuræ, quem bœotium nostrates uocant. cum sit diurnus cibus bouis aratoris modius aut semodius pro uarietate pabuli. Apud nos equis uiatorijs per diuersoria cibus status est in dies cistellæ ternæ auenæ, ut in Italia ordei. Sic enim semper tulit stabulariorum formula. Sed strigosis equis cum lõgis itineribus fathiscũt auctariũ noctu dari solet, id est quarta ci stella. Hæ quaternæ mensuræ bœotiũ uel bossellũ nostrũ triticariũ implẽt, qui modus est omnibus iam sarcinarijs equis per stabula uiatoria statutus. Hæc Budæus. Cuius coniectura nulla, meo iudicio, est. quod rei rusticæ scriptores his uerbis mensurã pabuli bubus dandi præscribant, ipse hodiernam pabuli equini rationem explicet cum diuersa ipsis sint pabula. boum enim ferè est glans & legumen. equorum, auena, & seminis genus, quam speltam Itali uocant ac permutatio non fiat, nisi summa necessitas cogat. Quare nisi ad bubuli pabuli hodiernam rationem quadret, nihil aget hac coniectura. Et uerisimile est non pauca hac parte non modo in Gallijs & Hispanijs, sed etiam in Italia ipsa mutata quod à diuersis nostris gentibus uastatæ hæ regiones & occupatæ sint. Pergit paulopost. Post hęc antiquitatis monumenta cum mensurarum modos deprehendere magnopere cuperem, ad pondus examinare rem instiri. quo facto cũ nec ex carminibus illis, nec ex Plinio responderent, nihil potius tandem inueni, quàm id quod apud Isidorum non optimum ipsum autorem, ne harum quidem rerum, legitur; usqueadeo, quod Plinius aiebat, nullus liber tam malus est, ut non aliqua ex parte prosit. Hemina, inquit ille, appendit libram unam, quę geminata sextariũ facit. Sextarius enim duarum librarũ est. Pliniũ de Atticis loqui, Fannium uero partim de ijsdem partim de Romanis ostendi. quæ mea sententia magis cõuenit cum ueritate, quàm Isidori quam probat Budæus. Sed de hac Isidori primo libro copiose dixi, quare nunc eadẽ repetenda nõ sunt. Subiungit. Hoc cum legissem ilico tres libras nummularias, id est sesquilibram negociatoriam in lance gran-

diuſcula ſtatui,cuiuſmodi ſunt lances quibus ad argentum expendendum utuntur.in oppoſita lance aquam fundere famulū qui mihi aſtabat iuſsi,quo ad rem deducerem ad exactum æquilibrium.id quod aſſecutus ſum adijciendo uiciſsim adimendoq; aquulam argētea ligula, tum uaſcula ſtannea implendo,non uſualia illa quidem & ex ſuppellectili ſumpta.ſed iuſtæ omnino menſuræ,quibus uenditando uino cauponantes uti ſolent.tandem comperi duas libras Romanas,id eſt duo denarias,quæ tribus octonarijs, id eſt nummularijs reſpondent, eam omnino eſſe menſuram, quam ternos ſemiſextariolos lingua uernacula huius uerbis appellat. qui dodrans eſt eius menſuræ, quam pintam eadem lingua uocat.Hæc Budæus. Iſidorus quidem ſcribit heminam pendere libram unam & ſextarium duas,ſed cuius rei nuſquam exprimit toto iſto capite.quam ob rem apparet ipſum harum rerū ignarum fuiſſe. Sed unde hoc in mentem uenit Budæo, Iſidorum de aquæ pondere loqui? Cur non potius ſequitur Fanniū,qui planiſsime dicit Sextarium aquæ pendere uiginti uncias? Sed quia autoritati dubiæ,ut nō dicam falſæ,innititur, nihil probat. De libra Romana proximo libro dicam. Pergit deniq;. Hoc comperto cum uaſculum illud dodrantale tritico primæ bonitatis implerem, identidemq; in modium id eſt boſſellum transfunderem, non ante æquatum ad ſumma labra reddidi q̄ ſedecies impletum itidem uaſculum in modium tranſfudi. Id cum ad pintam exigerē, duodecies exhauſi exacta obſeruatione trāſuaſando. Hac ratione cum cotula geminata ſextariū faciat, qui bilibris eſt,oportet eam libralem eſſe,id eſt ſex & nonaginta drachmas pendere.ita oxybaphus qui cotulæ quarta pars, quatuor & uiginti drachmarum erit, hoc eſt quadrantale. & cyathus qui ſextarij duodecima pars eſt, ſedecim drachmas pendebit,id eſt ſextantem libræ Romanæ.Noſtra uero pinta duodecima pars eſt modij,id eſt amphoræ ſexta & triceſima.Hactenus Budæus.Si fundamentum cui innititur, nempe ſextarium Romanum aquæ libras duas pendere, firmum eſſet, quædam neceſſario eſſent uera,quæ ſcilicet de hemina,acetabulo,& cyatho ab ipſo dicuntur.quædam non dicerem falſa,ſed crederem,ut quæ de Francicis menſuris ſcribit. iam nec ipſum fundamentum firmum eſſe hactenus probauit,nec probare opinor poterit. qua de re omia rurſum incerta ſunt. Pergit poſtea id applicare ad Francicas menſuras,quod nihil ad ſextarij probationem facit.quo circa id omittam.nam quiuis legere poterit. De tritici pondere nihil certi poſſum ſcribere.nam non parum pro regionum uarietate, atq; item in his ipſis agrorum ſitu & terræ generibus uariat, præterquam quod Plinius ſcripſit, cui facile credimus, ea quæ Romæ erant propemodū decantata, notiſsima fuiſſe.Itaq; ſi Fannium ſecutus acceperis ſextarium Romanū aquæ pendere uiginti uncias, Gallici uero tritici,quod è Plinio ſequitur, quindecim,erit ſupertertia

tertia proportio, quam Budæus asserit, inter aquam & triticum Francicum, atq; tum Gallicum triticum nihilo hodie grauius est, quàm fuit olim. Non ergo dicendum sextarium aquæ pendere duas libras: quod etiam Isidorus non scripsit, nedum è bonis autoribus quispiã: sed cum Galeno potius sentiendum est. quia uero tunc ea proportio non remanet, fit quod aut grauius triticum Budæus appenderit quàm inferebatur Romam, aut aliam quàm pluuiam & non satis puram aquam sumpserit. Quod uero de restitutione libræ Romanæ & amphoræ, unde sua procedunt, scripsit, in alio opere expendimus. iam ad ordeum uenio. Cuius pondus his uerbis explicat Plinius eodem capite. Leuissimum ex his ordeum, raro excedit quindecim libras. Itaq; pendit sextarius undecim uncias & drachmas duas. De rerum pondere satis. Nũc notas tam Græcarum quàm Romanarum mensurarum exponam, ut finiam hunc librum. Mensuræ Romanæ suas notas habent, quas præter Volusium Metianum in libello De asse, scio explicasse neminem. Forte in hac re aliquid egregij præstabit Ioãnes Auentinus Boius, qui se De mẽsuris & ponderibus scripturũ promisit. nihil em̃ dubito quin multa in antiquis monumentis, quæ sunt in Norico & Rhetia secunda obseruauerit, tum etiam in ueteribus codicibus, qui extant Augustæ Tiberij apud diuum Hemeranum, & in cœnobijs ad Danubium sitis, quæ superius & inferius Altachum dicuntur. Culei autem nullam notam hactenus inueni. Quadrantalis, quæ amphora uocatur, talis erat. q. Vrnæ uero q s. qua significatur dimidiũ quadrantal esse. Congij ε. Sextarij ɔ. Heminæ ɔ s, iterum adiecta dimidij nota declaratur heminam dimidium esse sextarium. Quartarij Q. Cyathi cv. In aridis uero rebus, Modij M̊. Semodij M̊ s. Acetabulum autem & ligulam notis ueteres scripsisse quoq; non inueni. Sic se habent Romanarũ mensurarũ notæ, si quis notarius his uti uelit. Porrò Grecarũ maxime in usu sunt medicis. Si κ & ρ supraponitur μ, significat κεράμιον, hoc modo κρ̊. χ habens ο supra additum notat χόα hac figura χ̊. ξ habens suprascriptum ε, indicat ξέστην sic ξε. Sed frequẽtius ita notat̃, ut recta linea ξ inferiorẽ partẽ secet hoc modo ξ̧. κ suprascriptũ habẽs ο, atq; lineã obliquã quę inferius eius cornu dissecet, significat κοτύλην hac figura κ̊. ξ si habuerit supra additũ ο, indicat ὀξύβαφον hac pictura ξ̊. κ habens superne scriptũ υ, atq; lineã obliquã, quæ inferius eius cornu secet, significat κύαθον hoc modo κ̊. μ habens superne scriptũ υ, indicat μῦστρον hac figura M̊. χ habẽs superne positũ η, significat χήμην isto modo χ̊. Sed & τρυβλίον, quod idẽ est quod cotyle, sic notat̃, ut τ ipsi ρ & υ subiungant̃, hac forma τρυ. In aridis quoq; si μ habuerit superne positũ ε, significat μέδιμνον hoc modo M̊. Si χ habuerit superne scriptum ν, notat χοίνικα hac figura χ̊.

Tantum de notis, sequuntur pondera.

GEORGII AGRI-COLAE LIBER QVARTVS DE PONDERIBVS Romanis.



Enſuras & rerum quarundam, quas metiri ſolemus pondera tribus ſuperioribus libris conatus ſum diligẽter explicare & pro uiribus defendere, ne utraq; uel propter obſcuritatem facile rurſus poſſent in dubium incertumq; reuocari: uel propter diuerſas opiniones imbecilla eſſent, & cũ falſo incognitoq; coniuncta. Duobus uero ſequentibus libris ipſa pondera, quibus eaſdem res graues aut leues cenſemus, ſunt declaranda. Hæc autem inſtituti operis pars, quia tam obſcura inuolutaq; quàm menſurarum non eſt, nec illi qui nuper de his ſcripſerũt tantopere inter ſe diſſident, nec mihi opus erit multis rem exponere. Vbi autem ab ipſis diſſentio, non ſæpe fit ut cum uno aliquo tantum diſcordem, ſed plerunque cum omnibus. Si igitur unius ſententiam refutauero, omniũ refutauero. unde ſic quoq; aliquãto breuior eſſe poſſum. Cũ uero Romani perinde ut mẽſuras, ita ſua habuerint pondera, & item Græci ſua, Romana etiam hic primo tradere decreui: quod ea ipſa cognita & perſpecta nonnihil luminis Græcis ponderibus afferre poſſint: præſertim his, quæ unà cum imperio Romano illi receperũt: quod genus ſunt, libra, & uncia. quibus licet è Græcis alij ſcriptores rariſsime, medici tamen frequentiſsime utuntur. Itaq; libra Romana, quæ etiam dicitur pondo, diuiditur in duodecim uncias. Hinc partes eius ſunt Vncia, per ſe. ſextans, duæ unciæ, quadrãs, tres, triens, quatuor, quincunx, quinq;. ſemis, ſex, quę etiã ſelibra dicitur. ſeptunx, ſeptem. bes, octo. dodrans, nouẽ. dextans, decem. deunx, undecim. Seſcuncia autẽ eſt uncia una & dimidia. Vncia uero ipſa rurſus diuiditur in duas ſemuncias: in tres binas ſextulas, in quatuor ſicilicos, in ſex ſextulas, in VII. denarios, in xxiiii. ſcripula. Denarius aũt diuidit in duos uictoriatos, in ſex ſextãtes. Sic ipſe ſentio de ponderib. Romanis, quod ut confirmẽ utriuſq; linguæ ſcriptores teſtes producã. Libra inter minora pondera maximũ, inter maiora minimũ eſt. Maiorũ enim nomine cenſentur, quæ libra grauitate uincũt: minorũ quæ contra, ab ea uincũtur: ut ſit ipſa medium quoddam quod ad utraq; pertineat. Maiora pondera ſupra omniſi, quod ex libra omnia conſtent, nec nomina apud Romanos habeãt, præter centumpondium, quod centum eſt librarũ. Libra namq; pondo etiam dicitur. Hinc Feſtus ait Centena pondo dicebant antiqui referentes

ferentes ad libram. Maiora autem pondera partim diſcreta partim indiſcreta fuiſſe ex Catone aduertimus, qui ſic ſcribit capite XIII. Centumpondium incertum unum & pondera certa. centumpondiũ enim cum dicit, nihil aliud quàm centena intelligit pondo: cum incertum, quod diuiſum non fuerit, ſed unius maſſæ. quemadmodum & in centenario, quo uocabulo iuniores utũtur, uel hodie uidere licet. Cum autem pondera dicit certa, intelligit alia in quæ centena pondo erant diuiſa. nam ueriſimile eſt ueteres Romanos maſſas certæ grauitatis aliquot habuiſſe ex metallica materia, in quas centena pondo diuiſerint: ut hodie prima maſſa centum ſolet eſſe librarum, non ſecus ac olim Catonis centumpondium. Appellatur uero ea centenarium, quam idem Cato incertum nominaret, ut alias in quas diuiditur certa pondera. Diuiditur autem in aliquot minores, unde ſecunda maſſa fit quinquaginta pondo. tertia quæ dimidium ſecundæ eſt, uigintiquinq. Atq hæc quarta eſt pars centumpondij, illa, dimidia. Sed eædem centum libræ in quinq etiam partes diſtribuuntur, ex qua partitione quarta prouenit maſſa uiginti librarum, quæ iterum diuiſa quintam conſtituit librarum decem. Tanta hodie ſunt põdera maiora, niſi quod maxima maſſa alijs centum & decem librarum, alijs centum & uiginti, alijs alia ſoleat eſſe. quo fit ut & reliquæ plures libras habeant. Qui igitur pondera hæc uſitata conſiderare uoluerit, non opinor dubitabit Catonis locum ſic eſſe intelligendum. Quin etiam Græcis eiuſmodi maſſas ponderales è plumbo in uſu fuiſſe, quæ aliquot minarũ eſſent, ex Heſychij conijcimus uerbis. μολυβδὶς σάθμόν τι ἑπταμναῖον. οἱ δὲ, μολβίς. id eſt, Molybdis pondus quoddam eſt ſeptem minarum. alij molbis dicunt. Quinetiã centũpondiũ Romani dicebant centena pondo, ut ex Feſto, cuius uerba iã retuli, liquet. & c. põdo, ut ex Plauto in Aſinaria, qui ait

Nudus uinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.

Sed idem Plautus centumpondio ibidem utitur, cum inquit.

Ad pedes quando alligatus es æquum centumpondium.

Itaq ſolent Romani ſcriptores rerũ pondera ſignificare pondo uel libris. Varro de uita populi Romani, ut citat Nonius Marcellus. Delphos Apollini munera miſſa, corona aurea pondo ducentum. Idem libro quarto eiuſdẽ operis. Itaq retulit auro pondo mille octingentum ſeptuagintaquinq. Liuius libro quinto ab urbe condita. Et mille pondo auri preciũ populi gentibus mox imperaturi factum. Plinius libro triceſimotertio capite ſexto. Mirum adhuc per Hiſpanias ab Hannibale olim inchoatos puteos durare, ſua ab inuentoribus nomina habentes, ex quis Bebelo appellatur hodieq qui CCC. põdo Hannibali ſumminiſtrauit in dies. Sic Romano more ferè loquuntur autores. Græci uero minas ſuas in talenta colligunt. Redeo ad libram à qua fit libralis. Plinius libro triceſimotertio capite tertio. Libralis unde etiam nunc libella

bella dicitur,& dupondius appendebatur aſsis.Et Columella libro ſexto capite ſecundo.Libralesq; offas in præſulſæ adipis liquamine tinctas ligula dimittito. Hinc quoq; fit bilibris, id eſt duarum librarum. Martialis quinto Epigrammatum.

Nolo mihi ponas rhombum, mulumue bilibrem.

Et trilibris,trium librarum.Horatius in ſecundo ſermonum:

laudas inſane trilibrem Mulum.

Et quadrilibris. Plautus in Aululariâ:

Quadrilibrem aulam auro onuſtam habeo,quis me eſt diuitior?

A' pondo quoq; fit dupondius, quo uſus eſt Plinius loco ſupra citato. De quo ſic Varro ſcribit: Dupõdius à duobus põderibus, quod unum pondus aſsipondium dicebatur.id ideo quod as erat libræ pondus. A pondo quoq; fit duapondo & trepondo. Hinc Fabius inquit libro primo de inſtitutione oratoria: Quid? quod quædam quæ ſingula procul dubio uitioſa ſunt,iuncta ſine reprehenſione dicuntur.Nam dua & tre & pondo diuerſorum generum ſunt barbariſmi: at duapondo & trepondo uſq; ad noſtram ætatem ab omnibus dictum eſt,& recte dici Meſſala confirmat.Sed Scribonius Largus pondo dua et pondo tria dicere conſueuit,quemadmodũ pondo quinq; uel ſex.ut Compoſitione XLV. Spumæ argẽteæ pondo dua.& Cõpoſitione LXXXII. Reſinæ terebinthinæ pondo dua,ceræ pondo ſemiſſem. & Compoſitione CCLXVI. Ceræ pondo dua,reſinæ fictæ pondo dua,picis Hiſpanæ pondo tria, ammoniaci pondo libram. Hæc ille.Itaq; pondo ſi ſolum ponitur idem quod libra ſignificat: ſin alteri uocabulo ponderis adiicitur,id quod Græcis σαθμῶ uel ὁλκῇ, id eſt pondere.Sic ſcribitur pondo libra,pondo uncia,pondo ſemuncia,ad differentiam libræ,unciæ, & ſemuncię menſuralis:quas ut ab aliis ponderalibus diſtinguãt, Græci addunt μέτρῳ, quod eſt menſura.Ea autem loquendi conſuetudo apud Romanos tantam uim obtinuit,ut pondo etiam ipſis,quę ambigua nõ eſſent,adiicerent: ſic ſæpe ſcribitur pondo denarij unius, duorum,trium,quatuor. Verum de hac re plura libro primo dixi: nũc probandum eſt libram duodecim eſſe unciarũ. Cuius rei teſtis eſt primo Galenus,eius uero uerba non eſt cur iterum referam. deinde Voluſius Metianus in libello de aſſe,cum ait: Ponderis eadem diuiſio eſt quæ æris. nam in quas partes as diuiditur, in has & libra diſpenditur. As autem diuiditur in duodecim uncias,ut idem atq; etiam Balbus ad Celſum de agrimenſoria ſcribit, igitur & libra in duodecim uncias ſecatur. Medicamentarij indocti qui libram ſedecim unciarum, quot ſane mercatorum libra eſt,in medicamentis conficiendis accipiunt, non minus hic aberrant ac in libra menſurali. Proportio namq; medicinarum,quas recipiunt mixturæ,mutatis ponderibus nõ reſpondet. qua de re alibi uberius diſſerui. Itaq; huius erroris uitandi gratia quot unciarum

ciarum ſit libra neceſſe fuit probari. Sed audiamus Voluſium quomodo as diuidatur, cum omnino par ſit ratio libræ. notas autem nunc omittam. Prima diuiſio ſolidi, id eſt libræ, quod as uocatur, in duas partes dimidias diducitur, pars dimidia ſemis uocatur. Sequens diuiſio fit in tres tertias partes, pars tertia triẽs uocatur. Sequitur diuiſio in quatuor quartas, quarta pars quadrãs uocatur. Deinceps fit diuiſio in ſex ſextas partes, ſextæ partis nomẽ eſt ſextans. Deinde diuiditur in octo octauas, quæ ſeſcunciæ uocantur. Item nouem nonas, nona pars uocatur uncia duæ ſextulæ. Diuiditur item as in duodecim partes duodecimas, uocantur ſingulæ unciæ. Hæc uelut elementa primę de aſſe diſtributionis æqualitatem ſeruant. ſi quid quibuſdam parum detrahas uel conferas fient diſpares. quare ſi quadranti ſextantẽ, uel trienti unciam applices, facies quincuncem, qui cõſtat ex quinq; uncijs, hoc eſt quinque duodecimis. Si ſemiſsi applices duodecimam, uel quincunci ſextantem, uel trienti quadrantem, efficies ſeptuncẽ, hoc eſt ſeptem duodecimas. Si ſeptunci applicueris unciam, uel ſemiſsi ſextantẽ, uel quincunci quadrantem, uel trienti tantundem, facies beſſem, id eſt duodecimas octo. Si beſsi applicueris unciam, uel ſeptunci ſextantem, uel ſemiſsi quadrantem, uel quincunci trientem, dodrantem efficies, hoc eſt nouem duodecimas. Si dodranti applicueris unciam, uel beſsi ſextantem, uel ſeptunci quadrantem, uel ſemiſsi trientem, uel quincunci tantundem, facies dextantem, hoc eſt decem partes duodecimas. Si dextanti applicueris unciam, uel dodranti ſextantem, uel beſsi quadrantem, uel ſeptunci trientem, facies deuncem, hoc eſt undecim duodecimas. Ex his apparet in quas partes æqualiter, in quas diſpares as diuidatur. Hæc ille. Eadem plane tradit Balbus ad Celſum. Sed horum nominum etymologiã Varro explicat libro quarto de lingua latina, his uerbis: Vncia ab uno. Sextans ab eo quod ſexta pars aſsis, ut quadrãs quod quarta, & triens tertia pars. ſemis quod ſemis, id eſt dimidium aſsis, ut ſupra dictum eſt. Septunx à ſeptem & uncia cõcluſum. reliqua obſcura, quod à diminutione. & ea quæ diminuuntur ita ſunt ut extremas ſyllabas habeãt. ut una dempta uncia deunx, dextans dempto ſextante. dodrans dempto quadrãte. Bes ut olim des dempto triente. Hactenus Varro. Hæc libræ diuiſio eſt. qua pro pondere tam ſæpe utuntur medici, ut exemplis ueterũ rem confirmare nihil opus ſit. Selibram uero uſurpat Liuius libro quinto ab urbe cõdita. Cui uniuerſi ſelibras farris & quartarios uini ad ædes eius, quæ in arce erant, contulerunt. & Celſus libro quinto capite decimooctauo: Cerati eloti, quod τετάρτου μέρους Græci uocãt, ſelibram. Semis quoq; pro eodem pondere utitur idem Celſus capite XIX. in emplaſtro quod exeſt corpus: Ceræ, reſinę terebinthinæ, thuris, olei ueteris, atramenti ſutorij, ſalis ammoniaci pondo ſemis. Scribonius Largus compoſitione CCLXVI. Ammoniaci

pondo libram, thuris pollinis pondo semis, galbani pondo semis. Dextans sic quoq; in usu est. idem compositione CCIII. Cum olei ueteris pondo dextante liquefacta ab igne, mortario super infundũtur. Et Dodrans. Columella libro sexto capite sexto: Si nec hæc profuit res, capri fici aridæ conteruntur, & cum dodrante aquæ calidæ dantur. Et bes. Celsus in emplastro, cuius iam mentionem feci: Aeruginis rasæ pondo bessem. Atq; quincunx. Columella libro duodecimo capite uigesimooctauo: Item odoramenta trita, id est irim cribratam, quæ sit instar pondo quincuncem & trientem, fœni græci pondo quincuncem & trientem, schœni pondo quincuncẽ in unum permisceto. Triens præterea. Largus ibidem: Aeruginis rasę pondo trientẽ. Quadrans etiam. Celsus in descriptione catapotij ad thoracis dolores finiendos: Resinę terebinthinæ quadrans. Quin & sextans. Largus compositione CCVI Myrrhæ, galbani, aloes pondo sextantẽ. Sic cęteris uti possumus. Hęc autem idcirco adieci ut à nostris medicis cum componũt medicamenta reuocentur, alioqui his, qui legunt ueteres scriptores sunt obuia. Sequitur uncia, quæ medicis crebrius in usu est quàm ut ullo testimonio egeat. Iuuenalis etiam utitur pro pondere satyra sexta:

adeo nulla uncia nobis Est eboris.

Sescuncia, quæ octaua pars est libræ, siue quarta semissis utitur Celsus in malagmate Euticlei. Galbani sine furculis sescunciã. Et Largus compositione CCX. Olei cyprij pondo sescuncia. Huius sescuncię dimidia nomine caret, sed ut illa quarta semissis, ita hæc est octaua. Ipsius uero unciæ prima diuisio est in duas semuncias: quod uocabuli compositio indicat: & Varro libro quarto scribit: Semũcia quod dimidia pars unciæ. Volusius etiam ait: Vnciæ prima diuisio fit in duas partes dimidias, quæ uocantur semuncię. Vtitur uero ea Columella capite ultimo libri duodecimi: Quod si etiã cum laser non habueris, pro sylphio mellis adijcies pondo semunciam. Altera diuisio unciæ est in tres binas sextulas. unde scribit Volusius: Item diuiditur uncia in tres partes, quæ uocantur binæ sextulæ. sunt autem scripula octo. Verum binæ sextulæ dicuntur & duella. quod Fannius hoc uersu explicat:

Sextula cum dupla est, ueteres dixere duellam.

Sed quod duella uel binæ sextulæ autoribus medicinæ in usu sint, hactenus non inueni. quod uero pondera fuerint ex Fannio perspicuũ esse potest. Tertia unciæ diuisio est in quatuor sicilicos. de quo sic Volusius scribit: Item diuiditur uncia in quatuor siciliquos, id est quatuor quartas. Sicilicus igitur duarum est drachmarũ. Festus in neutro protulit, cum ait: Sicilicum dictum quod semunciam secet. Hunc in usu fuisse indicat hoc Fannij carmen, quo simul & pondus ipsius explicatur:

Drachmam si gemines, aderit quem dicier audis
Sicilicus.

Vtitur

Vtitur quoq; Scribonius Largus Compoſitione CXLV. Croci pondo ſicilici quinq;, apij ſeminis pondo ſicilici ſex. Licet ibidē notis ſcriptū ſit, quas infra explicabo. Quarta unciæ diuiſio eſt in ſex ſextulas: quod Voluſius declarat hiſce uerbis: Itē in ſextulas ſex, id eſt ſex partes. Sūt uero quatuor ſcripula. Quin etiam Fannius id confirmat, ſcribens:

Drachmæ ſcrupuli ſi adiectio fiet
Sextula quæ fertur: nam ſex his uncia conſtat.

Nondum reperi ueterem medicum, qui hac uteretur. eam uero pondus eſſe uel ex Fannio liquet. Eſt quinta unciæ diuiſio in ſeptem denarios Romanis medicis in primis uſitata. q̄d maxime teſtibus eſt probandum, ſed prima ueniat in medium Celſi autoritas, quæ medicis nota eſt, aut certe, ob præcipuos artis ſcriptores, eſſe debet. Is ait lib. quinto capite decimoſeptimo. Sed & antea ſciri uolo in uncia pondus denariorum ſeptem eſſe. deinde Scribonij Largi, ex quo idem intelligitur, cum inquit in præfatione: Erit autem nota denarij unius pro Græca drachma. æque enim in libra denarij octoginta quatuor apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrunt. Hæc ille, Si octoginta quatuor denarij conſtituunt libram, libra uero diuiditur in duodecim uncias, ut probauimus, quis nō intelligit unciam denariorum eſſe ſeptē? Accedat eodem Plinij teſtimonium ſcribentis libro triceſimo tertio capite nono: Miſcuit denario triumuir Antonius ferrum, miſcuit æri. Alij è pondere ſubtrahunt, cum ſit iuſtum octoginta quatuor è libris ſignari. His teſtibus ſatis probatum arbitror libram Romanis eſſe denariorum octoginta quatuor, unciam uero ſeptem. Sexta et ultima unciæ ponderalis diuiſio eſt in uiginti quatuor ſcripula. de qua ſic ait Voluſius: Item in ſcripula uiginti quatuor. Idem poſt inquit: Præterea dimidium ſcripulum audio quoſdam ratiocinatores ſimplium uocare, quod erit totius aſsis quingenteſima ſeptuageſima ſexta. Scripulo autem medici ueteres raro utuntur, iuniores frequenter, alij ſcriptores interdum. Plinius libro triceſimo tertio capite tertio: Aureus nummus poſt annum ſexageſimum ſecundum percuſſus eſt, quàm argenteus: ita ut ſcripulum, ualeret ſeſtertijs uicenis, quod efficit in libra, ratione ſeſtertij qui tūc erat, ſeſtertios $\overline{\text{V}}$DCCLX. Et Columella libro duodecimo capite uiceſimotertio: At ſi ex eadem pice totam uindemiam condire uolueris, ita ne guſtus picati uini poſsit intelligi, ſat erit eidem ſex ſcripula in ſextarios quinq; & quadraginta. Idem capite uiceſimooctauo: Tum in ſerias ſingulas quæ ſint amphorarum ſeptenum addito medicaminis pondo unciam & ſcripula octo gypſi. Hactenus de diuiſione unciæ. Sequitur denarius. Is ſecatur primo in duos uictoriatos. Pro uictoriato aūt olim dicebatur quinarius. Hinc Voluſius ſcribit: Victoriatus enim nunc tantundē ualet, quantum quinarius olim. Et paulo poſt: Denarius primo aſſes decem ualebat, unde & nomē tra

xit. Quinarius dimidiū eius, id eſt v. aſſes, unde & ipſe uocatur. Victo riatus uero cur ſit dictus explicat Plinius lib. triceſimo tertio capite ter tio his uerbis: Qui nunc uictoriatus appellatur lege Clodia percuſſus eſt. Antea enim hic nūmus ex Illyrico aduectus mercis loco habebat. Eſt autem ſignatus Victoria, & inde nomen. Hæc ille. Victoriato fre quentiſsime pro pondere utitur Scribonius Largus, at Celſus maluit ſemiſſem denarij loco eius ſcribere, ut libro quinto capite XVII. in ma lagmate Medi: Panacis p. ⅄ ſemis. Iterum: Plumbi cōbuſti p. I. ⅄ & ſemis. Deinde diuiditur denarius in ſex ſextātes, quod præter Celſum nemo explicauit. Hanc aūt partitionem fecit quod Græcis uti nollet. ijs enim drachma in tot obolos diuiditur, in quorū locum ſubſtituit ſe xtantes. Vt enim Græci habent drachmam nūmum argenteū, ita Ro mani denariū: cum aūt altero pro altero uellet uti, & denarius relatus ad pondera Romana aliquanto grauior eſſet q̄ tria ſcripula, ſextantes excogitauit. Nos igitur cogitemus denarium in XII partes, ut aſſem in XII. uncias diuidi. ex illis duæ partes dicuntur ſextans perinde ut duæ unciæ aſsis. Erunt igitur ſex ſextantes in denario, quot inueniuntur in libra. Sed audiēdus eſt Celſus, cuius uerba ſunt lib. quinto capite XVII. Vnius deinde denarij pondus diuidi à me in ſex partes, id eſt ſex ſex tantes, ut idē in ſextante denarij habeā, quod Græci habēt in eo, quem ὀβολὸν appellant. Id ad noſtra pondera relatū paulo plus dimidio ſcri pulo facit. Sic Celſus. Itaq̄ hæc diuiſio nemini alij in uſu eſt. Sic utitur ſextante lib. v. in priori emplaſtro exedente: Reſinæ terebinthinæ, fuli ginis thuris, ſing. pondo ⅄ z, id eſt pondo denarij ſextans. Sed idem ſignum etiā eſt apud eum ſextantis libræ. quare diligēter aduertēdum ne ſimilitudo uel uocis, uel notæ nos decipiat. poſſumus uero ab erro re nobis cauere compoſitionū naturam cōſiderantes. Sic quoq̄ utitur quadrante libro quarto capite quarto. Aut ſulphuris ignem nō exper ti pondo ⅄ & quadrans, abrotani pondo ⅄ in uini cyatho terun tur. Sic denique triente libro quinto in malagmate ad ſtrumā & tube ra & carcinodas. Salis ammoniaci p. 3. id eſt pondo triens. Accipio uero quadrantem tres partes duodecimas, trientem, quatuor, ut ſex tantem duas. Abſolui alteram inſtitutæ rationis partem, uenio ad ter tiam. ſed prius pondera maiora in minora diſtribuam. Libra diuidi tur in has partes æquas, in ſemiſſes II. trientes III. quadrātes IIII. ſextan tes VI. ſeſcuncias VIII. uncias XII. In has uero diſpares, in deuncē & un ciā, in dextantē & ſextantē, in dodrantē & quadrantē, in beſſem & tri entem, in ſeptuncē & quincuncē. Rurſus libra, quod attinet ad alia mi nora pōdera, ſecatur in has æquales partes. in ſemūcias XXIIII. duellas XXXVI. ſicilicos XLVIII. ſextulas LXXII. denarios LXXXIIII. uictoria tos CLXVIII. ſcrip. CCLXXXVIII. Selibra ſiue ſemis diuiditur in quadrantes II. ſextātes III. ſeſcuncias IIII. uncias VI. ſemūcias XII. duellas XVIII. ſici licos

licos XXIIII. sextulas XXXVI. denarios XLII. uictoriatos LXXXIIII. scripula CXLIIII. Aliæ partes libræ ex unciæ diuisione facile poterint colligi, quam subijciam. Vncia secatur in semuncias II. duellas III. sicilicos IIII. sextulas VI. denarios VII. uictoriatos XIIII. scripula XXIIII. Semuncia distribuitur in duellam & dimidiam, sicilicos duos, sextulas tres, denarios tres & dimidium, uictoriatos septem, scripula duodecim. Duella diuiditur in sicilicum unum & eius tertiam partem, sextulas duas, denarios duos & eius tertiam, uictoriatos quatuor & dimidium & tertiam dimidij, scripula octo. Sicilicus secatur in denarium unum & dimidium & eius quartam, uictoriatos tres & dimidium, scripula sex. Sextula distribuitur in denarium & sextam eius partem, uictoriatos duos, & tertiam eius, scripula quatuor. Denarius diuiditur in duos uictoriatos, scripula tria & tres septimas scripuli, sextantes Celsi sex. Victoriatus diuiditur in scripulum unum & dimidium et tres decimasquartas scripuli. Scripulum autem diuidere nunc omittam, quia melius Græcis ponderibus declaratis intelligetur eius diuisio. respondet enim plane Romano scripulo Græcorum γράμμα. Nec reliqua pondera præter denarium in sextantes Celsi diuidere uolui, quod ipsi soli sint in usu. Nunc ad tertiam propositi partem uenio. Romanos magnarum rerum pondera libris uel pondo, quod idem est explicare solitos, quia dixi, obijciet mihi quispiam Vitruuium uti talẽto pro põdere cum scribit libro decimo capite tricesimo primo: Erigebatur autem machina in altitudinem ad disiiciendum murum circiter pedes centum. Item à latere, dextra ac sinistra procurrendo perstringebat non minus pedes centum. Gubernabant eam homines centũ, habentem pondus talentum quatuor millium, quod fit quadringenta LXXX millia pondo. Sic ille. Atq; utitur quidem talẽti uoce, & recte de rebus Græcis loquens. multo uero etiam rectius explicando quot pondo efficerent tot talenta, ad Romanam loquendi consuetudinem redijt. explicauit autem & idcirco quod Græcis talenta sint admodum diuersa. hoc uero quod ipse declarat habet centum uiginti pondo. Sed idem dicet Liuium usum talenti nomine de rebus Græcis minime loquentem, cum ait libro ab urbe condita primo: Suessamq; Pometiam ex his uicepit, ubi cum diuendita præda quadraginta talenta argenti auriq; recepissent. De re quidem nummaria loquens Liuius, & sua de Græcis exprimens utitur nonnunquam talenti uoce, meo iudicio Atticum intelligens, nisi aliud nominatim exprimat. qua de re in Græcis plura dicã. Alioqui cũ pondus indicare uult, ferè seruat Romanũ loquẽdi morẽ, ut lib. VII. Neq; ita rei gestę fama se Italię finib. tenuit, sed Carthaginienses quoq; legatos gratulatũ Romã misere cũ coronæ aureæ dono, quæ in Capitolio in Iouis cella ponerẽt, fuit põdo XXV. Idẽ lib. X. Argenti q̃d captũ ex urbibus erat, põdo mille CCCXXX. Sic Liui. Latini igit̃ si

utuntur talenti nomine, maxime pro pondere, quasi semper aut aliqua transferunt, de Græcis, aut alioqui de rebus Græcorum loquuntur. Romanum enim pondus minime fuit. Sequitur iam libra siue pondo, quę idem significare probauimus. quamobrē errauit Perottus uir non indoctus, scribens pondo proprie significare XII libras his uerbis, Et pondo, quod licet aliquādo pro libra inueniatur, proprie tamen significat pondus duodecim librarum, & indeclinabile est. Liuius, Argenti pondo bina & sex libras in militem præstaret. Nec caret singulari, ut nonnulli existimant. Sed sic pondo pro duodecim libris dicimus, ut assem pro XII. uncijs, Hæc Perottus. qui cum id non probauerit, uidetur cōiecisse ex Liuij loco quem adducit, ubi post pōdo bina scriptum erat & sex libras, ex quo maius quiddam esse pondo coniecit. Verum codices Liuiani emendati, habent selibras. & sic debere legi uerbis Plutarchi in Fabio de eadem re scriptis erudite probat Budæus, quem ante me hunc errorem in secundo De asse, coarguisse ingenue fateor: ne gloriam alieno labore partam in me transferre uoluisse, iure dicar. Sed idem Budæus testimonijs in speciem claris & euidentibus contendit libram, pondo, minam idem esse. Cum autem mina Attica sit centum drachmarum, ut libro sequenti probabimus, Romana uero libra octoginta quatuor denariorum, ut Plinio & Celso & Largo testibus planum fecimus, primo intelligitur denarium & drachmā Atticam eiusdem ponderis non fuisse. quod tamen, autoritate scriptorum fretus, asserit. deinde ut fuerint maxime, nemo certe è bonis autoribus dixit, unciam plurium drachmarū quàm octo fuisse. Igitur libra erat tantum nonaginta sex drachmarum, quia solum duodecim unciarum, cum mina Attica fuerit sine controuersia centum. Vt autem Budæus sententiam quæ illi semel placuit teneat, sine ullius testimonio ait, libram duodecim esse unciarum & semunciæ. Scribit enim sic in secundo De asse: Hæc est exacta libræ ratio, tamen semunciam addere nos oportet, cum libra in ratione nummaria cum Græca exæquata sit, & plane sit centenaria. Erit ergo libra Latina non modo sesquialtera nostræ libræ, id est sesquilibra nostra: sed etiam præterea quatuor drachmas habuisse intelligitur. Idem in principio libri tertij inquit: Etenim cum duodenæ sint unciæ in libra Romana & in uncia quaterna & uicena scrupula, fiunt in asse scrupula ducenta octoginta octo. est enim scrupulū ducentesima octogesima octaua pars assis, ut inquit Columella. Hæc recte, & præter Columellam idem dicit Volusius Metianus & Balbus ad Celsum. Pergit Budæus. Si ergo scrupulum auri uicenos sestertios ualet, & uicenario numerū illum multiplicemus, fiet summa quinq; millia septingenti sexaginta sestertij, quibus si semunciam addamus, ut sit libra centenaria quam ante instituimus, fient sex millia sestertium. Sic ille. Ex quibus intelligis eum libram, quam eiusdem ponderis putauit

esse

eſſe, cuius eſſet mina, primo centum conſtituiſſe drachmarum, tum neceſsitate quadam duodecim unciarum & ſemunciæ. Quod uero de narium & drachmã idem arbitretur eſſe, liquet ex his uerbis quæ ſunt in primo de aſſe. Drachma igitur non modo pondus denarij Romani, ſed etiam nummũ ſignificat eodem pondere percuſſum ab Athenienſibus. Et libro ſecundo: At denarium & drachmam eundem fuiſſe nummum, aut eiuſdẽ certe ponderis & æſtimationis autore Plinio demonſtratum eſt. Hæc Budæus. cætera quiſq; per otium legat. Sed libram & minam idem pondus non fuiſſe ſatis indicat Dioſcorides, qui nunc libræ, nunc minæ uocabulo tanquam diuerſis ponderibus utitur. et Galenus aperte dicit differre, ut libro ſequenti explanabo. Erat enim mina Attica quatuor drachmis grauior libra Romana. Budæus autem non ſine cauſa in hanc ſententiam diſceſsit, ſed quia uiſus eſt ſibi ſatis probaſſe denariũ & drachmam Atticam idem pondus habere, quod Plinius ſcribit libro uiceſimo primo capite ultimo: Drachma Attica: ferè enim Attica obſeruatione medici utunt: denarij argentei habet pondus. Et Græci ſic transferãt Romana, ut in locum denarij, aut quatuor ſeſtertium ſemper ſubſtituant drachmã. ut Plutarchus, ac medici. Contrà Latini, pro drachma Attica denario utantur. ut Aulus Gellius & Feſtus Pompeius, ipſe etiam Liuius libro XLIIII. ab urbe condita, Polybij locum recenſens. Tum quia Plinius minam uertit libram. Cum tot igitur & tantis teſtibus etiam in quauis re non indecore errauerit quiſpiam. Hæc autem omnia ijſdem autorũ uerbis repetere nimis longum eſſet, neq; neceſſarium, cum quiſq; in Budæo ea legere poſsit, & nos conſentiamus ſic ab ipſis fuiſſe ſcripta. Quid igitur dicet quis? nõne iſtis conceſsis quod uult efficit Budæus? Minime. nam concedo quidem autores ſic ſolitos transferre, non tamen do eadẽ prorſus pondera fuiſſe. Verum Græcos arbitror, quia nullum haberent pondus ſi ue numiſma quod plane reſponderet denario, per id quod proximum eſſet, ac nõ multo leuius, nempe ſeptima tantum parte, drachmam reddidiſſe. Quod quid mirum Plutarchum feciſſe? cum idem pro quartario ſextarij, quartam cotyles uerterit? inter quas mẽſuras longe maius diſcrimen eſt, quàm inter drachmæ & denarij pondus. Contra Latini ipſi, quia octaua unciæ pars apud eos nomen non habet, niſi cum Balbo ad Celſum drachmam appellare uelis, uerterunt denarium. Sic Plinius dicit drachmam Atticam denarij argentei pondus habere, ubi ferè erat dicendum. Sic etiam minam libram reddit. Quod enim plane neq; drachma Attica denarij habeat pondus, neq; libra Romana Atticæ minæ, ex eiuſdem uerbis non obſcure intelligitur. ait namq; capite ſupra citato: Mna, quam noſtri minam uocant, pendet drachmas Atticas centum. Hæc uere ſcripta nemo negabit. Idem libro duodecimo capite XIIII. de thure ſcribit: Micas concuſſu eliſas mannam uocamus.

etiamnum tamen inueniuntur guttæ, quæ tertiam partem minæ, hoc est uiginti nouem denariorum pondus æquent. Sic legitur in exemplaribus correctis, et Budæus se duo manuscripta uidisse ait, in quibus ita legatur. & uera lectio est. Nam Plinius quia hic medica non transfert: ubi multo partiendi negocio drachmam aliter quàm denarium, & minam quàm libram uertere non posset: recte declarat, Minæ tertiam partem esse denarios nouem & uiginti. Tertia enim est drachmarū trium & triginta atq; scripuli. Iam unciam esse septem denariorum Celsi, Plinij, Largi testimonio probaui, drachmarum uero octo esse mox ostendam. Igitur si rationem ineas septem denarios pro octo drachmis colligens, duæ & triginta drachmæ fient octo & uiginti denarij: reliqua uero est drachma & scripulum. ea igitur drachma & tres septimæ scripuli efficient iterum denarium. remanent autem quatuor septimæ scripuli, ex quibus cum nec denarium, nec dimidium Plinius conficere posset, sed sextam tantū denarij partem, rationem earum nullam habuit. Plinij ergo locus ille consentiēs cum altero, ubi libram scribit quatuor & octoginta denariorū esse, satis declarat ita se rem habere, præsertim cum accedant etiam aliorū testimonia. Itaq; solet tum solum denarium pro drachma ponere cū medica trāsfert, quod & cæteri fecerūt. Quin etiam Appianus idem Græce referens quod Suetonius Tranquillus de Cæsare scribit, differentiam hanc inter drachmam & denarium mihi uidetur agnouisse. Tranquillus inquit: Populo hortos circa Tyberim publice, & uiritim trecenos sestertios legauit. Sic ille. Cum igitur quatuor sestertij efficiant denarium, erant denarij quinq; et septuaginta. Appianus in secūdo bellorum ciuilium interprete P. Candido ait: Populo horti trans Tyberim præbiti, singulis Romanorum ciuibus qui in urbe aderant quinq; & octoginta drachmæ Atticæ collatæ. Ita ille. Septuaginta namq; denarij sunt octoginta drachmæ. quod uero ad quinq; reliquas drachmas adiectū oportuit, quia drachma fieri non poterat, omisit. Itaq; locus non est ut Budæo uidetur deprauatus, sed magna quidem diligentia scriptus ab Appiano, licet idem alias drachmam leuiorem adhuc, ut mox ostendam, fecerit. Plutarchus autē idem Tranquilli more suo reddit. Præterea ex Liuij uerbis clare intelligitur denarium Attica drachma esse grauiorem. Is sic scribit libro quadragesimo quarto ab urbe cōdita: Signati argenti octoginta quatuor millia fuere Atticorum, tetrachma uocant, trium ferè denariorum in singulis argenti est pondus. Vides ut uir ille summus in historia Romana aduertit nō idem pondus esse Atticæ drachmæ & denarij. In tetrachmo ergo, id est quatuor drachmis ferè esse dicit trium denariorū pondus. Tres enim id genus ueteres denarij pendunt drachmas Atticas quatuor & dimidiā. quare Liuius recte addit fere. nam quatuor drachmæ Atticæ nondum efficiunt tales denarios tres. Hoc nunc satis sit, etiam

ex

ex Liuio perſpicuum eſſe denarium & drachmam idem pondus non habere. At Appianum apparet alio loco probaſſe hanc ſententiã. tres ſcilicet denarios ualere pondere tetrachmum. Suetonius enim ſcribit in Cęſare: Trecenos quoq; nummos, quos pollicitus olim erat uiritim diuiſit. de eodem Appianus ſic, interprete Candido: Singulis ex populo minam unam Atticam dedit. Sic ille. Trecenti namq; nummi efficient quinq; & ſeptuaginta denarios. pro quibus dixit minam Atticam centum drachmarum: ut ſemper tres denarij tantum pendant & ualeant, quantũ quatuor drachmæ. Nam hæc de ueteri mina Attica, quæ in uſu eſſe deſiit, intelligi, ut uult Budæus, non poſſunt. Sed & Cleopatra non minus oſtendit denariũ drachma Attica eſſe grauiorem: quæ quemadmodum ex ſemioboli interpretatione intelligitur, duas drachmas, ut taceam de Alexandrina, conſtituit. alteram, quam eiuſdem grauitatis eſſe aſſerit cuius eſt denarius Italicus, ſic Romanum uocat. alteram Atticam, ut ex eius uerbis poteſt intelligi. Prioris obolũ dicit æreola habere octo, ſemobolũ quatuor, cũm quo deinde Atticæ drachmæ ſemiobolum conferens, ait ipſum quatuor quintas alterius ſemioboli continere. Denarius igitur ipſi quinta parte grauior eſt drachma Attica, cum utrumq; in duodecim ſemiobolos diuidat. Sed audiamus uerba Cleopatræ: ἡ δραχμὴ ἔχει γράμματα γ, ὀβολοὺς ς, θέρμους θ, κεράτια ιθ, χαλκοῦς μη. ὁ ἰταλικὸς δηνάριον ἔχει δραχμὴν α. id eſt, Drachma habet ſcripula tria, obolos ſex, lupinos nouem, ſiliquas decem & octo, æreola quatuor & quadraginta: italicus denarius habet drachmã unam. Paulopoſt ait: τὸ ἡμιώβολον ἔχει κεράτιον α'. χαλκοῦς δ'. id eſt Semiobolus habet ſiliquam unam & dimidiam, æreola quatuor. Hæc de ſemiobolo drachmæ, quam dicit idem ualere quod denarium. Mox addit: ἀττικὸν δὲ ἡμιώβολον τὸ ἡμιωβόλου τέταρτα πέμπτα. id eſt, Atticus autem ſemiobolus alterius ſemioboli habet quatuor quintas. Perſpicuum igitur eſt etiam ex Cleopatra denarium Romanũ Attica drachma eſſe grauiorem. Drachmas autem octo Atticas comprehẽdi in uncia Romana, tametſi Plinius ſatis propemodum explicet, cum minæ tertiam partem dicit denarios eſſe nouem & uiginti, & cum è libra octoginta quatuor denarios ſignari ait, tamen quo res magis confirmetur afferamus uerſus Fannij quibus aſſerit unciam drachmarum Atticarum eſſe octo. Sunt uero hi:

In ſcrupulis ternis drachmam, qua pondere doctis
Argenti facilis ſignatur pondus Athenis.

His declarat drachmam Atticam. mox uero id quod uolumus addit:

Vncia fit drachmis bis quatuor.

Cum Fannio ſentit maxima pars Græcorum medicorum. Qui uero diſſentiunt, dicunt unciam eſſe drachmarum ſeptem, ſed drachmam ſine dubio denarium nominant. unde uerbis magis quàm re inter ſe diſ-

ſident

ſident atq; diſcordant,ut libro ſequenti declarabo. Balbus quoq; de agrimenſoria ad Celſum idem aſſerit,inquiens: Semuncia quidē eſt medietas unciæ,duella tertia pars, ſicilicus quarta, ſextula ſexta,drachma octaua. Ego cum plurimis conſentiens drachmas octo idem pondus habere cenſeo quod habent ſeptem legitimi denarij.atq; ſic legitimum denarium,drachmam eſſe unam & præterea ſeptimam ipſius partem. licet Cleopatra grauiorem faciat.nempe ut ſeptē denarij efficiant octo drachmas Atticas & tres quartas drachmæ. Liuius uero magis etiam ponderoſum quàm Cleopatra facit in loco iam citato. idem tamen in talenti magni explicatione,de qua ſequenti libro dicam, paulo minorem feciſſe poteſt uideri. Cleopatra tamen ubi minam Atticam explicat æque ac cæteri unciā octo drachmas Atticas capere oſtendit. Quā obrem drachma Attica unciæ Romanæ pars octaua fuit, aut ſi paulo leuior,qua de re non contendo, minime autores curarunt. Vt prorſus appareat ipſam quoq; differentiam quæ eſt inter denarium & drachmam alium alio diligētius expendiſſe, imo unum & eundem autorem poſuiſſe nunc pro eiſdem, nunc pro diuerſis. Ex dictis tamen ſi quis aduertere uelit, non obſcure intelliget primo drachmam & denarium eiuſdem ponderis non fuiſſe. Deinde ſeptem denarios legitimos efficere unciam. poſtremo eandem drachmarum eſſe octo. Quamobrem non admodum nos mouere debent,ut aliud ſentiamus, tam Græci q̄ Latini interpretes uertentes alterum pro altero, quaſi prorſus eadem ſint.quoniam alias etiam,perſæpe cum rerum uel maior eſt diſſimilitudo,ob uocabulorum inopiam ipſos idem egiſſe conſtat.de quo,ne longius quàm æquum ſit à propoſito euagemur, hic plura dicere non libet. Sed obijciet mihi quiſpiam,denarios diuerſi ponderis à Romanis fuiſſe percuſſos,atq; de leuioribus intelligendum, cum dicitur drachmam & denarium idem habere pondus. Cui reſpondeo, qui leuiores illis temporibus, quibus Romani utebantur legitimis, percuſſerunt, fraude & dolo id fecerunt non minus quàm Antonius,qui uilius metallum miſcuit argento. Itaque fuerunt eiuſmodi denarij aut non iuſti ponderis aut adulterini, Sed iuſti pōderis denarios è libra ſignari quatuor & octoginta aſſerit Plinius. & Græci ſcribentes minam eſſe centum drachmarum Atticarum dubio procul drachmas iuſti ponderis intelligunt.quocirca iſta obiectione mea ſententia nō infringitur. Porrò Scribonius Largus tametſi recte ſcripſit libram eſſe Romanis octogintaquatuor denariorum, tot tamen Græcis drachmarum eſſe inquiens,à uero aberrauit, ut ſequenti libro declarabo: niſi quis eum more eorū,quod ueriſimile eſt,locutum credat, qui quia tranſcripſerunt Romana medicamenta in Græcam linguam, unciam dixerūt eſſe ſeptem drachmarum, quod pro denarijs drachmas redderent. quod ibidem uberius explicabo. Id ipſum tamen Budæi ſententiam,quæ eſt libram

Roma

Romanam & Atticam minam eaſdem eſſe, minime confirmaret. Ad Alciatum uenio qui mecum nonnihil ſentit. ſcribit enim: Quapropter Plinius cum apud ſcriptorem Atticum minam reperit, uertit ſimpliciter libram. minimũ enim libra noſtra & Attica mina differunt, nimirũ quatuor ſolis drachmis. Hæc recte. Sed idem errat in eo quod unciam Romanis putat denariorũ eſſe octo, quia Græcis ſit drachmarũ octo, idem pondus arbitratus denarij & drachmæ. Verba eius ſunt. Merito ergo Cornelius Celſus lib. quinto capite decimoſeptimo, in uncia Græca pondus ſeptem denariorum eſſe tradit, cum alioqui Latina & Attica uncia denarios habeat octo. Sic ille. De Græcis hic non differã. Cornelium Celſum Romano more locutum, ſatis perſpicuum eſt ex Plinio & Largo, tum ex ipſo. adeo enim Græcis ponderum nominibus noluit uti, ut ne obolo uti cogeretur denarium in ſextantes diuiſerit. ait enim: Sed & antea ſciri uolo in uncia pondus denariorum ſeptem eſſe. Vnius deinde denarij pondus diuidi à me in ſex partes, id eſt ſextantes, ut idem in ſextante denarij habeam quod Græci habent in eo quem ὀβολὸν appellant. Id ad noſtra pondera relatum paulo plus dimidio ſcripulo facit. Ita Celſus. Et rectiſsime poſtremum adiecit. nam ſexta pars denarij grauior eſt dimidio ſcripulo, ſiquidem tria ſcripula ſunt octaua pars unciæ, denarius uero ſeptima. ſexta igit pars denarij, dimidio ſcripulo grauior eſt ſeptima ipſius dimidij ſcripuli parte. Cum ergo uellet denarium diuidere in ſex partes, ut Græci diuidũt in ſex obolos drachmam, ac denarium ſciret grauiorem eſſe tribus ſcripulis, nouam diuiſionem uidetur confinxiſſe. Non tamen obolus ille Græcus & ſextans denarij eiuſdem ſunt ponderis, ut nec drachma, ſed diuiſionis ſimilis gratia magis hæc ſcripta accipio. Niſi quòd Celſus potuerit hoc tradere medicos Græcos imitatus, qui cũ Romæ libros ſcriberent de medicamentis, drachma pro denario uſi ſunt tantummodo ſeptem, ut erant, in uncia numerantes. Quod autem dicit ad noſtra pondera relatum, uidetur indicare Romanis maſſas paruas fuiſſe, quibus ponderarent, quæ aſsi atq; eius partibus grauitate reſponderent. Denarius uero argenteus, quo pro pondere utebant medici, quia ſeptima unciæ pars, eius ſextans grauior extitit dimidio ſcripulo. Sin autem Celſus ſic non ſenſiſſet, ſed omnino putaſſet drachmam & denarium idem pondus habere, non minus fuiſſet deceptus ac alij. Sed quod una tantũ uncia fuerit eiuſdem ponderis tam Græcis quàm Romanis, utriſque tamen in ſua nota pondera diuiſa, mox in Græcis fuſius exponam. nunc ad Portium uenio, qui & ipſe putat drachmam & denarium eiuſdem ponderis fuiſſe. inquit enim: Et denarios pondere drachmę in frequentiori uſu fuiſſe, quos ut aſſes uariante tempore mores, uario pondere ſignatos, & tandem ad imitationem Atticorum in drachma reſediſſe opinor. Sic Portius. Hoc opinatur quod appendẽs

dena

denarios antiquos drachmæ pondere inuenerit, ſed non æſtimat id quod diuturnitate & uſu de ipſis fuit detritum. deinde non ſatis probat noſtram drachmã cum ueteri paris eſſe ponderis. Idem tamẽ quia diuerſos denarios fuiſſe ſignatos ait, habere uidet quo locorũ inter ſe pugnantium caliginem diſcutiat. Sic ex Liuij loco unà cum Priſciano Cæſarienſi denarium efficit quatuor ſcripulorum, cum id ex eo colligi non poſsit. addit enim ferè, ne quis plane tres denarios idem pondus habere quod tetradrachmum Atticum credat. Itaq; ſentio, ut iam dixi autores niſi de iuſti ponderis denarijs non locutos & quidem argenteis. Sed de his plus ſatis. Perotti namq; ineptias omittam cõſulto. Verum denarium diuidi in duos Victoriatos ait Voluſius, quem ſum ſecutus. A nobis autem diſſentit is qui ponderum explicationem quandam adiecit Scribonio Largo quiſquis fuit. inquit uero, Victoriatus argenteus erat nummus uictoriæ nota ſignatus, pro quo, in compoſitionibus à Scribonio relatis, Galenus duos obolos ponit, hoc eſt ſcripulum. Sic ille. Et certe uidetur ita in quibuſdam locis. ſed ſunt alij loci in quibus recte τριώβολον reddit. Vt Scribonius Largus Comp. clxx. ſcribit thlaſpis ⚹ pondo VI. & uictoriati. opobalſami ⚹ pondo VI. & uictoriati. Galenus uero in ſecundo libro de antidotis ὀποβαλσάμου, θλάσπεως ἀνὰ δραχμὰς ς καὶ τριώβολον. id eſt, Opobalſami thlaſpeos ſingulorum drachmas ſex & triobolum. Sic etiam in parte cõpoſitionis, quæ deeſt, ubi Galenus habet τριώβολον, Ruellius medicus inſignis & doctus eam complens uertit recte uictoriatũ. Quin etiam hoc argumento eſt, quod Galenus ferè ſemper τριωβόλου pondere medicinas exhibet, quæ conferũt tuſsi in tribus cyathis aquæ uel aquæ mulſæ. Largus autem eaſdem uictoriati itidem in tribus cyathis. Quare loca diſsidentia nihil probant, aut enim corrupte in alterutro ſcriptore leguntur: aut, quod ueriſimilius mihi uidetur, nõ ex hac prima æditione Largi, quæ nobis eſt in manibus, ſed ſecunda quam ſe promiſit æditurum, ſunt à Galeno, uel ab alijs, quas ipſe citat, tranſcripta. Cuius rei indicium maximum eſſe puto, quod non paucæ ſunt compoſitiones nomine Scribonij Largi apud Galenum, quæ in hac æditione deſiderantur. deinde quod ibidem pondera perſæpe quadrupla inueniamus. unde conijcio libellum ſecundo fuiſſe ab eo æditum. Eſt igitur uictoriatus, dimidius denarius. Vltima autem unciæ diuiſio eſt in ſcripula. De ſcripuli uocabulo, priuſquam finem faciam huic libro, accuratius diſſeram. Quidam dixerũt ſcriptulum, quidam ſcripulum: alij ſcribulum, alij ſcrupulum, alij denicq; ſcrupulus. M. Varro hoc pondus ſcripuli nomine appellauit. ſcribit enim Fl. Soſipater libro primo ſcriptulum, quod nunc uulgus ſine t, dicit, Varro in Plautorino dixit. Idem in Annali. Nummum argenteum conflatum primum à Seruio Tullio dicunt. is quatuor ſcriptulis maior fuit. Cũ Varrone facit Voluſius Metianus

tianus iuriſconſultus antiquus & nobilis. Latini autem qui primi huic ponderi illud poſuerũt nomẽ Græcos ſunt ſecuti. hi uero iccirco γράμμα, ut Fannius ſentit, id ipſum nominauerunt, quod uncia in tot iſtius generis pondera diuidi poſſet, quot eſſent Græcæ literæ, quæ γράμματα dicuntur. Fannĳ uerſus ſunt.

Vncia fit drachmis bis quatuor, unde putandum
Grammata dicta, quod hæc uiginti quatuor in ſe
Vncia habet. tot enim formis uox Græca notatur,
Horis quot mundus peragit noctemq; diemq;.

γράμμα aũt, ut placet grãmaticis, format ex præteriti perfecti prima perſona, quæ eſt γέγραμμαι, ſicut ex ἔρρημαι, ῥῆμα: ex πεποίημαι, ποίημα ex ὥραμαι, ὅραμα. Eiuſmodi uerbalib. Græcis Latina in um formata reſpondent: etſi non ſemper eandẽ rem prorſus ſignificant. quæ uerbalia à grãmaticis participĳs ſimilia dicuntur. exprimunt enim faciem participiorum generis neutri. quod genus ſunt ſcriptum, dictum, factum, uiſum. ut igitur Græci hoc pondus uocarunt γράμμα, ita Latini ſcriptum debuiſſent nominare. ſed quia id aliam rem ſignificat, ut uerbum ambiguum uitare poſſent, uſi ſunt diminutiuo, quod eſt ſcriptulum. Atq; eiuſdem ambiguitatis uitandæ cauſa γράμμα non uerterunt literam. At ſcripulum Fl. Soſipatri temporibus uulgus dixit. ut uero primo uulgus, ita etiam mox doctos homines locutos fuiſſe ex Capro intelligimus, qui in libello de orthographia & latinitate uerborum ſic ſcribit. Scripula, non ſcribula dicendum. Atq; ſcripulum quidem in Cornelĳ Celſi peruetuſto exemplari ac in alĳs quibuſdã libris ſcriptum eſt. Sed ſcribulum improbat Caper, quod Latini, qui primi huic ponderi nomen dederunt, id non formarint ex præſenti: uerum Græcos imitati ex præterito. In Columella autem & in Plinio, ac in alĳs libris impreſsis eſt ſcrupulum, quaſi à ſcrupo manarit: niſi quis putet i in u mox eſſe mutatum: & uerbum hoc ita retinere antiquitatem, ut carnufex, lubens, peſſumus. Scrupulus uero, quo barbari medici omnes ad unum utuntur pro hoc pondere, aliud ſignificat: nempe lapillum aſperum. atq; id ipſum à ſcrupo fluxit. Aut ergo ſcriptulum dicemus M. Varronem & Voluſium Metianum ſecuti: aut nõ abhorrentes à communi ueterum loquendi conſuetudine ſcripulum. Nam ſcribulum Caper repudiat. ſcrupulum autem, ut dici poſſe uideatur, tamen quia nemo ex ueteribus ſcriptoribus eius mentionem fecit, iure etiam reĳcitur. Scrupuli deniq; uerbi quod ſignificet lapillum nõ pondus, uim in aliud atq; barbari accipimus. In Fannĳ uerſibus reperitur prima breuis. ut in hoc

Gramma uocant, ſcrupulum noſtri dixere priores.

Equidem malo legere ſcruplum, & arbitrari eſſe conciſum. etenim ſcripulum dicimus prima ſyllaba producta. Martialis lib. IIII. Epig.

Ergo ne cargenti ſex ſcripula Septitiane Miſſa.

Idem in x. Epig.

Penſauit digitis diuq́ꝫ menſa eſt,
Libras, ſcripula, ſextulasq́ꝫ dicit.

Quod ſi quis putet à ſcrupo non ſolum ſcrupulus fieri, ſed etiã ſcrupulum genere mutato, eius etiam ſyllaba prima longa eſt. id uero indicat ſcrupeum, quod inde manat. Virgilius in ſexto Aeneidos:

Spelunca alta fuit, uaſtoq́ꝫ immanis hiatu
Scrupea.

Terentius etiam diminutiui primam produxit hoc ſenario, qui eſt in Adelphis:

Inieci ſcrupulum homini. Sa. ò ſcelera, illuc uide.

De ponderibus Romanis ſatis: quorum notæ ſunt apud Voluſium, Probum, Celſum, Largum. Libræ quidem ꝑ. Dupondij ꝑꝑ. Semiſsis s. Septuncis v. Beſsis — s —. Dodrantis s ⊤ —. Dextantis s ⊤ ⊤. Deuncis s ⊤ — ⊤. Trientis ⊤ ⊤. Quadrãtis ⊤ —. Sextãtis ⊤. Vnciæ ⊥. Seſcunciæ ꝺ. Semunciæ ꝺ. Binarum ſextularum ꝺ Sicilici ɔ. Sextulæ ⟍. Scripuli ꟻ. Denarij ⚹ uel ⚹. Victoriati ſiue quinarij ⋎. Celſus denarij ſextantem, ut & libræ hac nota ſignat z. qua de re diligenter aduertendum, ne nos notarum partes breuiores factæ, ut diſtinctiones uideantur, fallant, uel duæ in unam contractæ. nam & ſextantis, ut iam dixi, talis eſt z. & binarum ſextularum huiuſmodi 6. alij eandem bis ſcribunt, ſine ulla, ut mihi uidetur, ratione. Inuenitur præterea quartæ partis ſemiſsis, quæ eadem eſt ſeſcuncia, hæc nota ÷. Octauæ uero, quæ ſunt drachmæ ſex, iſta ⊥. quibus uſus eſt Scribonius Largus. Poſtremo octauæ partis unciæ ſignum, hoc 3. quo noſtrates drachmam ſignificare uolentes hodie utuntur. Tantum de notis.

GEORGII AGRI-COLAE LIBER QVINTVS DE PONDERIBVS Græcis.



Romanis etiam pondera unius generis fuerunt, quia una reſpublica florẽtiſsima quidem illa: Græcis diuerſa, partim quod ipſis multæ reſpublicæ nobiles & potentes fuerint, partim quod medici non nulla à Romanis quaſi mutuum ſumentes ac miſcentes cum Græcis propria conſtituerint. Hinc ſunt quę medica & quę hippoiatrica nuncupamus Illinc Attica, Corinthia, Laconica, Aeginæa, Euboica, ac alia multa. Nos hic tractabimus primo Attica, deinde medica, poſtremo hippoiatrica. His enim potiſsimũ medici utuntur. Siquidem alij Atticis, quorum è numero uetuſtiſsimi quiq; ſunt. Alij medicis, inter quos omnes ferè numerandi, qui uel Romæ medicinam exercuerunt, uel cum Græci ſub populi Romani imperium ditionemq; cecidiſſent, etiam in Gręcia compoſuerunt medicamenta. Alij hippoiatricis, ut mulomedicinę ſcriptores, quos ueterinarios quoque Latini nominant. Tametſi non negarim medicos nonnullis alijs etiam põderibus uſos, ut mina Alexandrina. Quam ob rem eos qui ueterũ compoſitiones legunt, diligenter conſiderare oportet, tum ipſius mixturæ uires, an inde conijci poſſit, quæ pondera intelligant, tum medicorum patriam, tum denique quo tempore, quibus ue in locis extra patriã ſcripſerint. Si uero quiſpiam magna quadam ſecuritate medicamẽta illorum compoſuerit, ac promiſsis non reſponderit effectus, nõ eſt cur conqueratur, cum ipſe in culpa eſſe poſsit. Sed de his aliâs copioſius diſſerui, Nunc pondera ſunt expedenda, atq; primo Attica. ὁ τάλαντον μνῶν ἕξ ἐξήκοντα. ἡ δὲ μνᾶ ἔχει δύο μὲν ἡμιμναῖα. ἑκατὸν δὲ δραχμάς. ἡ δὲ δραχμὴ ὀβολοὺς ἕξ. ὁ δὲ ὀβολὸς ἡμιώβολα μὲν δύο. ἕξ δὲ χαλκοῦς. ὁ δὲ χαλκοῦς λεπτὰ ἑπτά. τὸ δὲ λεπτὸν ἀδιαίρετόν ἐστι. Quod eſt, Talentum eſt minarum ſexaginta. Mina uero duas quidem habet ſemiminas, centũ autem drachmas. Drachma obolos ſex. Obolus duos quidem dimidios obolos, æreola uero ſex. Aereolum ſeptem minuta. Minutum indiuiſum manet. Hæc ſunt Attica pondera. Rurſus igitur mihi onus probandi imponitur. Quod talentum Atticum ſit ſexaginta minarum, aſſerit Iulius Pollux libro nono: τοῦτο μὲν δὴ ἄκαιρον, ὅτι τὸ μὲν ἀττικὸν τάλαντον ἑξακισχιλίας ἐδίδου δραχμὰς ἀττικάς. τὸ δὲ βαβυλώνιον, ἑπτακισχιλίας. τὸ δὲ αἰγινᾶιον, μυρίας. τῶν δὲ σύρων ὀγδοήκοντα καὶ χιλίας, ὡς πρὸς τὸ ἀττι-

κῆς δραχμῆς λογιομόν. ὡς πρ ἂν καὶ τὰς μνᾶς τὰς ἀττικὰς, τὸ μὲν ἀττικὸν ἑξήκοντα ἔχει. τὸ δὲ βαβυλώνιον, ἑβδομήκοντα. τὸ δὲ αἰγινητικὸν, κ) ἀνάλογον. ἡ μνᾶ δὲ ὡς παρ' ἀθηναίοις ἑκατὸν ἔχων δραχμὰς ἀττικὰς, οὕτω καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις τὰς ἐπιχωρίους, διαιρήσας πρὸς λόγον τὸ καθ' ἑκάστου ταλάντου, κατά τε πλοῦτον καὶ ἀφαίρεσιν. Id est Hoc uticq; dicere non intempestiuum erit, quod Atticum talentum sex millia drachmarum ualebat Atticarum. Babylonium uero, septem millia. Æginæum, decem millia. Syrium mille & quingentas, secundū Atticæ drachmæ rationem. Quemadmodum sanè & Atticas minas Atticum talentum habuit sexaginta. Babylonium, septuaginta. Æginæum, centum secundum proportionem. Sed mina ipsa ut apud Atheniēses centum habuit drachmas Atticas, sic apud alios quoq; ipsis usitatas, quæ pro ratione cuiusq; talenti secundum augmentum uel decrementum ualerent. Quibus uerbis aperte dicit, Atticum talentum sexaginta esse minarum. Sed idem non obscure intelligi potest è Xenophontis libro, qui uectigalia, uel de prouentibus inscribitur. unde etiam colligitur minam obolorum sexcentorum esse, qui constituunt centum drachmas, ut mox declarabo. Scribit Xenophon: ἤν γε μέντοι τριῶν συσσῖτια καὶ χίλια ἀνδράποδα, ἐκὸς ἦν καὶ τῆ πόλει τὰ προσόδου γίγνεσθαι τοσούτῳ ἢ ἔξ μὲν μεῖον αὐτῆ ἑξακισχιλίων γίγνεσθαι. ἀπέρχει μὲν τοῦτο τὸ ἀριθμὸν ἦν ὀβολὸν ἕκαστον ἀτελῆ τῆ ἡμέρας φέρη, ἡ μὴ πρόσοδον ἑξήκοντα τάλαντα ἐνιαυτοῦ. hoc est, Siquidem constituta fuerint primo mancipia numero mille & ducēta, ueriſimile ab ipso uectigali annis quinq; aut sex non minus sex millibus mancipiorum ciuitati parari. Huius autem numeri si singuli singulis diebus integrum obolum ferant, anni uectigal erit sexaginta talenta: Cum enim annus, ut ipse sentit, habeat trecentos sexaginta dies, si singulis diebus sex millia mancipiorum ferāt sex millia obolorum, ferunt anno uno uicies centum sexaginta millia obolorum: quos si redegeris in minas, quarum quæq; sexcētos habet obolos, prouenient tria millia minarum & sexcentæ. quæ sexagenario numero collectæ sexaginta talenta constituunt. Loquitur autem de Atticis, siquidem Athenienſibus consulit. Sed dicet quis, hæc de talento nummario scripta sunt, quot minarum erat ponderale? totidem. quod Diodorus apud Suidam declarat his uerbis: τάλαντον, ὡς φησι Διόδωρος ἐν τῷ περὶ σταθμῶν, μνῶν ἑξήκοντα ξ. ἡ δὲ μνᾶ, δραχμῶν ρ. ἡ δὲ δραχμὴ, ὀβολῶν ἕξ. ὁ δὲ ὀβολός, χαλκῶν ς. ὁ δὲ χαλκοῦς λεπτῶν ξ. id est, Talentum, ut ait Diodorus in libro De ponderibus, minarum est sexaginta. Mina uero drachmarum centum: Drachma obolorum sex. Obolus æreolorum sex. Aereolum minutorum septem. Sed dicet idem Diodorum non expresſisse quod de Attico loquatur talento. quod etsi uerum est, omnia tamen quæ ibidem scripta sunt, nullis alijs ponderibus conuenire possunt, ut quilibet qui nostra diligenter legerit

rit, intelliget. Sed & ipse Priscianus loquens de ponderali talento in libello de ponderibus, plane quod uolo dicit his uerbis: Talentum Atheniense paruum minæ sexaginta. Præterea Fannius ait:

Cecropium superest post hæc docuisse talentum
Sexaginta minas, seu uis sex millia drachmas.
Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis,
Nam nihil his obolo'ue minus, maius'ue talento.

Ex his igitur satis perspicuum est Atticum talentum ponderale tot fuisse minarum, quot fuerit nummarium. Sic usus talento pro pondere Xenophon libro sexto de disciplina Cyri. σκευῶν μὲν γὰρ βάρος ἀμφὶ τὰ εἴκοσι καὶ πέντε τάλαντα ἦν. Id est, Vasorum enim pondus erat circiter quinque & uiginti talenta. Idem libro tertio de memorabilibus Socratis factis atq; dictis: ὥσπερ εἴ τις ἓν τάλαντον μὴ δύναιτο φέρειν, πῶς οὐ φανερὸν ὅτι πλείω γε φέρειν οὐδὲ ὧν χειρητέον αὐτῷ; Hoc est, Quemadmodum si quis unum talentum ferre non possit, qui perspicuum non est, quod plura ferre ne conari quidem debeat? Sequitur μνᾶ, quam centum drachmarum esse diximus. id rursum probandum. Diodorus quidem cuius uerba iam retuli plane dicit, sed magis etiam Cleopatra, cum ait: ἡ ἀττικὴ μνᾶ ἔχει οὐγγίας ῑβς', < ρ, ⊥ τ, ὀβολοὺς χ, θέρμους ϡ, κεράτια ͵αω, χαλκοὺς ͵γχ. Id est, Attica mina uncias habet duodecim & dimidiam, drachmas centum, scripula CCC. obolos DC. lupinos DCCCC. siliquas MDCCC. æreola IIIDC. Quod ipsum ex Xenophontis eodē libro uectigalia, uel de prouentibus inscripto colligitur: ὅτι νικίας ποτὲ ὁ νικηράτου ἐκτήσατο ἐν τοῖς ἀργυρίοις χιλίους ἀνθρώπους, οὓς ἐκεῖνος σωσίᾳ τῷ θρακὶ ἐξεμίσθωσεν. ἐφ' ᾧ ὀβολὸν μὲν ἀτελῆ ἑκάστω τῆς ἡμέρας ἀποδιδόναι. τὸν δ' ἀριθμὸν ἴσως ἀεὶ παρεῖχεν. ἐγένετο δὲ καὶ ἱππονίκῳ ἑξακόσια ἀνδράποδα κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον τοῦτον ἐκδεδομένα. ἃ προσέφερε μνᾶν ἀτελῆ τῆς ἡμέρας. φιλημονίδῃ δὲ τριακόσια, ἡμιμνεῖα. Hoc est, Quod Nicias Nicerati filius possederit aliquando in metallis argentarijs homines mille, quos ipse Sosiæ Thracensi elocauerat: ita ut singulis, diebus singulis obolum integrum daret: atq; eum numerum fortè semper exhibuit. Fuerunt et Hipponico sexcenta mancipia ad eundem hunc modum elocata, quæ integram minam afferebant in diem. Philemonidę uero trecenta, quæ semiminam. Hæc ille. Itaq; cum sex oboli constituant drachmam, ut Diodorus & Cleopatra tradunt, liquet minam Atticam centum drachmis perfici. Suidas quoq; scribit:

ἑκατὸν δραχμαὶ ποιοῦσι μνᾶν μίαν. Id est, Centum drachmę faciūt minā unam. Postremo Plinius ex professo de Atticis ponderibus scribens, libro XXI. capite ultimo, ait: Mna, quam nostri minam uocant, pendet drachmas Atticas centum. Quin etiam Fannius inquit:

Mnam uocitant, nostriq; minam dixere priores.

Centum hæ sunt drachmæ.

Satis probatum arbitror minam Atticam centum esse drachmarũ, & eandem ponderalem & nummariam. Porrò ἀπὸ τῆς μνᾶς, fit μναιαῖος, minæ pondus habens. Sic Xenophon λίθους μναιαίους dicit, in eo libro, qui inscribitur magister equitum: & in altero, qui est inscriptus de re equestri. Diuiditur autem mina in duo ἡμιμναῖα, id est duas semiminas: quod ex Xenophontis uerbis perspicuum est. Nunc sequitur δραχμή, quæ habet sex obolos, Diodoro, Xenophonti, Plinio, et alijs omnibus. Ait uero Plinius, loco cuius iam sæpe mentionem feci: Drachma Attica, ferè enim Attica obseruatione medici utuntur, denarij argẽtei habet pondus. Eademq; sex obolos pondere efficit. Suidas quoq; scribit: δραχμὴ ἓξ ὀβολῶν. id est, Drachma sex obolorum. Superest ut ὀβολὸν explicemus. Is diuiditur in duos semiobolos. Semiobolum autẽ ipsi ἡμιώβολον appellant. Diuiditur & in sex æreola, quos χαλκοῦς nominant. quod Diodorus dicit: & præterea Suidas alio loco: ὀβολὸς παρὰ ἀθηναίοις ἓξ ἐστι χαλκῶν. id est, Obolus apud Athenienses sex est æreolorum. Cleopatra quid sentiat, in Romanis declarauimus. χαλκοῦς uero secatur in septem minuta, λεπτὰ uocant Græci, quod & Diodori uerbis intelligitur, & Suidæ, qui scribit alibi: ὀβολὸς δὲ παρὰ ἀθηναίοις ἓξ ἐστι χαλκῶν. ὁ δὲ χαλκοῦς, λεπτῶν ἑπτά. id est, Obolus quidem apud Athenienses sex est æreolorum. Aereolum uero septem minutorum. λεπτὸν autem, id est minutũ, siue, ut est apud Senecam, minutia, dirimi & distrahi non potest. Sed Cleopatra diuidit etiam drachmã in tria scripula: quæ ut forte fuerint Atheniensibus pro ponderibus in usu, non uidentur fuisse in re nummaria. Scribit enim loco scripuli Demosthenes δυοῖν ὀβολοῖν. cuius uerba sunt: ἀλλ' ἐν τοῖν δυοῖν ὀβολοῖν ἐθεώρουν ἄν, εἰ μὴ τοῦτον ἐγγραφῇ. Eadem Cleopatra secat obolum in sesquilupinum & tres siliquas: de quibus alibi dicturus sum. Hæc autem quæ recensui Attica pondera fuerunt. quæ singula in minora diuidamus. τάλαντον diuiditur in minas LX. drachmas VI. obolos XXXVI. semiobolos LXXII. æreola CCXVI. minuta MDXII Μνᾶ diuiditur in drachmas C. obolos DC. semiobolos MCC. æreola IIIDC. minuta XXVCC. δραχμή diuiditur in obolos VI. semiobolos XII. æreola XXXVI. minuta CCLII. ὀβολός diuiditur in semiobolos II. æreola VI. minuta XXII. ἡμιώβολον diuiditur in æreola III. minuta XXI χαλκοῦς diuiditur in minuta VII. quæ λεπτά dicuntur, & diuidi non possunt. Sequitur tertia huius sermonis pars, in qua obscura illustrare consueui. antequam ergo ad talentum redeam hoc unum dicere uolo. Nullum ferè est ponderis genus tam Græcis q̃ Latinis, quo non & numisma uel summa quædam rei nũmariæ significari soleat. Id ipsum in Latinis, Volusium & Balbum legentibus, clarius potest conspici q̃ ut ulla præterea probatione indigeat. In Græcis uero ita esse ea quæ di

ximus

ximus nonnihil declararunt, magis autem quæ dicturi sumus potuerunt indicare. Itaq; talentum Atticum supra probaui sexaginta esse minarum, minus autem intelligendum est, duplex enim ipsis fuit, maius & minus. de maiori nunc est dicendum. quod fuisse in usu Terentius ostendere uidetur in Phormione, apud quem Geta inquit:

Si quis daret talentum magnum.

Et Virgilius in quinto Aeneidos:

Vinaq; & argenti magnum dat ferre talentum.

Plautus uero in Mostellaria ut placet Seruio declarat quot minarũ fuerit, apud quem Tranio seruus de minis quæ debebantur Danistæ loquens ait:

Quater quadraginta illi debentur minæ. Sic autem Seruium legisse ex eius uerbis, quæ mox afferam apparet:

Dein idem seruus de eadem re uerba faciens inquit:

Talentis magnis totidem quot ego & tu sumus.

Tum iterum idem seruus: absolue hunc quæso uomitum.

Ne hic nos enecet, quater quadraginta illi debentur minæ,

Et sors & fœnus tantum est.

Hinc putat intelligi posse talentum magnum octoginta fuisse minarum. Is enim super Vergilij uersu, qui est in libro quinto Aeneidos:

Perfusæ uestes, argenti auriq; talenta,

ita scribit: Talentum secundum uarias gentes uarium est pondus, sed apud Romanos talentum est octoginta libræ, sicut Plautus ostendit in Mostellaria, qui ait, duo talenta esse centum sexaginta libras. Idẽ Seruius sup eiusdẽ Vergilij hoc carmine, qd est in nono Æneid.

Et tripodas geminos, auri duo magna talenta.

inquit: Bene addidit, magna: nam uarium apud diuersas gentes est talenti pondus. nam talentum potest & breue aliquid & magnum significare. Nam, ut supra diximus, secundum Plautum talentum octoginta librarum est, qui cum dixisset debere CLX. libras, paulo post intulit duo talenta, per iocum dicens, debentur talenta tot quot ego et tu sumus. Hæc ille. Multis autem modis errat Seruius. primum enim non est in Plauto, quater quadraginta, sed

Quatuor quadraginta illi debentur minæ.

Danista quidem quadraginta minas Philolacheti dedit fœnori: atque ille eas Simoni, de quo, ut Tranio fingit, ædes emit, arraboni. Philolachetes uero quatuor præterea minas danistæ ex fœnore debebat. quot minas centesimæ, si his fœnerator contentus erat, decem mensium ductæ efficiunt, aut duæ centesimę quinq; mensiũ. itaq; seruus ait.

Et sors & fœnus tantum est.

Verum quatuor quadraginta, non quater quadraginta, legendum esse ex his, quæ & antecedunt hæc, & sequuntur, perspicuum est. Tra-

nio ante dixit Philolachetem ædes emiſſe. Teuropides ſic interrogat. eas quanti deſtinat? reſpondet ſeruus. Talentis magnis totidem quot ego & tu ſumus.

Id eſt duobus talentis. Poſt autem Teuropides cum loquitur cum Simone ait.

Mnas quadraginta accepiſti iam, quod ſciam,
A Philolachete. Tum.
Minas tibi octoginta argenti debeo.

Quæ duæ ſummæ in unam collectæ efficiunt centum uiginti minas. unde ſequitur talentum eſſe minarum ſexaginta. Seruius igitur, quod etiam alij animaduerterunt, planum facere Plauto teſte non poteſt talentum magnum eſſe minarum octoginta. Deinde errat Seruius in hoc quod Romanis LXXX. librarum talentum eſſe dicit, cum nullum habuerint talentum. Etenim comici, qui talento utuntur, fere Attico loquuntur more. quare Terentius non modo habet talentum, ſed etiam minam, drachmam, obolum. ſimiliter Plautus. Sunt uero in hac re imitati Græcos, Apollodorũ ſcilicet, Diphilum, Menandrum, de quibus ſuas fabulas expreſſerunt. Tum iterum Seruius memoria non tenet comici poetæ uerba. nam Plautus libras nõ dicit, ſed minas: nec eiuſdem ponderis & precij ſunt libra & mina. Etſi uero Seruius de talento Attico maiori nobis Plauti uerbis cõfirmare non poteſt minarum octoginta eſſe, tamen id tot minarum eſſe ex Liuio & Priſciano diſcimus. Liuij uerba hæc ſunt in libro quadrageſimo octauo ab urbe condita. Argenti probi duodecim millia Attica talenta dato intra duodecim annos penſionibus æquis. talentum ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat. Liuius certe Atticũ talentum, nõ Euboicũ, ut quidam ſcribũt, dicit debere pendere octoginta pondo. Priſcianus uero Cæſarienſis in libello De ponderibus hunc locum citans ſcribit: Sic decreuit ſenatus, ut nõ plus quàm ternæ libræ & quaternæ unciæ ſingulis deſint talentis. Quæ quidem probe dicit. Nam octoginta minæ Atticę efficiũt octoginta tres libras Romanas & quatuor uncias. eſt enim mina quatuor drachmis grauior libra. Idem Priſcianus ſcribit duo talenta Atticis fuiſſe his uerbis: Talentum Atheniense paruum, minæ ſexaginta: magnum, minæ octoginta tres & unciæ quatuor. Ego legerem, libræ octoginta tres & unciæ quatuor: ut cum his quæ paulo ante ex eodem retuli, congruant. Niſi quis uelit dicere, minas hic ab eo pro libris ſcriptas, tanquam idem eſſent. quod ut hominis eſſet parum memoris, ita non multum mirum, quia poſtea ſcribit: Et ſciendum quod ſecundum Liuij computationem centum minæ Atticæ, quarum ſingulæ LXXV. drachmas habent, faciunt talentum magnum. nam minus habet LX. ſecundum Dardanum. iſto enim modo talentum magnum habuiſſet tantum ſeptem millia & quingen-

tas

tas drachmas. Itaq; tres diuersæ sententiæ à Priscíano proferuntur, siue librariorum siue ipsius magis culpa, qui diuersa ex diuersis non satis intelligens collegerit. Sed non ualde miror & Seruium & Priscianum in his falli, ut qui Grãmatici fuerint nisi quis omniũ rerum perfectam scientiam illis esse debere uelit, quod nescio an ulli contigerit, aut unquam continget. Sed relinquamus Priscianum. nam Budæus quoque aduertit ipsum non satis consentanea tradere, eaq; cum multis excusserit, tandem inquit. Quare potius adducor ut talentum apud Liuium sit octogenarium et proportionem epitriton habeat id est sesquitertiam, uel ut alij loquuntur tertiariam, ad talentum Atticum minus, quod sexagenarium est. Hæc recte. Pergit. Sic enim ratio quadrabit, ut quam proportionem denarius ad drachmam habuisse dicitur, eandem Liuianum talentum ad uulgare, id est ad Atticum habeat. Priscianus quidem dixit denarium hãc proportionem habere ad drachmam. sed Liuius non omnino, qui addit ferè. Budęus autem id nõ uult. nam denarium & drachmam Atticam idem pondus habere & idem ualere putat. Sequitur. Libras nunc centenarias intelligi uolo nã quod apud Priscianum legitur ut talentum minus sexagenarium sit, & libræ eius septuaginta quinq; drachmarum, nullo autore confirmari potest. Hactenus ille. Ex incuria librarij arbitror hic scriptum libræ, cum minæ esset scribendũ. & uere dicuntur hæc à Budæo. Tametsi enim duplex mina fuerit Atticis, uetus LXXV. drachmarum, noua centũ, nusquam tamen legitur talentum minus fuisse centum ueterum minarũ. sed de his mox plura. Ait deinde Budęus. Cum enim Suidas, Pollux, Festus, Græci & Latini talentum Atticum sex millium drachmarum esse dicant & sexaginta minarum, necesse est ut LX. minas non Atticas sed Græcas intelligamus & centenarias, quæ Atticas octoginta faciunt. Hæc Budæus. Cum quo minime consentio. nam Suidas & Pollux ac cæteri cum dicunt talentum sex millium drachmarum esse, Atticas intelligunt. quemadmodum etiam Latini dum sex millium denarium dicunt, intelligunt drachmas Atticas, ut ex dictis perspicuum est. Atq; sic etiam non Græcas minas sed Atticas intelligunt. Sed quorsum tandem hæc? pergit declarando. Nõ omittendum id quod Pollux inquit, Talentum Atticum apud Athenienses Atticas drachmas capere numero sex millia. apud alios eundem numerum, sed suarum cuiusq; loci drachmarum. Hactenus Budæus. Supra uerba Pollucis retuli quibus minas dicit alijs quoq; centum esse drachmarũ, sed earum quibus ipsi fuerunt usi. Tandem Budęus infert. Id quod eo pertinere potest, quod de talento Liuiano dictum est, siue Euboicum, siue aliud fuerit, ut quomodo Athenis & alibi talentum sex millia drachmarum habuit uernacularum cuiusq; loci, sic Romæ sex millia denariorum habuerit, quæ tamen ęquauerint pondere octo millia drachmarum. Hęc Budæus. Liuius

uius cum habeat duplex talentum Atticum, maius quod ipſe clare dicit Atticum, minus, quod non obſcure ex his quæ ſupra ſcripſi, intelligitur quoq; Atticum fuiſſe. quorum neutrum idem eſt quod Euboicum, cuius ipſe alias nominatim mentionẽ fecit, neq; idem quod aliud quoddam Græcum cuius meminiſſe autores ſcimus. Ægyptium tamen talentum eiuſdem fuit ponderis, cuius Atticum maius. Romanis autem nullum fuit talentum. cum enim ſex millium denariũ talentum eſſe aiunt, de Attico ſe loqui manifeſte dicũt Feſtus & Gellius. Liuius uero ſua quæ habet de eodẽ Attico minore ex Polybio trãſtulit. Quãob rem hæc Budæi, pace tanti uiri dixerim, planè incerta ſunt. ne igitur dubios magis quàm certos redderent lectores penè neceſſarium fuit ea aſcribere. Verum hoc loco non ab re erit ueterum loquendi conſuetudinem indicare, præſertim quod libri ſint hic nõ parum depraua-ti. Suidas ſic ſcribit ἀρχαῖα δὲ ἡ χρῆσις καὶ τοῦ τρίτον ἡμιτάλαντον, καὶ πέμπτον ἡμιτάλαντον. ἔστι δὲ τὸ μὲν τρίτον ἡμιτάλαντον, δύο ἥμισυ τάλαντα. τὸ δὲ πέμπτον ἡμιτάλαντον, τέσσαρα ἥμισυ. καὶ τὸ ἕβδομον ἡμιτάλαντον, ἓξ ἥμισυ. καὶ ὅλως οὗτινοσοῦν ἀριθμοῦ παρωνύμως μέρει ἑρμηνεύσει τις τὸ ἡμιτάλαντον, τοῦτο ὁ προηγούμενος ἀριθμὸς ἐφαρμόσει τοῖς ταλάντοις. οἷον ἂν μὲν ὄγδοον, ζ'. ἂν δὲ ἔνατον, η'. σωρεύσει μέντοι ἀπολυόντι τὸ ἥμισυ. φίλον δὲ τοῖς ἀρχαίοις καὶ τὸ ἓν ἥμισυ τάλαντον, τρία ἡμιτάλαντα λέγειν. ὡς τὸ τρία ἡμίμνᾶ, τὸν μίαν ἡμίσειαν μνᾶν. Id eſt. Antiqua conſuetudo eſt huius locutionis tertium ſemitalentum & quintum ſemitalentum. Eſt uero tertium ſemitalentum, duo talenta & dimidium. Quintum uero ſemitalentum, quatuor & dimidium. Et ſeptimum ſemitalentum, ſex & dimidium. Et omnino cuius tandem numeri parti addiderit quiſpiam ſimili ratione ſemitalentum, eius numerus antecedens conueniet talentis, ut ſi octauum, ſeptem. ſi nouem, octo. connumerato uidelicet dimidio. Solent autem antiqui unum & dimidium talentum, tria ſemi talenta dicere, ut & tres ſeminas, unam & dimidiã minam. Idem Suidas etiam alibi ſcribit. τρίτον ἡμιδραχμον τὰς δύο καὶ ἡμίσειαν δραχμὰς, οὕτως εἰώθασι λέγειν οἱ παλαιοί. Hoc eſt. Tertiam ſemidrachmam duas drachmas & dimidiam iſto modo antiqui conſueuerunt loqui: quod ſanè cum locutionibus ſuperioribus conuenit. Hinc Priſcianus quoq; inquit in libello de ponderibus. Seſtertius dicitur ſemis tertius: de quo Aruntius hæc ait. Seſtertius olim dupondius & ſemis, quaſi ſemiſtertius. quo tempore denarius decuſsis ualebat. hoc eſt poſt duos ſequens tertio loco eſt ſemis. Hoc quoq; ſecundum Atticos & Ionas, qui τρίτον ἡμιδραχμον dicebant pro δύο καὶ ἡμίσειαν δραχμὰς. teſte etiam Didymo, qui hoc ponit oſtendens in omni parte orationis & conſtructionis analogiam Græcorum ſecutos eſſe Romanos: unde & Herodotus in primo hiſtoriarum ἕβδομον ἡμιτάλαντον. Id eſt. Septimum ſemitalentum dixit, pro ſex & ſemitalentum. Hæc Priſcianus. In

eadem

eadem ſententia eſt Voluſius Metianus quum ſcribit, Seſtertius duos aſſes & ſemiſſem, quaſi ſemis tertius, græca figura ἕβδομον ἡμιτάλαντον. Nam ſex talenta & ſemitalentum eo uerbo ſignificatur. Lex etiam XII. tabularum argumento eſt, in qua duo pedes & ſemiſsis ſeſtertius pes uocatur. Ex his igitur intelligimus ſi dixerint τρία ἡμιτάλαντα quod tria ſemitalenta indicent id eſt ſeſquitalentum. Sin τρίτον ἡμιτάλαντον quod duo integra talenta & dimidium. Sed de his plura nō dicam, quod etiam Budæus ea nonnihil attigit. Dicūt præterea δίτάλαντον, id eſt duo talenta, & τριτάλαντον, tria. Inde quoq; fit ταλαντιαῖος id eſt pondere talenti ſiue talentarius. quo utitur Siſenna libro IIII. hiſtoriarum, ut eſt apud Nonium. Baliſtas, inquit, quatuor talētarias. Vnde ταλαντιαῖοι λίθοι apud Suidam. Et ταλαντόω quod pondero ſiue ad libram appendo ſignificat, quo utitur Plato in Timæo. τὴν δὲ γῆν ταλαντομένην ἀνωμάλως σείεσθαι μὲν ὑπ' ἐκείνων, κινοῦσι δὲ αὖ πάλιν ἐκεῖνα σείουσι. Id eſt. Terram uero inæqualiter appenſam ab illis concuti, rurſumq; cōmotam illa concutere. Sed idem uerbum etiam dicitur ταλαντάω & ταλαντεύω. Poſtremo inde πολυτάλαντος dicitur diues, ut qui multa habeat talenta. Sed in his nimius fui, quæ ad Grammaticos magis pertinent. Venio nunc ad minam. quemadmodum uero duplex talentum magnum & paruum Atticis fuiſſe teſtimonio autorum probaui, ita duplex quoq; mina fuit. maior, quam Solonis appellare poſſumus minor, quam ueterem. fuit hæc quinq; & ſeptuaginta drachmarum, illa centum. Itaq; Solonis habet plane proportionem ſupertertiam ad ueterem, quam & talentum magnum ad paruum, ut prorſus uerum ſit quod Plutarchus & Andocides aſſerunt Solonem menſuras & pondera auxiſſe. Verum ut utrunq; talentum in uſu manſit, ſic nō pari modo utraq; mina, ſed uetus abolita uidetur, Erat uero Solonis Xenophonte, Diodoro, Cleopatra, Plinio teſtibus centum drachmarū. Vetus autem quinq; & ſeptuaginta, quod dicunt Fannius & Priſcianus. Fannius quidem, cum Graiam minam, quam uult centum eſſe drachmarum, declararit, adijciens.

Attica quæ fiet, ſi quartam dempſeris hinc, mna.

Priſcianus uero ſic ſcribēs. Mina Attica drachmæ ſeptuaginta quinque. Malo autem cum iſtis hic facere quàm cum Plutarcho, quod hac ratione prorſus ſeruetur proportio ſupertertia, quæ & inter talentum magnum & paruum eſt. Credo autem uel negligenter à Plutarcho ſcriptum trium & ſeptuaginta minarum, uel, quod magis placet, librariorum incuria qui notas ob uetuſtatem non recte legentes, numerū mutarunt. Verum Fannius & Priſcianus nonnihil etiam hac parte aberrarunt à uero, quo fit ut alios reddiderint dubios, alios ſecum errare fecerint. nam minam centum drachmarum, quam Atticam eſſe optimis autoribus probaui, Græcam appellat Fannius, neſciens Atticis duas

fuiſſe

fuisse minas. Ait enim

Accipe præterea paruo quam nomine Graij
Mnan uocitant, nostríq; minam dixere priores.
Centum hæ sunt drachmæ, quod si decerperis illis
Quatuor, efficies hanc nostram deniq; libram:
Attica quæ fiet, si quartam dempseris hinc, mna.

Ex quibus carminibus primo perspicuũ est, quod Graiam minam centum esse drachmarum uelit. quasi Græci perinde ut communem habuerint loquendi proprietatem, quam Ἀττικὴν appellant, sic etiam minam habuerint communem. Deinde libram Romanam esse drachmarum nonaginta quatuor: quod rectissime ab eo scriptum est. Tum deniq; Atticam minam esse drachmarũ septuaginta quinq; quod uerum est de ueteri Attica. Si igitur quã Graiam uocat, nominasset quoque Atticam, bene sensisset. sed forte non credidit unam eandemq; ciuitatem duas habuisse minas diuersas, unde in istam opinionem uenit. Sed Priscianus magis errat scribens: Mina Attica drachmę septuaginta quinq;. Libra uel mina Graia drachmæ nonaginta sex. Primum recte scribit de Attica mina ueteri, ac planè consentit cũ Fannio. alterum non recte: nam nec libra uere Graia dicitur, quæ Romana est: quatametsi Græci utuntur, seruant tamen idem pondus quod Romani. nec mina ulla nonaginta sex drachmarum fuit. Sic fallimur ubi, re non satis diligenter considerata, leues ad scribendum sumus. Videtur autem Priscianus ea legisse, ex quibus Fannius sua excerpsit, sed non satis memoria tenuisse. Porrò Alciatus facit nobis duas libras Atticas, quarũ neutra est Attica. altera tantum improprie sic dicitur, & quidem à nemine nisi Fannio. Sed ne tempus frustra teratur eius uerba perpendamus, Nunc de libra uideamus, quam illi λίτραν dicunt, & minimum fuit, põderis uidelicet stagiorum, id est sextularum, trium, ut interpres Nicandri scribit. Sic ille. Nicandri interpres hoc non scripsit de libra, sed mina Attica. ait enim. ἡ ἰταλικὴ μνᾶ λίτραν μίαν ἡμίσειαν. ἡ δὲ ἀττικὴ, στάγια τρία. Id est mina Italica sesquilibram habet. Attica uero tria stagia. Sed locus hic sine dubio deprauatus est, ut & alij multi. Quis enim unquam scripsit minam Atticam sex drachmarum esse? ego arbitror sic legendum. ἡ δὲ ἀττικὴ λίτραν μίαν καὶ στάγια. γ. id est. Attica uero (pendit scilicet) libram unam & stagia tria. tum enim uere ab interprete ista scribuntur. Alciatus tria stagia recte interpretatur tres sextulas. omnino enim hic tribus è stagñs, ut è tribus sextulis quatuor drachmæ efficiendæ sunt. quæ desunt libræ, quo minus sit Attica mina integra. Idem interpres probe dicit libram unciarum esse duodecim. ἡ ὁλκὴ, inquit, ἀγγίας δύο. ἡ λίτρα ὁλκὰς ἓξ. Hoc est. Holce uncias duas habet, libra holcas sex. Quid uero Holce fuerit in medicis declarabo. Præterea Alciatus libram pro mina dicit: quem nec satis defendit

Plinius

Plinius, qui more interpretum sibi aliquid permittens, uertere solet libram, nec Fānius qui improprie sic nominauit. Pergit deinde. De qua multa quoq; Iulius Pollux scripsit. cui opinioni astipulatur etiam Hesychius qui λίτραν interpretatur Siclum, qui idem est cum stagijs tribus: & tamen libra communis, ipsa quoque est unciarum duodecim. Hactenus Alciatus. Ascribenda sunt uerba utriusque, primo Hesychij qui inquit. λίτρα, ὀβολός. οἱ δὲ νόμισμα παρὰ σικελοῖς. οἱ δὲ ὡσὶ σταθμῶν. οἱ δὲ ῥωμαῖοι δηλ. τὸ. α. λίβρα. Id est. Litra, obolus. Alij uero dicunt nomisma apud Siculos. Alij pondus. Romani autem per. b. proferūt libram. Ne uero quempiam perturbent uerba Hesychij, ea declarare operæprecium duxi. Principio dicit: libra, obolus, id est libra ualet obolum. Id autem de graui ære quo mulctam irrogare solebant dictum potest accipi. Siquidem denarius decem ualebat asses siue libras, obolus uero erat decima pars drachmæ Aegineæ. ut in alio opere declaraui. Hinc traditum ab autoribus libram obolum ualere. Vnde Pollux libro nono inquit. καὶ μὴν ἐν ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ, φησὶν ἀριστοτέλης, ζημιῶσθαί τινας τριάκοντα λίτρας. λιώσασθαι δὲ τὴν λίτραν ὀβολὸν αἰγιναῖον. Hoc est. Atqui in Agragantinorum rep. dicit Aristoteles, quendam mulctatum esse triginta libris. Valere uero libram obolum. Ex quibus perspicuū esse arbitror lib. & obolū nō idem esse, sed idem ualere. Quod si quis putat λίτραν pro libella, quod diminutiuū non recipit Græca lingua, dictum, nō aberrat. Siquidem libella erat moneta argentea atq; decima pars denarij, ut alia libella decima pars sestertij quemadmodum est apud Volusium Metianū. Deinde ait Hesychius. Numisma apud Siculos, ex quo apparet Siculos etiam Romana moneta usos: quare mirum non est Epicharmum Siculum scripsisse hemi nam latino uocabulo. Addit Hesychius. alij pondus: quod ita esse nemo nō intelligit. Postremo inquit Romani autem per b proferunt uel scribunt libram: cognoscitur autem uel inde Græcos Romanā uocem nonnihil corrupisse. Igitur quæ sit sententia tum Hesychij tum Pollucis, quēlibet iam tenere arbitror. Sed Alciatus uidetur legisse siclum, cum omnia exemplaria Hesychij & Pollucis quæ mihi uidere contigit, habeant obolum. Sequitur in Alciato. Est & alia Attica, cuius meminit Rhemnius Palæmon, ponderis drachmarum LXXV. quarta uidelicet parte minor nostra libra, cuius supra mentionem fecimus: sed improprie hanc librā uocitari dixi. Hæc ille. Fannius eam nunc libram Atticam, nunc minam nominat. minam quidem recte, libram uero improprie, ut bene sentit Alciatus. His uero uersibus libram appellat.

Vnciaq; in libra pars est, quæ mensis in anno.
Hæc maior Latio libra est, gentiq; togatæ.
Attica nam minor est, ter quinq; hanc deniq; drachmis
Et ter uigenis tradunt explerier unam.

Quibus uero minã recte uocat ſupra retuli. Deinde errat Alciatus quod quarta parte Romana libra minorem dicit. id enim non eſt. nam tum ſeptuaginta duarum drachmarũ tantum eſſet quod nec ipſe uult, nec eſt uerum. Quod autẽ ſupra ſe dixiſſe ait, eſt. Metron enim ut eius poetæ interpres atteſtatur, præcipue chœnica appellabant, ex eo quod illa principium ſit omnis ferè menſuræ quapropter & à quibuſdam libra dicta eſt, ſed improprie. Videtur Rhemnius Palæmon non ipſam chœnicem, ſed eius dimidium libram appellaſſe, dum Atticam libram commemorat ponderis drachmarum LXXV. Sic Alciatus. Recte quidem ſcribit metron chœnica dictam id enim dixit Ariſtophanes, ut eius interpres declarat ubi uero Rhemnius dimidium chœnicis appellauerit libram neſcio certe ſi ita appellaſſet, quod ab eo factum non eſt, magis etiam improprie quàm minam libram nominaſſet. Sed ut modum & finem huic diſputationi faciam, libra Attica nulla eſt, ſed duplex eſt mina Attica, uetus & Solonis. Iam ad drachmam eſt tranſeundum, quæ nũmus erat argenteus, ſicut apud Romanos denarius. Hinc Suidas ſcribit Δραχμὴ δὲ ὁλκὴ νομίσματος ἀργυρίου. Id eſt. Drachma autem pondus argentei nummi. Et Fannius

In ſcripulis ternis drachmam, quo pondere doctis
Argenti facilis ſignatur pondus Athenis.

Præterea Alexarchus apud Athenæum mutato more loquẽdi τὴν δραχμὴν, ἀργυρίδα nuncupauit. Fuit & aurea drachma, quam δραχμὴν χρυσῆν Heſychius & Suidas nominãt. Verum drachma dicta eſt, ut Iulius Pollux ſcribit, quod ſit quaſi manipulus obolorum, quem δραγμὴν uocãt. A drachma quoq; fit τετράδραχμον, id eſt quatuor drachmæ, in cuius loco latini habent ſemunciam. eo uocabulo, ſed Attico, uſus eſt Liuius. fit & τρίδραχμον atq; διδραχμον, id eſt tres & duæ drachmæ. Quoniã uero de drachma Attica multa in latinis ponderibus dixi, nunc ad obolum uenio. obolos autem drachma Attica ſine controuerſia habet ſex quæ poſſet etiam diuidi in tria γράμματα, quæ latini ſcripula nominant, quemadmodum eam diuidit tum Cleopatra, tum Fannius: ſed quia γράμματος in hac ſignificatione uſus Atticis nullus aut rarus eſt, id ad medica pondera reiciã. Ab obolo aũt fit διώβολον & τριώβολον & τετρώβολον id eſt duo, tres, quatuor oboli. Pendit uero obolos ſex æreola Diodoro & aliis quare Plinij locus aut deprauatus eſt, aut ipſe decẽ æreola paris ponderis fecit cum aliorum ſex. Sunt uero uerba Plinij de drachma Attica. Eademq; ſex obolos pondere efficit obolus decem chalcos. Poſtremo æreolum diuiditur in ſeptem minuta, quæ, ut dixi, indiuiſa permanent. Tantum de Atticis ponderibus, ſequuntur medica. ἡ μνᾶ ἰατρικὴ ἔχει ὀγγίας. ις. ἡ δὲ λίτρα ὀγγίας. ιϛ. ἡ δὲ ὀγγία δραχμὰς. η. ἡ δὲ δραχμὴ, γράμματα. γ. τὸ δὲ γράμμα ὀβολοὺς δύο. ὁ δὲ ὀβολὸς ἡμιώβολα δύο. τὸ δὲ ἡμιώβολον κεράτιον

as. τὸ

ας'. τὸ δὲ κεράτιον σιτάρια. δ'. Hoc est. Mina medica habet uncias sedecim. Libra uero uncias XII. Vncia drach. octo. Drachma scripula tria. Scripulũ obolos duos. Obolus semiobolos duos. Semiobolus siliquã unã & dimidiã. Siliqua grana quatuor. Sic se habent pondera quæ Grę corũ medicis sunt in usu· quod aũt tot unciarũ fuerit medica mina, dicit Dioscorides quisquis fuit, cuius uerba sunt hæc in libello de mensuris & ponderibus. ἡ μνᾶ, κατὰ μὲν τὴν ἰατρικὴν χρῆσιν, ἄγει οὐγγίας. ις. τοῦ τέστιν ὁλκὰς ρκη. Id est. Mina secundũ medicorũ usum habet uncias sedecim, drachmas centum uiginti octo. Hinc Galenus lib. II. de cõpositione medicamentorũ secundum genera recitat emplastrũ Heræ nobilis medici qui sic scribit πίσσης ξηρᾶς μνᾶ. α. λιθαργύρου μνᾶ. α. &c. minæ pondere· tandẽ uero etiam κυπρίου χαλκοῦ μνᾶς ἑκκαιδέκατον. Vbi Galenus addit. ἐν τούτῳ τῷ φαρμάκῳ ὁ ἥρας δῆλος ἐστὶ τὴν μνᾶν ις. οὐγγιῶν βουλόμενος εἶναι. οὐ γὰρ ἂν ἑκκαιδέκατον ἐγεγράφει μνᾶς, εἰ μὴ τοῦτ' ἐβούλετο. Id est. In hoc medicamento Heras manifeste uidetur uelle minam esse XVI. unciarũ. nisi enim uoluisset hoc, sextamdecimã minæ partẽ non scripsisset. Idẽ Galen. in eodẽ lib. paulo ante recẽsens emplastra quędã uiridia Andromachi, quartũ his uerbis ab eo scriptũ affert. ἰοῦ ξυστοῦ δραχμὰς θ. χρυσοκόλλης δραχμὰς θ. τῶν μινθίνης μνᾶν μίαν. κηροῦ μνᾶς ἥμισυ. ὄξους ὀλίγον. Id est. Æruginis rasilis drach. IX. Chrysocollæ drach. IX Resinæ terebinthinæ minã unam. Ceræ minam dimidiã. Aceti parũ. Galenus minæ quam Andromachus intelligat, declarandæ gratia, inquit. τὴν μνᾶν δὲ οὐγγιῶν δεκαὲξ ἐμβάλλειν. ἡ δὲ τῶν εἴκοσι, ὡς πρὸς τὴν τῶν χρυσοκόλλης καὶ τοῦ ἰοῦ ἰσαμετρίαν, μεγάλη. Hoc est. Minam aũt sedecim unciarũ inijcere oportet. quę enim uiginti unciarũ maior est, q̃ ut proportione chysocollæ & ærugini cõueniat. Satis declaratũ arbitror medicis in usu fuisse minam XVI. unciarũ. quare ad librã uenio. quæ ipsis more Romano in XII. uncias secatur. Medici enim nobiles Græci qui hoc uocabulo utuntur, rerum Romanarũ non fuerunt imperiti, unde & nomẽ & pondus mutuũ sumpserunt. Sed librã explanat idem Dioscorides scribens. ἡ δὲ λίτρα ἔχει οὐγγίας. ιβ'. δραχμὰς δὲ. ϛς. Quod est. Libra autem habet uncias duodecim, drachmas uero sex & nonaginta. Idem asserit Galenus primo libro de cõpositione medicamẽtorum secundum genera ἡ μὲν λίτρα δραχμὰς ἓξ ἔχει πρὸς ταῖς ἐννενήκοντα. τὸ δὲ ἡμίλιτρον ὀκτὼ καὶ τεσσεράκοντα δηλονότι. καθάπερ καὶ τούτου πάλιν τὸ ἥμισυ τέτταρας καὶ εἴκοσι. Id est. Libra enim drach. sex & nonaginta habet. Selibra octo & quadraginta. quemadmodũ & huius rursum dimidia pars quatuor & uiginti. Sic Galenus. Cum igitur octo drach. unc. efficiant, ut mox declarabo, necessario sequitur librã esse XII. unciarũ. Quinetiã Galenus eiusdẽ operis lib. I. ait, εἰ μὲν τῶν χαλκίτεως ἐμβάλοις οὐγγίας. ς. ὅπερ ἐστὶν ἥμισυ λίτρας. ἔσταισοι μεγάλων τραυμάτων κολλητικώτερον τὸ φάρμακον. Hoc est. Si chalcitis uncias inieceris sex, quæ est

ſelibra, magna uulnera conglutinandi uim maiorem habebit hoc medi camentū. Sed idem lib. III. eiuſdem operis librā tam ponderalem q̄ menſuralē in XII. uncias diuidi aſſerit, quæ uerba lib. primo retuli. Sequitur ὀγγία uox Romana, literis paululum, ut ſcribit Galenus, immutatis, nec minus pondus Romanū, quam drachmarū octo eſſe ait his uerbis Dioſcorides. ἡ δὲ ὀγγία δραχμὰς η. γράμματα κ δ'. Id eſt. Uncia uero drachmas habet octo, ſcripula XXIIII. Galenus quoq; ſcribit libro ſexto de cōpoſitione medicamentorū ſecundū genera. διὰ γὰρ τὸν σαθμικὸν ὀγγίαν ὀκτὼ δραχμὰς ἔλκειν. Id eſt, Idcirco quod ponderalis uncia octo drachmas pendat. Idem eiuſdē operis lib. V. ἕλκουσι γοῦν αἱ θ. ὀγγίαι Ἰταλικαὶ αἳ γίνονται τοῖς κατὰ τὰ κέρατα ἑπτὰ καὶ ἡμίσειαν ὀγγίας σαθμικὰς, αἵτινες ξ. δραχμαὶ γίνονται, τὰς μὲν ὀγγίας η. δραχμὰς δὲ χμφ'. Id eſt, Pendūt enim nouem unciæ Italicæ quæ in cornibus interſectis ſunt, ſeptem uncias ponderales & dimidiam, quæ quidem ſexaginta drachmę fiunt, cum unaquæq; uncia capiat octo drachmas. Idem in emplaſtro, quod ipſe compoſuit, declarat. ῥητίνης τερμινθίνης ὀγγίας β. τοῦτ' ἔστιν δραχμὰς ις. Id eſt, Reſinæ terebinthinæ uncias duas, hoc eſt drachmas ſedecim. Hinc quoq; fecerunt ἡμίογγιον quod eſt Semuncia. Galenus lib. II. βουληθεὶς ἡδύωδες αὐτὸ ποιῆσαι μίξας ὀποπάνακος ἡμίογγιον, ὅ περ ἔστι δραχμὰς δ'. Id eſt, Si uolueris id ipſum odoratum facere, miſcebis opopanacis ſemunciā, quod eſt drachmas quatuor. Heſychius quoq; ſcribit. δραχμὴ τὸ ὄγδοον τῆς ὀγγίας. Id eſt Drachma VIII. pars unciæ. Uncia igitur drachmarū eſt octo. Drachma aūt pendit tria ſcripula. Itaq; inquit Dioſcorides, cuius iam ſæpe mentionem feci. ἡ δὲ δραχμὴ, ἣν καὶ ὁλκὴν ἄγουσι γράμματα τρία, τοῦτ' ἔστιν ὀβολοὺς ς. Id eſt, Drachma quę & Holce pendit ſcripula tria, quod eſt obolos ſex. Idem etiam alij tradunt. Ab ea fit ἡμιδραχμον, quod medicis quoq; in uſu eſt. Galenus operis cōmemorati lib. IIII. τῆς δὲ τοῦ χαλκοῦ λεπίδος ἡμιδραχμον. Hoc eſt, Squamæ uero æris ſemidrachmā. Proximū eſt γράμμα, quod Latini ſcripulum dicunt, ueteribus Græcorū medicis non adeo in uſu, ut nec Latinis. Iuniores uero è quorū numero eſt Aetius, Alexander, Aretius, Moſchio, nō raro utuntur, ſed his nihil iam probare uolo. Veteres autem eius loco habēt διόβολον, uel ὀβολοὶ δύο. Vt Soranus apud Galenū libro primo de cōpoſitione medicamentorū ſecundū locos: κιονίτου ὀβολοὶ δύο. Id eſt. Pumicis oboli duo, Quē obolum etiam Plinius nō mutauit cum haberet ſcripulū, quo aliàs utitur, & dimidiū ſcripulū poſſet dicere. Verba eius ſunt lib. XXXII. cap. XI. Lapis qui inuenitur in ſcorpionis marini cauda pondere oboli potus. Duos uero obolos dicunt & διώβολον, ex quo fit διωβολιαῖον. Galenus eiuſdē operis lib. VII. ὕδατι ἀνάπλαττε ξοχίσκους διωβολιαίους. Id eſt. Aqua formato paſtillos pondere duorū obolorum. Tres aūt obolos ijdem dicunt τριώβολον. Idem Soranus loco ſupra citato ἄλλος

ἀμμω

ἀμμωνιακοῦ τριώβολον. Hoc est. Salis Ammoniaci tres obolos. Sic etiã quatuor obolos appellant τετρώβολον. Zoilus apud Galenum lib. III. eiusdẽ operis. κρόκου τετρώβολον, κιναμώμου τετρώβολον. quod est, Croci quatuor obolos, cinamomi quatuor obolos. Inde etiam ἡμιώβολον, quod & ἡμιωβόλιον legitur. Andromachus apud eundem lib. VII. ἐλατηρίου ἡμιωβόλιον. Id est. Elaterij semiobolũ. Idem: κρόκου ὀβολὸν καὶ ἡμιώβολον. hoc est, Croci obolum & semiobolũ. χαλκοῦς deniq; quod Plinius non uertit, in usu est medicis. Dioscorides lib. IIII. de syluestri cucumere. ἡ δὲ τελεία πόσις ὀβολός. ἡ δὲ ἐλαχίστη ἡμιωβόλιον. παιδίοις δὲ δίχαλκον. πλεῖον γὰρ πρόθεν κίνδυνον ὠλφόρει. id est, Integra potio oboli pondere est: minima uero semioboli: pueris dent̃ duo æreola: plus potum periculum affert. De siliqua & grano in alio opere plura scripsi. Sic se habent pondera medica, quæ difficilia reddit tum magna dissensio eorum qui de his scripserũt, tum quod nemo satis uarietatis causas tradidit, ne ipse quidem Galenus uir summe diligens. Sed antequã redeam ad minam, rursus maiora in minora quæq; pondera distribuam. Mina diuidit̃ in uncias XVI. drachmas CXXVIII. scripula CCCLXXXIIII obolos DCCLXVIII. semiobolos MDXXXVI. siliquas $\overline{\text{II}}$ CCCIIII. grana $\overline{\text{IX}}$CCXVI. Libra diuiditur in uncias XII. drachmas XCVI. scripula CCLXXXVIII. obolos DLXXVI. semiobolos MCLII: siliquas MDCCXXVIII. grana $\overline{\text{VI}}$DCCCCXII. Vncia diuiditur in drach. VIII. scripula XXIIII. obolos XLVIII. semiobolos XCVI. siliquas CXLIIII. grana DLXXVI. Drachma diuiditur in scripula III. obolos VI. semiobolos XII. siliquas XVIII. grana LXXII. Scripulũ diuiditur in obolos II. semiobolos quatuor, siliquas sex, grana XXIIII. Obolus diuiditur in semiobolos II. siliquas III. grana duodecim. Semiobolus diuiditur in siliquam unam & dimidiam, grana VI. Siliqua diuiditur in grana quatuor. Nunc rursus ad minam abeo, quę uaria admodum est. sed nos de alijs in alio opere scripsimus copiosius. iam de his solum dicam, quæ in medicinæ usu fuerunt. Medicam in usu fuisse iam satis probatum arbitror. Plinius uero qui Dioscoridis latina faciens μνᾶν, libram uertere solet dubio procul Atticam intelligit, quæ quatuor tantũ drachmis Romana libra maior est. Dioscorides lib. V. scribit: ὀξύμελι σκευάζετε οὕτω. λαβὼν ὄξους κοτύλας ε, καὶ ἁλὸς θαλασσίου μνᾶν μίαν. μέλιτος μνᾶς ι. ὕδατος κοτύλας ι. μίξας ἕψησον ἄχρις οὗ δεκάκις ἀναβράσῃ καὶ ψήξας κατάγγισον. Plinius sic reddit lib. XIIII. capite XVII. Oxymel hoc uocarunt, mellis decem libris, aceti ueteris heminis quinq;, salis marini libra, aquæ pluuię sextarijs quinq; sufferuefactis decies, mox elutriatis atq; inueteratis. Dioscorides ibidem. ὁ δὲ οἰνάνθινος σκευάζετε οὕτω. λαβὼν τῆς ἀγρίας ἀμπέλου τὸ ἄνθος βρυούσης ξηρὸν μνᾶς β. εἰς μετρητὴν γλεύκους πρὸς ἡμέρας λ. εἶτα δυλίσας ἀπόθου. Plinius in eodem lib. capite XVI. Fit è labrusca, id est uite syluestri, quod uocatur œnãthinon: flores eius libris duabus in musti

cado macerati post triginta dies mutantur. Hæc ille. Ex quibus perspicuum est, Plinium in Dioscoride minam Atticã accepisse. Hinc etiam ait cum medica iam uellet de Græcis, potissimũ ipso Dioscoride transferre. Ferè enim Attica obseruatiõe medici utunt. Et paulo post. Mna, quam nostri minam uocant, pendet Atticas drachmas centũ. Sic quoque uidet usus mina Philoxenus medicus, cuius emplastrũ est apud Asclepiadem, ut scribit Galenus libro quarto de cõpositione medicamentorum secundũ genera: μνᾶς δραχμὰς ρ. ὁ μνᾶν ὧν γράφει, σίατος ταυρείου δραχμὰς ρ. ῥητίνης τερμινθίνης δραχμὰς ο ε. ὃ τρία τέταρτα ὧν γράφει. id est, Cæræ drachmas centum, quod minam scribit. seui tauri ni drachmas centũ: resinæ terebinthinæ drachmas septuagintaquinq; quod tres quartas scribit. Videtur aũt Asclepiades hanc interpretationem per drachmas posuisse cum Philoxenus scripserit minã, ne quis eum de Alexandrina aut alia putaret sensisse. Galenus uero cum Crito minam scripsisset dubitat quam nam intelligat. locus est lib. v. cum inquit: φαίνεται δὲ ὁ ἐν ἄλλοις ρ δραχμῶν βαλόμενος εἶναι τὴν μνᾶν. Id est. Videtur aũt in alijs quoq; uelle centum drachmarũ esse minam. Quoniam uero Romæ egisse Critonẽ constat, ut qui Cęsareus medicus fuerit, dubium est an cum drachmas scribit, ut alij, denarios intelligens uoluerit minam esse centũ denariorũ, tunc enim ab Attica mina multũ, à medica parũ, quod mox declarabo, differret. Sed audiamus Galenum q̃ diuersa tradiderint qui de ponderibus scripserunt. διαπεφώνηται δὲ καὶ περὶ τὴν σταθμῶν τὴν μέτρων γράψασιν, ὁπόσος ἔστιν ὁ τῆς μνᾶς σταθμός, οἱ μὲν ἑκατὸν δραχμὰς λέγοντες ἀγγίων εἶναι τὴν μνᾶν. οἱ δὲ εἴκοσι. οἱ δὲ καὶ διαιροῦντες, ὁ τὴν μὲν ἀλεξανδρεωτικὴν εἴκοσι φασκόντων εἶναι ἀγγίων. τὴν δὲ ἄλλην ἑκατόν. id est, Dissensere aũt inter se qui de ponderibus & mensuris scripserũt quantũ minæ pondus sit. Alij quidẽ ipsam sedecim unciarũ esse dicunt. Alij uero uiginti. Nõnulli aũt distinguũt, atq; Alexandrinã uiginti esse unciarum aiunt: alteram uero sedecim. Idem dicit lib. i. τινὲς μὲν εἴκοσι ἀγγίας ἔχειν φασὶ τὴν μνᾶν. οἱ δὲ ἑκκαίδεκα. hoc est, Quidam igitur uiginti uncias habere dicunt minam. alij autem sedecim. Sed quod Alexandrina medicis in usu fuerit, Galenus indicat, recensens ex Asclepiade emplastrum Moschionis ueteris medici, sic scribentis: λιθαργύρου μνᾶ α. ἡ δὲ μνᾶ ὡς τοῦτο τὸ φαρμάκου ἔχει ὀλκὰς ρ ξ. Id est, Lithargyri mina una, Mina uero in hoc medicamẽto habet drach. centũ sexaginta. Sic Asclepiades hoc in loco Moschionem minam accepisse dicit. Itaq; Galenus addit: ὃ καὶ δῆλον τὸ φάρμακον καὶ κατὰ τὸ ἐφεξῆς αὐτοῦ γεγραμμένον ρ ξ. δραχμάς φησιν ἔχειν τὴν μνᾶν. εὐδήλον δὲν ὅτι τὴν ἀλεξανδρεωτικὴν λέγει μνᾶν, ἀγγίας ις ἔχουσαν. ὅπως ἐκάστων ἀγγίων ἔχει δραχμὰς ις. οὕτω γὰρ συμβήσεται τὰς ρ ξ. δραχμὰς ἔχειν τὴν μνᾶν. quod est, Et in hoc medicamento & in eo quod deinceps scriptum est, centum sexaginta drachmas ait habere minam. Perspicuum

ſpicuum autem eſt, quod Alexandrinam dicit, quæ habet uiginti uncias: ita ut quælibet uncia habeat drachmas octo. ſic enim fiet, ut mina habeat drachmas CLX. Hæc Galenus. Hinc uidemus medicis, alijs in uſu fuiſſe Atticam minam, alijs quam nominant Medicam, alijs Alexandrinam. Atticam potiſsimum his, qui uel antequã populi Romani nomen & res florerent ſcripſerunt, uel in Græcia agentes Romana pondera ignorarunt. Alexandrinam uero in primis, his qui Alexandriæ medicinam exercuerunt. Medicam aũt, quibus uel res Romanæ non fuerunt ignotæ, cum in Græcia uitam degerent, uel Romæ agentibus fuerunt notiſsimæ. Sed cum à Galeno nulla ratio ſit indicata, cur hæc mina conſtituta, nec id ipſum temere factum putare debeamus, liceat mihi quod ſentio in medium proferre. Hi medici qui Romæ egerunt, quia uterẽtur Romanis ponderibus, utpote libra, & uncia, & denario, quem drachmam appellare ſolent, & ſcirent Atticis minam eſſe centum drachmarum, ſcripſerunt minam quoq; eſſe centum drachmarum, denarios intelligentes. Sic Crito, meo iudicio, accepit minã. Alij referentes ad drachmam Atticam, qua denarius quinta parte grauior eſt ex ſententia Cleopatræ, drachmas inuenerunt Atticas centum uiginti quinq; tot denarios efficere. quæ drachmæ in uncias collectæ cõſtituunt ſedecim, minus tribus drachmis, quas nõ curarũt. Sic natam arbitror medicam minã, quæ eadem & centum ſit denariorũ, & drachmarum Atticarum centum uiginti octo. Quam meam coniecturam ſi quis contempſerit, probabiliorem uelim afferat, & libenter cedam: fieri enim poteſt ut hic errem, ſine cauſa tamen hanc minam à medicis inſtitutam, nunquam crediderim. Porrò Alexãdrinæ ratio eſt, aut quod drachmas grauiores habuerint, ſi Polluci credimus minas omnibus fuiſſe centũ drachmarũ, ipſas uero drachmas pro earum grauitate uel leuitate uariaſſe: aut q̃ mina, ſi Pollucis ſententiã non probamus, plures apud eos q̃ centum drachmas habuerit. Itaq; ſi grauiorem drachmam fuiſſe putauerimus, tum ſemper quinq; drachmæ Alexãdrinæ efficient octo Atticas. Habebit enim una drachma Alexãdrina ſeſquidrachmã Atticam & decimã ipſius partem: Sin mina pluriũ fuit drachmarum q̃ centum, nemo quot fuerit, niſi drachmæ grauitate prius cognita, ſcire poteſt. Illud nobis ſatis ſit, Alexandrinã minam drachmas Atticas pendere centũ ſexaginta. Nunc ad libram, quam Græcis duodecim unciarum eſſe, quemadmodum Romanis, ſupra probaui. Perinde uero, ut hi libram ſiue aſſem diuidunt in uncias, ac duas nominant ſextantem: tres, quadrantem: quatuor, trientem. ſic Græci medicamenta eorũ transferentes ipſos imitantur, atq; ἕκτον λίτρας dicunt ſextantẽ: τέταρτον quadrantẽ: τρίτον trientẽ. Galenus lib. v. de cõpoſitione medicamentorum ſecundum genera, καὶ ἱερέως ἰλλυρικῆς καὶ ἀριστολοχίας στρογγύλης καὶ χαλκάνθου. τούτων ἑκάστου τὸ τρίτον τῆς λίτρας, τουτέστιν οὐγγίας

δ. ἀριστολοχίας ἢ μακρᾶς καὶ χαλκοῦ κεκαυμένου τὸ ἕκτον ἑκατέρου τῆς λίτρας, τουτέστιν ἀνὰ οὐγγίας β. Hoc est, Iridis Illyricæ, aristolochiæ rotundæ, atramenti, singulorum libræ trientem, id est uncias quatuor: aristolochiæ longæ & æris usti, utriusq; libræ sextantē: quæ sunt singulorum unciæ duæ. Ne hoc quidem negligendum arbitror, Græcos quosdam à Plinio non diuersos fuisse. Vt enim hic pro mina uertit librā, quæ tamen quatuor uncijs est minor: ita illi contra, nonnunq̄ centum drachmis libram non minam exprimunt: ubi quatuor redundāt. Vnde Galenus scribit eiusdem operis libro sexto: ποτὲ μὲν γὰρ ἀντὶ τῆς λίτρας ρ. δραχμὰς γράφουσι αὐτοί. ποτὲ δὲ ἀντὶ τῆς μνᾶς. id est. Aliquādo em̄ ipsi scribunt pro libra centū drachmas: aliquando pro mina. Idem eiusdem operis lib. 1. de eadem re loquens, inquit: ὥσθ' ἡ αὐτὴ ἀναλογία σώζεται μηὴν μέγα διαφέρουσα εἴτε ταῖς ρ. δραχμαῖς τῶν μεταλλικῶν, εἴτε ταῖς ἐνενήκοντα ἓξ, αἱ δύο κοτύλαι τοῦ ἐλαίου μιγνύοιντο. id est. Itaq; eadē proportio seruatur. ut non multum differat, siue centum drachmis metallicorum, siue sex & nonaginta, duæ cotylæ olei misceantur. Hæc ille. Et sanè non multū refert in id genus emplastris, quatuor drachmas adijcere, sed in nonnullis medicamentis, quæ bibimus aut deuoramus, plurimū. quod dico ne quis istis uerbis Galeni fretus, rem parui momenti esse putet. Sed quid dicemus ad Scriboniū Largum? qui scribit: Aeq; em̄ in libra, denarij octoginta quatuor apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrunt. Largus pleraq; medicamenta uertit è Græcis, qui libræ uocabulo usi sunt in eorum cōpositionibus, diuidentes eam more Romano in duodecim uncias, unciam uero in septem drachmas, denarios intelligentes. quod aūt nonnulli dixerint unciam drachmarum septem, mox Galeni uerbis confirmabo. Itaq; more illorum locutus est Largus: alioqui libra drachmarū est sex & nonaginta, ut supra probaui. Sequitur uncia, in qua nihilo minor dissensio est, q̄ in mina, uocabulum & pondus Romanū est. apud quos diuiditur in septē septimas quos denarios appellāt: & in octo octauas, quarum quælibet est trium scripulorum, quod ipsum scripulum sit quarta & uicesima pars unciæ. Octauæ, aliqui non posuerunt nomen, ut ille cuius quædam de notis ponderū ex uetusto codice sunt Largo ascripta: multi eam Drachmæ nomine appellant, ut Balbus ad Celsum de agrimensoria, Galenus, ac plerique alij medici, præsertim Græci. Fannius etiam drachmā Atticam nominat, cū quo sentit Cleopatra, ubi Minę atticę drachmas c. in duodecim uncias & semunciā colligit. Sed quorsum attinet hæc repetere, quæ in Romanis ponderibus satis dicta sunt? Vt Græcos in diuisione unciæ in drachmas, dissidentes eò melius intelligamus. Ex his alij tradunt unciā drachmarū esse septem: alij septem & dimidiæ: alij octo. de qua re sic scribit Galenus libro quinto eius operis ex quo proxime multa attuli: ἐπειδὴ καὶ τὴν οὐγγίαν οἱ πλεῖστοι μὲν ἑπτὰ καὶ ἡμίσεως δραχμῶν

μῶν εἶναί φασιν. ἔνιοι δὲ ξ μόνον. ἕτεροι δὲ η. hoc est. Quoniã plurimi unciam drachmarũ septem & dimidiæ dicũt: alij septem solum: alij octo. Qui septem drachmarũ unciam cõstituunt, dubio procul drachmę uocabulo intelligunt denarium. atq; hi nomine mutato parum cautos fallunt: cum ipsi rem ignorasse uideri non debeant. De quibus Galenus ait libro octauo de compositione medicamentorum secundum locos: πρόδηλον ἢ ὅτι δραχμὴν λέγομεν νῦν ἐν τοῖς τοιούτοις ἅπασιν, ὅπερ ῥωμαῖοι δηναρίον ὀνομάζουσιν. i. Perspicuũ aũt est quod drachmã dicimus nunc in eiusmodi omnibus, quod Romani denarium nominant. Qui uero dixerunt septem drachmarũ & dimidiã unciam esse, uidentur quidem aduertisse drachmã leuiorem esse denario, non tamen planè, quantum interesset, examinasse: quorum sententiã, tanquam ueram, artis ueterinariæ medici, ut infra dicam, receperunt. Postremi rem sunt assecuti, diuidentes unciã in octo drachmas, de quo multa iam dixi. Quod si præterea fuerint, qui unciam diuiserint in octo quidem drachmas, intelligentes denarios, isti re & nomine à uero aberrasse sunt existimãdi. Sed de his satis. nunc Alciati quædã sunt expendẽda, qui postquã dixit Atticas mensuras à cæterorũ Græcorum & Latinorum mensuris differre, sic inquit: Et primo de uncia loquamur. scribit Plinius libro uigesimo primo, in drachma Attica sex esse obolos: in obolo chalcos, id est æreolos, decem: In obolo uero Græcorum cõmuni, octo tantũmodo chalcos esse Iulius Pollux, Aegineta, & cæteri tradũt. quo fit ut uncia Attica quæ eadem cum Romana est, chalcos habeat CCCCLXXX. cum uncia Græca solos habeat CCCLXXXIIII. Hæc Alciatus. Probauimus supra Diodori & aliorũ testimonio, obolũ Atticũ habere tantũ sex æreola: quibus potius q̃ Plinio credimus, quod quæ scribunt, cõsentanea magis sint ueritati. Deinde cũ denarius & drachma Attica eiusdẽ ponderis, ut planè ostendi, non fuerint: si utriusq; totidem drachmas nempe octo, quod uult Alciatus, numeraueris in uncia, nõ erit, quod asserit, uncia Attica eadem quæ Romana, sed Romana non paulo grauior Attica. Verum qui obolum diuidunt in æreola octo, intelligunt drachmæ, loco denarij acceptæ, obolum: quod Cleopatra manifeste ostendit. quæ drachma grauior est Attica. Alciatus non intelligens, pace illius dixerim, cuius drachmæ obolum tradãt habere chalcos octo, cõtrà nobis Atticã drachmã grauiorẽ facit drachma, qua loco denarij sunt usi: ac constituit diuersas uncias. Pergit. Merito ergo Cornelius Celsus lib. V. capite XVII. in uncia Græca pondus septem denariorum esse tradit, cum alioqui Latina & Attica uncia denarios habeat octo. Sic ille. Celsus nõ dicit se explicare unciam Græcam, sed in uncia pondus denariorum esse septem. Nec plures fuerunt iusti ponderis in Romana, sicut supra probauimus. Quod uero Latina uncia habeat denarios octo: non, opinor, unquam probabit Alciatus. Vt breuiter expediam

diam, apud scriptores una tantũ est uncia, quæ est septem denariorum uel octo drachmarum, quas drachmas aliqui nominãt Atticas. Addit Alciatus: Tametsi nec eius ratio omnino quadret: quandoquidem id septem denariorum pondus aliquãto grauius est uncia Græca. sed maluit Celsus paulo ampliorem modum dicere, q̃ leuiorẽ: quod fecisset si sex denarios in uncia solos cõstituisset: contineret enim chalcos præterea quatuor & uiginti. Ita Alciatus. Quę omnia ex nõ concessis colligit. quamobrem plura de ipsis non dicam. Sequitur: Eadem ratione factum est, ut cum sextarius Romanus quindecim unciarum sit, ut supra dixi, Græci suo sextario uncias octo & decem attribuant: quod uidelicet uncia cõmunis ipsorum, nostra, itemq́ Attica leuior sit: in pondereq́ decem & octo unciæ ipsorum & quindecim nostræ nihil differant. Tantũ Alciatus. Sic certe error alius ex alio nascitur. De Attico sextario quod utrunq́ sit scriptum lib. II. firmis autorum testimonijs probaui. Habet enim is decem & octo uncias mensurales, pendit oleo refertus XV. Si Alciatus unciam mensuralẽ à ponderali, quod necessarium fuit, recte distinxisset, non Græcam à Romana & Attica, tum sine dubio rem potuisset intelligere. Nihil tamen mirum uiros alioqui doctos, sed ignaros medicinæ, à ueritate deflexisse. Iam ad drachmam pergendũ, quæ etiã ὁλκή uocat̃: quod ex Dioscoridis illius supra citatis uerbis potuit cognosci. Galenus etiã hoc modo interpretatur, quędam referens Asclepiadis, qui Themisonis antidotum sacram cum retulisset sic scribit: ἡ χρῆσις πρὸς μὲν τὰς βραδυπεψίας ὁλκὴ μία μιᾷ ψυχρῷ ὕδατος κυάθων δ. id est. Modus eius potandi est ad tardam concoctionem holce una cum aquæ frigidæ cyathis IIII. Itaq́ Galenus ait, κελεύει δίδοσθαι μίαν ὁλκὴν μεθ' ὕδατος ψυχροῦ κυάθων Δ. ἡγοῦμαι δὲ λέγειν αὐτὴν δραχμὴν ἀργυρᾶν. Ἐν γὰρ οὕτω σχεδὸν ἅπασι τοῖς νεωτέροις ἰατροῖς ἔθος ὀνομάζειν. hoc est. Iubet dari holcem unam cum aquæ frigidæ cyathis quatuor. Arbitror autem ipsum dicere drachmam argenteam. Sic enim nominare omnibus ferè iunioribus medicis consuetudo est. Est uero locus ille in eodem libro cuius proxime mentionem feci. Verum, Holce proprie id significat, quod alioqui σταθμός. Hinc Dioscorides libro primo de materia medica scribit in Iride: καθαίρουσι δὲ χολὰς πρὸ τιζόμεναι μεθ' ὑδρομέλιτος ὁλκῆς δραχμῶν ζ. Id est. Purgant uero bilem pondere drachmarum septem, cum aqua mulsa potę. Errat in holce multum Nicãdri interpres, ut iam in hippoiatricis dicam. De reliquis minoribus ponderibus hic plura scribere nolui, quod partim supra satis sint explicata, partim in alijs operibus. ut quæ hic omisimus, cuiusmodi sunt ἀσσάριον, τετράσσαρον, στατὴρ, στάγιον, ἐξάγιον, σίκλος, θερμός, κεράτιον, ὄροβος, φακή, σιτάριον, ac alia non pauca quæ medicis sunt in usu, ut cum scribunt fabæ Ægyptiacæ magnitudine aut nostræ, aut ciceris, uel deniq́ manipulus, & similia. Nunc anteq́ fastigiũ

huic

huic operi imponam, declarabo paucis & hippoiatrica. Mulomedici enim Græcorum ut ſuas habuerunt menſuras, ſic quoq; pondera in hunc modum: ἡ μνᾶ ἔχει ὀγγίας ιε. ἡ δὲ λίτρα δραχμὰς ζ. ἡ δὲ ὀγγία δραχμὰς ξ'. ἡ δὲ δραχμὴ γράμματα γ. τὸ δὲ ἥμισυ γράμματα δ. τὸ δὲ γράμμα ὀβολοὺς δύο. quod eſt, Mina habet uncias XV. libra drachmas nonaginta, uncia drachmas ſeptem & dimidiam, drachma ſcripula tria, denarius ſcripula quatuor, ſcripulū obolos duos. Sic traduntur hippoiatrica pondera in libello De mēſuris & ponderibus, à quodam ignoto Græco, cuius uerbis res eſt probanda. ſcribit uero ſic: ἡ μνᾶ ἔχει ὀγγίας ιε. ὁλκὰς ρι βς'. ἡ λίτρα ἔχει ὁλκὰς ζ. τὸ δὲ ἥμισυ ἔχει γράμματα δ. id eſt, Mina habet uncias XV. holcas CXIIS. libra habet holcas XC. denarius habet ſcripula IIII. Idem paulopoſt: ἡ ὀγγία ἔχει δραχμὰς ζ'. ἡ δραχμὴ ἔχει γράμματα γ. ὀβολοὺς ς. hoc eſt. Vncia habet drachmas ſeptem & dimidiā. drachma habet ſcripula tria, obolos ſex. Sic ille ſentit. Videamus primo quonam modo fiat mina unciarū XV. Vt illi qui medicam minam ſtatuerunt unciarū ſedecim, diſtribuerunt denarios in drachmas Atticas: ita hi quia unciā aſſerunt drachmarum ſeptem eſſe & dimidiæ, detrahunt de ſedecim uncijs unam: unde hæc opinio, ſiue perſuaſio, ſiue quo alio nomine appellare libet, uidetur nata, minam eſſe unciarum XV. Sequitur libra quæ non diſſimiliter iſtis unciarum eſt XII. nam quod ſcribitur in exemplari excuſſo: ἡ λίτρα ἔχει ὁλκὰς ς. id eſt. Libra habet holcas ſex. deprauatū eſt. Nam librarius notarum affinitate, quæ eſt inter ζ nonaginta ſignificantem, & ς. ſex, deceptus, unam notam pro altera ſcripſit: Errorem uero ſuum ex minæ explicatione ubi holce omnino drachmā ſignificat, facile deprehēdere potuiſſet. Nam ridiculus autor ille fuiſſet, ſi holcen modo pro drac. modo ℔ unc. ſumpſiſſet in uno quaſi cōtextu uerborū. Quinetiā exēplar, quod paulo correctius uidi, ſic ut lego habet. Videt aūt librarius iſte indoctus ſecum in errorē rapuiſſe, eum qui quædā De menſuris & pōderibus Nicandro adiecit, ſiue fuerit illius interpres, ſiue alius quiſpiam. Is enim ſcribit: λίτρα ἔχει ὁλκὰς ς. hoc eſt. Libra habet holcas ſex. Quoniā uero iſte intelligebat libram eſſe unciarum XII. in eam opinionē neceſsitate quadā uenit, ut holcē interpretetur uncias duas. præcedūt enim hæc uerba, ἡ ὁλκὴ ὀγγίας δύο. id eſt. Holce uncias II. Quod nemo alius tradidit. Sed ita ſolet error ex errore plerumq; oriri per inſcitiam, aut per negligentiā. Nam holcē pro pondere drachmaq; legimus, pro duabus uncijs minime. Porrò nec in Græco ignoto qui hippoiatrica tradit ſine mendo legitur. ἡ ὀγγία ἔχει δραχμὰς η. id eſt. Vncia habet drachmas octo. quod corruptū eſſe quiſquis minam in drachmas ibidem redactam conſiderauerit, facile obſeruabit, etiamſi nullo emendatiore codice iuuetur. Poſtremo denariū iſte dicit eſſe ſcripulorum quatuor: idem ſentiens quod Priſcianus Cæſarienſis: quem

ſecutus

ſecutus eſt Portius, uarietatem denariorum afferens. quod tametſi uerum non eſt, minus tamen ipſe aberrat à uero, q̄ Nicandri interpres, qui ſcribit: δηναρίου δραχμὴν μίαν ἡμίσεαν. hoc eſt. Denarius ſeſqui drachmam habet. Iſto modo feliciter creſcerent denarij in arca. Alij igitur de legitimi denarij Romani pondere detrahūt. alij nimium ad pondus ipſius addunt, quanquam ſi Nicādri interpres de ueteri Romanorum denario ſentit, non de legitimo, uera ſcribit. Sed dimittamus bonum iſtum interpretē qui pleraq̄ in menſuris & ponderibus corrumpit, ut alias oſtendimus. Diuidamus autem pondera hippoiatrica maiora in minora, quod idcirco facere conſueuimus, ne res iterum tam facile deprauari poſsit. Mina ſecatur in libram & quadrantem, id eſt uncias XV. drachmas CXIIS. ſcripula CCCXXXVIIS. obolos DCLXXV. Libra ſecatur in uncias XII. drachmas XC. ſcripula CCLXX. obolos DXL. Vncia ſecatur in drachmas ſeptem & dimidiam, ſcripula XXIIS. obolos XLV. Drachma in ſcripula III. obolos VI. Scripulum in obolos II. Tantum de hippoiatricis ponderibus. reſtant poſtremo notæ. μνᾶς eſt litera μ ſuperne poſitum habens ν, hoc modo μ̄. λίτρα eſt λ habens ſupra ſcriptum ι, ſic λ̓. quidam uero linea obliqua ſecantes dexterum ipſius cornu idem ſignificāt, iſto modo λ/. alij inter cornua eius ponunt ι, hac figura ⅄. ὄγγίας eſt γ, habens appoſitum ſiue impoſitum in angulis ipſius ο, hoc modo γο. Δραχμῆς, obliquum λ, in dextrum cornu inclinans ſic, ⩤. ὁλκῆς uero, quæ eadem eſt quæ drachmæ, λ in cuius medio eſt inſcriptum ο, hac figura ⅄. γράμματος aūt γ adiunctum habens ϱ, quod ſecet recta linea, iſto modo γϱ. ὀβολὸς linea in obliquum flexa, habens ex utraq̄ parte punctū, ſic ⌣. δυοῖν ὀβολοῖν duæ eiuſdē figuræ lineæ ⩦. κεφαλή, κ, cuius inferius cornu accentui acuto ſimilis recta linea ſecet, addito ε hac figura κ́. χαλκοῦς, χ ſuperne ſcriptum habens α, iſto modo χ̓. ἡμίσεως nota eſt, cuiuſcunq̄ ponderis fuerit, ſimilis ferè ei qua nonagenarius numerus ſignificatur. ut igitur alteram ab altera diſtinguant, Græci ſupra notam nonagenarij numeri unam uirgulam in modum accentus acuti formatam ſcribunt, ſupra notam autem ἡμίσεως duas eiuſdem figuræ uirgulas hoc modo ϛ″, quæ in antiquis codicibus quibuſdam emendate ſcriptis obſeruare licet. Hæc mea ſententia eſt de menſuris & ponderibus, non paulo diuerſa ab alijs: pro qua confirmanda contra tot uiros & tantos diſputare ueritus fuiſſem, niſi mihi iamdudum perſuaſum eſſet, nullam autoritatem tantam eſſe, ut ei ueritas iure cedere debeat: cuius, ut ſæpe dixi, aſſerendæ cauſa magis, q̄ quod ullum ex ijs (nec enim merentur hoc illorū ſtudia) reprehenſum uelim, liberius diſſerui. Ipſi, ut uiros bonos & doctos decet, uel contra mea refellent teſtimonijs ueterum: uel, ſi id non poterunt facere, in ueritate acquieſcent.

GEORGII AGRI-COLAE DE EXTERNIS MENSVRIS ET PONDERIBUS Libri duo.

Primus est De externis mensuris.
Secundus De externis ponderibus.

GENEROSO ET NOBILI VIRO

D. ERNESTO A MILTHITZ ILLVSTRISSIMI SAXO num Ducis & Electoris Mauricij consiliario

Georgius Agricola S. D.



Obili genere nati, uir optime, communiter magis q̄ cæteri apti sunt ad maximas præstantissimas q̄ uirtutes. nam ex bono semine, quod plerunq̄ est generosis parentibus, procreantur fœtus, in quibus existit bonum corporis temperamentum. Itaq̄ Homerus cum sciret uires ingenerari hominibus à semine paterno, scite scripsit, Vlyssem filio Telemacho multum roboris instillasse. Nec uero qui pecuarias habent, nec qui colunt uineam, oliuetum, pomarium, ignorant res in naturæ habitu alijs excellentes, ex egregijs & eximijs nasci. proinde hi ex optima uite, oleo, pomo semina petunt: illi ex quoq̄ genere animantium generosos mares & fœminas eligunt ad admissuram. Generosi autem parentes non modo procreant liberos sui similes corporum liniamentis atq̄ forma, sed, quia corporis temperationem animi mores sequuntur, etiam moribus atq̄ uirtutibus. Vnde Euripides prudentiam acceptam bono & nobili generi retulit, fortitudinem Horatius. qui canit,

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Atq̄ has ob causas Græci generis nobilitatem εὐγγένειαν uocarunt. Tametsi uero illa ita, ut dixi, sese habent, tamen nunquam negarim, educationem & disciplinam multum ualere ad uirtutem: nimiam contra patrum indulgentiam & malam disciplinam deprauare liberos. atque hæ in causa sunt, non fatum, ut Demosthenes & Stoici sentiunt: non coniunctio stellæ cum stella, ut astrologi somniant, cur uirorum uirtute & literis præstantium filij interdum degenerent & improbi fiant. Sed quanquam ager, qui fertilis esse solet, non cultus fert tribulos, carduos, lappas, tamen sicuti Theognides ex scilla rosam non nasci ait, ita Euripides uetus illud Græcorum prouerbium laudat: probum filium ex improbo patre nō gigni. Verum generis nobilitas præclara res sit & honore digna, tamen uirtus magis laudabiles efficit. etenim multi infimo genere orti hac una uirtute ex obscuris clari euadūt, & quasi stellæ sobolem à se propagatam illustrant: qui sanè iccirco alteris præstant, quòd initium nobilitatis sint. At qui ex honesta & antiqua stirpe generati maximis clarissimisq̄ uirtutibus prælucent suis

maioribus,hi,quòd præditi ſint nobilitate duplici,quarum altera à pa-
rentibus ad eos manauit,alteram ſua uirtute ſunt aſſecuti,proximis an
tecellere uidentur.ut minus multis laboribus corporis,& animi cõten
tionibus, tanquam gradibus, in altiorem dignitatis locum aſcẽderint.
Sed & merito & iure illis non antecellant, in ſuis ciuitatibus & regio-
nibus magis gratioſi ſunt, & minus habent inuidiæ.Huius tertij gene
ris uiri nobiles cum multi patriam noſtram augeant atq; conſeruent,
tum tu in primis.qui grauitate, prudentia,fortitudine,fide cæteros ex
æquas:cura,uigilantia,diligentia, ſtudio ſuperas.quare apud Georgi-
um Saxonum principẽ magno loco fuiſti, & nunc apud Mauricium
Electorem ferè primũ tenes. certe iuuenis in Hiſpania inuictiſsimi Im-
peratoris Caroli quinti, uir in patria illuſtriſsimorũ Saxoniæ ducum
utilitatibus & commodis ſeruiuiſti, atq; bellis interfuiſti. accedit ad
tot & tantas uirtutes tuus amor erga pios & doctos homines ſingula-
ris,& amabilis illa humanitas cum grauitate coniuncta. quam diligen
ter animum attendens toties uidi,quoties reip. noſtræ cauſa ad te adi-
ui. Itaq; patieris,ſpero,non moleſte hos duos libros in tuo nomine ap
parere:& ſi minus tuis ſtudijs congruant.Sed cum Romanas & Græ-
cas menſuras ac pondera quinq; libris explicauerim,ut hunc locũ ube
rius tractarem,imò uero ut totum hoc argumentũ, quantum poſſem,
abſoluerem, externas quoque menſuras unà cum ponderibus,quibus
non ſolũ Græci & Latini ſcriptores,ſed etiam Hebræi & barbari me-
dici uſi ſunt,in his exponere decreui. Qui libri,ut reliquis optimarum
artium ſtudioſis exiguum utilitatis fructum præbeant: Theologis &
medicis,quibus Arabes placent,accõmodati & utiles erunt. Sed quæ
rat aliquis ex me quę cauſa ſit cur in alijs libris cõtinenter ſermone La
tino uti conſueuerim,in his de menſuris & ponderibus non utar. cui
ad hæc reſpondeo: Quoniam M.Cicero ait, Latino ſermoni Græca
uerba inculcantes iure optimo rideri, non magis ſi Latine ſcribimus,
Græca cum Latinis putamus eſſe commiſcenda,quàm ſi Græce,Lati-
na cum Græcis.nemo enim,niſi neceſsitate coactus, in ſermonem uer
borum diſcrepantiam conferre debet. cogit uero tunc neceſsitas cum
aut altera lingua caret uocabulo, quo rem aliquam nominamus:aut al-
tera habet magis proprium uel uſitatum. quibus modis M. Varro &
M.Cicero interdum Gręcis utuntur:contraq; Galenus & Plutarchus
Latinis. Sed ut præterea Cicero in Epiſtolis ad Atticum ſæpe uſur
pat Gręca,quòd ille Gręcis inſtitutiõibus Athenis erudiretur:ita ego,
ubi tracto locos de Græcis potiſsimum menſuris & ponderibus,Græ
corum uerbis meam ſententiã affirmo,ubi de Hebraicis, Hebræorum
teſtimonijs. & quidem iccirco, quòd etiam his,qui ſtudent Græcis ac
Hebraicis literis,ſcribam:& quòd,quemadmodum qui diligenter no-
ſtra legerit intelliget,aliter nõ potuit fieri ut quædam ſatis explicarem:

cum

cum omnia hęc plane & perſpicue expediri debeãt. Verum quia multi medici & theologi non ſunt ſtudioſi Græcarum literarũ, plures Hebraicarum, utraqꝫ etiam Latine reddo. Hæc ſi cui propterea diſplicent quòd ueteres ſcriptores bis eadem dicere non ſoleant, ſed tantummodo uel Græca ponant, uel conuerſa de Græcis, is translata de Græcis uel Hebraicis ad finem librorũ reiiciat. multo certe facilius potuiſſem meam de his omnibus ſententiam Latinis uerbis explicare quàm Latina ad uerbum de Græcis uel Hebraicis exprimere. ſed id ipſum multis, ut ego arbitror, tam utile non fuiſſet. Poſtremo caliginem & tenebras, quas quorundam errata offuderunt menſuris & ponderibus, diſcuſsi, ut harum rerum ſtudioſis quàm poſſem maxime prodeſſem. quanquam autem quidam docti uiri, atqꝫ inter eos etiam Theologi ueteres, interdum opinionibus aliorum rapti ſunt in errores, tamen eorum erratis uenia datur: quòd omnes de literis bene ſint meriti, & illi theologi in decretis ſanctiſsimæ noſtrę religionis erraſſe non, opinor, cõuincentur: ut aliquas alias res ignorauerint. Vale. Kempni cij Hermundurorum ſiue Miſenorum XV. Cal. April. An. M. D. XLIX.

AVTORES MEAE SENTENTIAE DE EXTER
nis menſuris & ponderibus.

D. Ambroſius
Actuarius
Ariſtophanes
Ariſtophanis interpres
Auicenna

Cleopatra
Cornelius Celſus

Dauid Kimhus
Dioſcorides

Epiphanius
Euangeliſtæ
Fannius
Feſtus Pompeius
Flauius Ioſephus

Galenus Pergamenus
Græcus ignotus

Hali
Herodotus
Heſychius
D. Hieronymus
Horatius

Iulius Pollux

M. Varro

Nicandri interpres

Ouidius

Palladius
Paulus Ægineta
Plinius
Polybius

Raſis

Sacræ Hebræorum literæ
Salomo Hebræus
Scribonius Largus
Septuaginta interpretes
Serapio
Stephanus interpres Hali
Suidas

Vitruuius

Xenophon

GEORGII AGRICOLAE DE EXTERNIS MENSVRIS LIBER Primus.



Ensuras tam Græcas quàm Romanas, item pondera quinq; libris explicaui: nunc similiter externas mẽsuras & pondera exponam. sed primo mẽsuras externas: deinde reliquas: tum Græcas quasdam. quas, quia neq; medicæ erant, neque Georgicæ, nec hippoiatricæ, consulto in harum numerum transtuli. pari ratione externa persequar pondera. quinetiã interdum quæ contra me scripta uideri possint argumentis refellam. sed ea pauca sunt. nam meam sententiam de Romanis & Græcis mensuris ac ponderibus, qua quæ nunc trado innituntur, me nõ solum medicis, sed alijs uiris doctis probasse quidam libris editis testantur. Andreas Alciatus solus ex omnibus Italis ei refragatur. cuius opinionem de integro ex hominum studiosorum animis euellet uis argumentorum, quæ afferet liber, qui istos duos consequitur. Mensuræ autẽ exteræ sunt Persicæ numero tres: Ægyptiæ quatuor: Syriæ totidem: Hebraicæ & Arabicæ plures. de quibus singulis dicam orsus à Persicis. quæ sunt achana, artaba, capitha. Achana quidem capit medimnos Atticos XLV. artaba uero unum medimnum Atticum, & tres chœnicas Atticas: capitha autem duas chœnicas Atticas. Verum achanam Persicam mensuram esse ex Aristophane intelligimus, qui in Acharnensibus sic ridet Persas.

οὐκ, ἀλλ' ἀχάνας ὀδίγε χρυσίου λέγει. Id est

Non, iste sed auri achanas dicit scilicet.

Quo in loco interpres capacitatem huius mensuræ his uerbis declarat. ἀχάνη μέτρον ἐστὶ περσικόν, ὥσπερ ἡ ἀρτάβη παρ' αἰγυπτίοις. ἐχώρει δὲ μεδίμνους ἀττικούς. με. ὡς μαρτυρεῖ ἀριστοτέλης. hoc est. Achana mensura est Persica, sicut artaba Ægyptia. capiebat autem medimnos Atticos XLV. ut testatur Aristoteles. Sed artabam etiã Persicam mensuram esse & tam capacem Herodotus his uerbis explicat in libro primo, qui inscribitur Clio. ἡ δὲ ἀρτάβη μέτρον ἐστὶ περσικὸν χωρέον μεδίμνου ἀττικοῦ πλεῖον χοίνιξι τρισὶ ἀττικῆσι. Id est. Artaba uero mensura est Persica capiens medimnum Atticum & præterea tres chœnicas Atticas. Quod autem capitha recipiat tantum, quantum dixi, asserit Xenophon libro primo de Cyri ascensu ad Babylonẽ. ἡ δὲ καπίθη δύο χοίνικας ἀττικὰς ἐχώρει. hoc est. Capitha uero capiebat duas chœ

nicas Atticas. Xenophontem ſecutus Heſychius ſcribit. κάπίθη ἀγγεῖον χωρεῖν ἀττικὰς χοίνικας δύο. id eſt. Capitha uas eſt capax duarum chœnicum Atticarum. At artabam etiam Medicam menſuram eſſe in quinto libro Polybius ſcriptum reliquit. erant enim Medi Perſis finitimi ac uicini & utricꝫ in eodem regno & ditione. ſed tunc in ſe continet Atticum medimnū. nam Suidas & Heſychius ſic memoriæ ac literis prodiderunt. ἀρτάβη μέτρον μηδικὸν, ὅ ἐστιν ἀττικὸς μέδιμνος. quod eſt. Artaba menſura Medica, frumēti Atticus medimnus.

Quin artaba Ægyptia erat menſura & cōprehēdebat modios quinque. ſcribit enim Ariſtophanis interpres in Acharnenſibus de artaba. πόρσινον δὲ καὶ αἰγύπτιον τὸ ὄνομα. hoc eſt. Perſicum autem & Ægyptium nomen. & Græcus ignotus in libello de menſuris & ponderibus. αἰγυπτία ἀρτάβη ἔχει μοδίους ε. ὁ δὲ μόδιος ὁ αἰγύπτιος καὶ ὁ ἰταλικὸς ἔχει χοίνικας η. id eſt. Ægyptia artaba capit modios quinꝫ. modius uero Ægyptius & Italicus continent chœnicas octo. In eadem ſententia eſt D. Hieronymus, cuius hæc ſunt uerba lib. II. commentariorum in Eſaiam. Et pro triginta modijs, quos nos pro coro poſuimus, qui Hebraice dicitur חֹמֶר LXX. uerterunt ἀρτάβας ἑξ. quæ menſura Ægyptia eſt, & facit modios triginta. etenim ſi ſex artabæ capiunt modios triginta, quæꝫ capit modios quinꝫ. Triplex igitur eſt artaba: maxima capax Attici medimni & trium chœnicum Atticarum, quæ eſt Perſica: media Attici medimni, quæ eſt Medica: minima quinꝫ modiorum, quæ eſt Ægyptia. cum autem medimnus capiat modios ſex, Ægyptia artaba modio uno minor eſt ꝫ Medica. Artaba autem prima ex Ægyptijs menſuris eſt. ſecunda uero dicitur aporrhyma, tertia oephin: quarta ínium. ſed artaba recipit modios quinꝫ, aporrhyma, ſextarios undecim: oephin, octo: ínium, unum. De prima ſatis dixi. De altera ſcribit Epiphanius Salaminis urbis Cypri, quæ Conſtantia dicta fuit, epiſcopus cognomento Magnus. is enim omnium tam ponderum grauitatem quàm capacitatem menſurarum, quę ſunt apud LXX. interpretes & Euāgeliſtas explicat. ἀπόῤῥυμα, inquit, παρὰ μόνοις βυβλίοις μετρεῖται. ἥμισυ γὰρ τοῦ σαίτου. ὁ δὲ ἀληθινὸς σαῖτος ἔστιν ξέστων κβ. hoc eſt. Aporrhyma apud ſolos Thebæos menſura eſt. dimidia ſaitæ pars. uerus autem ſaites ſextariorum eſt duorum & uiginti. Aporrhyma igitur, cum ſit dimidius ſaites, cōtinet ſextarios undecim.

Tertiam menſuram Aegyptiam declarat Heſychius. οἶφιν, ſcribit μέτρον τι τετραχοίνικον αἰγύπτιον. Id eſt. Oephin menſura quædam Aegyptia eſt quatuor chœnicum. Apud eundē Heſychium eſt. τῶπιν μέτρον δεκαχοίνικον. hoc eſt. Topin menſura decem chœnicum. ſed nationem, quæ hanc menſuram uſurpauerit, non profert nominatim. atqꝫ hæ duæ uoces quodāmodo conueniunt cum Hebraica, quæ epha dicitur. Oephin autem ſi quatuor chœnicum capax eſt, octo recipit

ſextarios

sextarios. De quarta mensura Ægyptia sic scribit Cleopatra. καλεῖται δὲ παρ' αἰγυπτίοις ὁ ξέστης ἴνιον. id est. Appellatur uero ab Ægyptijs sextarius inium. Sed sextarius Alexãdrinus olei duas libras pendit, cuius rei autor est Epiphanius. ξέστης, inquit, ὁ ἀλεξανδρινὸς δύο λίτρων φόρτον ὅλκην ἔν τῷ ἐλαίῳ. Redeo nunc ad artabam Ægyptiam, eam Fannius minus capacem, quàm alij, esse dicit.

Est etiam terris, quas aduena Nilus inundat,
Artaba, cui superat modij pars tertia post tres.
Namq; decem modijs explebitur artaba triplex.

Hoc est, artaba Ægyptia capit tres modios & tertiam modij partẽ. At Epiphanius scribit artabã Ægyptiã esse capacem LXXII. sextariorum, quot sextarij efficiunt medimnum Atticum. quod si nobis probauerit Ægyptia artaba erit æqualis Medicæ. ἀρτάβη, inquit, ἔστι τὸ μέτρον παρ' αἰγυπτίοις καλούμενον, ἴσον δὲ ἑβδομήκοντα δύο ξέσταις. Id est, Artaba hæc mensura ab Ægyptijs uocata fuit, est uero duorum & septuaginta sextariorum. Quoniam uero Epiphanius gomor decimam partem artabæ affirmat esse, artabam ipsam in ephæ locum substituit.

Iam Syriæ mensurę item sunt quatuor, metreta scilicet, collathum, sabitha, chœnix. Metreta quidem continet sextarios CXX. collathum XXV. sabitha XXII. chœnix fortasse IIII. Metretæ capacitatem Cleopatra explicat. ὁ δὲ παρὰ σύροις μετρητὴς ξεστῶν ἰταλικῶν ρκ. hoc est. Metreta apud Syros est sextariorum Italicorum centum & uiginti. idem asserit Nicandri interpres. Epiphanius autem sic scribit de collatho, κόλλαθον ὅτι παρὰ τοῖς σύροις τὸ ἥμισυ τοῦ ὑγροῦ βάθους, ὅτι δὲ ξέσται κε. Id est. Collathum apud Syros est media humidi bathi pars, est uero sextariorum quinq; & uiginti. nam bathus, ut ipse Epiphanius putat, sextarios capit quinquaginta. Sed de sabitha idem Epiphanius scriptum reliquit. σαβιθᾶ. ἔστι συριακὸν ὅτι τὸ ὄνομα. ὃ ἑρμηνεύεται λήνιον αὔτλημα. παρ' ἀσκαλωνίταις ξέσται κϐ. hoc est. Sabitha, hoc Syrum est uerbum, quod interpretatũ significat uas, quo de lacu torcularis haurimus, apud Ascalonitas est sextariorum duorum & uiginti.

At Syriam chœnicem Palladius ponit in octobri mẽse titulo XIIII. Vitis etiam flores arbustiuæ collectos in umbra siccare curabis. tunc diligenter curabis tusos & cretos habebis in uasculo nouo. & cum uolueris tribus cadis unam floris mensuram, quam Syri chœnica uocãt, adijcies. Verum Palladius Syriæ chœnicis capacitatem non explicauit. Fannius uero chœnicem habet quatuor sextariorũ capacem. quæ Syria fuerit nec ne in quæstionem uocatur. scribit enim de sextario. Qui quater assumptus fit Graio nomine chœnix. Iam Hebræorum mensuræ sunt duplices, alteræ, quibus liquores metiuntur: alteræ quibus res siccas. prioris generis sunt hæ בַּת הִין לוֹג Vt autem etiam rationem habeamus eorũ qui sanctæ linguæ prorsus ignari sunt, hæc

uerba

uerba Latinis literis sic exprimi possunt. bath, hin, log. id est. amphora Attica, duo cõgij, sextarius. Bathus enim capit sex hinas: hin uero duodecim logos. Sed perinde ut in mensuris Romanis & Græcis declarandis multos scriptores, in primis autem Galenum, sumus secuti, ita in Hebraicis explicandis præter cæteros sequimur Flauium Iosephum. nam & à puero Hebraicis institutionibus eruditus, imo uero etiam parentibus Hebræis prognatus, & doctus Græcis literis Iudaicæ antiquitatis & belli historiam perfecit. itaq; magistris istis, quos Iudæi Rabbos appellant, si de aliqua re cum illo non consenserint, fidem non habemus. multis enim seculis post Iosephum sacras literas explanare cœperũt. Is aũt Iudaicarũ antiquitatũ lib. VIII. cap. II. sic scribit de muneribus quæ rex Salomo misit Hiræ regi Tyri. σίτου μὲν αὐτῷ κατ' ἔτος πέμψας δισμυρίους κόρους, καὶ τρούτους ἐλαίου βάθους. ὁ δὲ βάθος δύνατο χωρῆσαι ξέστας ἑβδομήκοντα καὶ δύο. hoc est. Tritici quidem ei singulis annis misit cororũ uiginti millia, & totidem olei bathos. bathus autem capere potest duos & septuaginta sextarios. Idem lib. III. cap. X. ἐλαίου δὲ ἐλαίνου εἶν. μέτρον δ' ἐστὶ τοῦτο ἐπιχώριον, δύο χόας ἀττικοὺς δεχόμενον. Id est. Olei autem oleagini hin. mensura uero est regioni peculiaris, duos choas Atticos capiens. Et sequenti capite. κομίζεται δὲ δὴ καὶ ἔλαιον ὑπὸ τῶν τεθυκότων ἐπὶ μὲν βοὶ εἰνὸς ἥμισυ. ὑπὲρ δὲ κριῷ μέρος τοῦ τοῦ τρίτου τοῦ μέτρου. καὶ τετάρτου μέρος ἐπ' ἀρνίῳ. ὁ δὲ εἶν μέτρον ἀρχαῖον ἑβραίων. δύναται δὲ δύο χόας ἀττικοὺς ποιῆσαι. hoc est. Portatur autem ab immolantibus bouem, olei dimidius hin: arietem, tertia huius mensuræ pars: agnum, quarta. hin uero uetus Hebræorum mensura capit duos choas Atticos. Ex his igitur Iosephi uerbis quisq; intelligit bathum capere sex hinas. etenim cum illa mensura capax sit duorum & septuaginta sextariorum, hęc duodecim, tot enim sextarios comprehendunt duo congij, sequitur bathum continere hinas sex numero.

Sed ut ex Iosepho potest percipi quota bathi pars sit hin, ita quota pars huius sit logus ex eodem percipi nõ potest. uerum Salomo legis magister scribit in caput nonum & uicesimum libri egressus ex Ægypto, quem ἔξοδον LXX. interpretes nominant. Quarta pars hinis sunt tres logi. & rursus in caput tricesimum. Hin duodecim logos capit. Itaque cum logus duodecima pars sit hinis recte D. Hieronymus Leuitici cap. XIIII. semper sextarium reddit. uerbi causa וְלוֹג אֶחָד שָׁמֶן id est. Et sextarium unum olei. D. Hieronymus. Et seorsim olei sextarium.

Bathus autem quia recipit sextarios Atticos LXXII. planè est æqualis amphoræ Atticæ. quæ Græce μετρητὴς & κάδος & κεράμιον dicitur. quocirca LXX. interpretes cum hanc mensurã Hebraicam Græce reddunt, siue ita conuertant ut retineat Hebraicum nomen, ut etiam Iosephus solet conuertere, siue uertant μετρητὴν, siue κεράμιον, à Iosepho non dissentiunt. ergo ubi libro tertio Regum capite quinto legitur

tur וְעֶשְׂרִים בַּת שֶׁמֶן בָּתִּית hoc est. Et uiginti (scilicet millia) bathorum olei pressi. LXX. reddunt. καὶ εἴκοσι χιλιάδας βάθ ἐλαίου κεκοπανισμένου. id est. Et uiginti millia bathorum olei expressi. Iosephus conuertit βάθους ut supra commemorauimus. Similiter ubi capite VII. eædem sacræ Hebræorum literæ capacitatẽ labri, quod propter amplitudinem mare dictum fuit, his uerbis explicant. אַלְפַּיִם בַּת יָכִיל hoc est. Duo millia bathorum capiebat. Iosephus Iudaicarũ antiquitatum lib. VIII. cap. II. sic reddit. ἐδέχετο δὲ ἡ θάλασσα βάθους δισχιλίους. id est. Capiebat autem mare duo millia bathorum. At ubi lib. I. Esdræ cap. VII. scriptum est. וְעַד חֲמַר בַּתִּין מֵאָה hoc est. Et usque ad uini bathos centum בַּתִּין uero est plurale Chaldaicum: ne quem id conturbet: ut Hebraicum est בַּתִּים LXX. uertunt μετρητὰς. quorũ hæc uerba sunt. καὶ οἴνου μετρητῶν ἑκατόν. id est. Et uini metretarum centũ. Vbi uero Esaiæ cap XV. legitur. כִּי עֲשֶׂרֶת צִמְדֵי כֶרֶם יַעֲשׂוּ בַּת אֶחָת hoc est. Sed decem iugera uinearum facient bathum unum LXX. reddunt κεραμίον. οὗ γὰρ ἐργαζῶνται δέκα ζεύγη βοῶν, ποιήσει κεράμιον ἕν. id est. Vbi operabuntur decem iuga boum, faciet (uinea scilicet) ceramium unum. Sed ijdem LXX interpretes Ezechielis cap. XLV. bath conuertunt modo χοίνικα, modo κοτύλην. quanquam ego errorem ex ceramij nota primo natũ puto. quæ est κρ. eam enim quia non intelligeret librarius nũc χοίνικα nunc κοτύλην expressit. attamen Epiphanij & Hieronymi temporibus Græci legerunt χοίνικα & κοτύλην, ut paulo post dicam. quinetiam uerba Ezechielis de epha dicturus afferam. Itaq; qui ea quæ Hebraice scripta sunt, Græce uel Latine uertit, si à peregrino uerbo abhorret, bath Hebraicum cõuertat Græce μετρητὴν uel κεράμιον: amphoram Atticam Latine. Sequitur altera rerum liquidarum mensura, hin scilicet. quæ quod tam Latino quàm Græco careat nomine, Hebraicum retinet. Apud Ezechielem prophetam capite XLV. legitur. וְשֶׁמֶן הִין לָאֵיעַת hoc est. Et olei hin simul cum epha. LXX. interpretes reddunt. καὶ ἐλαίου τὸ εἶν τῷ πέμματι. Id est. Et olei hin una cum pẽmate. D. Hieronymus. Et olei hin per singula ephi. Quoniam uero hin capit duos cogios Atticos, qui Græca de Hebraicis exprimit si uerbum Hebraicum, ut externum, aspernatur, δύο χόας ἀττικοὺς reddet: qui Latina, duos congios Atticos. Sed quia duo congij Attici efficiunt duodecim sextarios Atticos, quarta hinis pars in sacris literis sunt tres sextarij Attici: sexta, duo. uerbi causa in cap. XXIX. libri egressus ex Ægypto legitur. וְעִשָּׂרֹן סֹלֶת בָּלוּל בְּשֶׁמֶן בָּתִּית רֶבַע הַהִין id est. Et decimam partem similę mistam cum oleo presso, cui sit quarta pars hinis. LXX. uertunt. καὶ δέκατον σεμιδάλεως πεφυραμένης ἐν ἐλαίῳ κεκομμένῳ τοῦ τετάρτου τοῦ εἶν. hoc est. Et decimam partem similæ mistæ cum oleo cõtuso. quod habeat quartam partem hinis. D. Hieronymus reddit. Decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram

ſuram quartam partem hin. At apud Ezechielem cap. III I. ſcriptum eſt וּמַיִם בִּמְשׂוּרָה תִּשְׁתֶּה שִׁשִּׁית הַהִין id eſt. Et aquam in menſura bibes, ſextam partem hinis. Quem locum LXX. ſic conuertunt. καὶ τὸ ὕδωρ ἐν μέτρῳ πιέσῃ τὸ ἕκτον τοῦ εἴν. hoc eſt. Et aquam in mẽſura bibe ſextam partem hinis. In hoc igitur loco ſexta pars hinis ſunt duo ſextarij Attici aquæ: in illo quarta, tres tam uini quàm olei. ſequitur enim ſtatim uini modus idem, qui olei. quomodo etiam quarta hinis pars accipienda eſt Leuitici cap. XXIII. & Numeri cap. XV. & ibidem cap. XXVIII.

Poſtremo eſt logus. quæ menſura bis in ſacris Hebræorum literis, ſi eas memini, legitur: & quidem in XIIII. Leuitici capite. alterum locum cõmemoraui ſupra. alter hic eſt. וְעִשָּׂרוֹן סֹלֶת אֶחָד בָּלוּל בַּשֶּׁמֶן לְמִנְחָה וְלֹג שָׁמֶן id eſt. Et decimam ſimilæ unam miſtam cum oleo pro ſacrificio: & ſextarium olei. Quem locum D. Hieronymus ſic reddit. Decimamq́ partem ſimilæ cõſperſam oleo in ſacrificium: & olei ſextarium.

Hæ ſunt menſuræ Hebræorum, quibus liquores metiuntur.

Nunc & quoties maior liquorũ menſura ſe minores capiat percurram breui, & repetam capacitatem quæ cuiq́ eſt ſi cum Atticis menſuris conferatur. Bathus capit hinas VI. logos LXXII. Hin uero, logos XII. Bathus præterea capax eſt ſextariorum Atticorum LXXII. hin XII. logus unius. Quia uero bathus capit ſextarios Atticos LXXII & planè æqualis eſt, ut dixi, amphoræ Atticæ libras Romanas menſurales comprehẽdit CVIII. quia hin duos recipit choas Atticos, ſiue XII. ſextarios Atticos, libras menſurales continet XIIII. quia deniq́ logus eſt eiuſdem capacitatis, cuius ſextarius Atticus, ſeſquilibrã capit menſuralem. Vt autem ea quoq́, quæ noſtræ ſententiæ aduerſari uidentur, uel refellamus uel explicemus, rurſus de his menſuris ſingulis dicam. Etſi lib. III. Regum cap. V. ſcriptum eſt וְעֶשְׂרִים כֹּר שֶׁמֶן בָּתִּית hoc eſt. Et uiginti (ſcilicet millia) cororum olei preſsi: atq́ D. Hieronymus eundem locum uertat, Et uiginti coros puriſsimi olei, tamen בַּת id eſt bathos, non כֹּר id eſt coros, tres ob cauſas legendũ uidetur eſſe. primam, quod Ioſephus & LXX interpretes, ut ſupra oſtendi, legunt bathos: alteram, quod corus nuſquam alibi in ſacris literis ſit rerum liquidarum menſura, ſed aridarum tantummodo. quanquam uero Ezechiel bathum dicit capacem eſſe decimæ partis homeris & æqualem ephæ, tamen non ſequitur id quod uult D. Hieronymus, D. Ambroſius libro primo epiſt. ad Iuſtum, Nicolaus Lira, & alij, homerem ſcilicet ſiue corum etiam eſſe liquorum menſuram. tertia cauſa eſt hæc. eædem ſacræ literæ ubi lib. II. annalium, quos LXX. παραλιπόμενα nominauerunt, cap. II. de ijſdem, quæ Salomo promiſit ſeruis Hiræ regis Tyri, loquuntur, olei bathorũ uiginti millia, non cororũ promiſiſſe dicunt. Hebraica enim ita ſe habent. וְהִנֵּה לְחֹטְבִים לְבָרְתֵי הָעֵצִים נָתַתִּי חִטִּים מַכּוֹת לַעֲבָדֶיךָ בֹּרִים עֶשְׂרִים אֶלֶת וּשְׂעֹרִים בֹּרִים עֶשְׂרִים אֶלֶת וְיַיִן בַּתִּים עֶשְׂרִים

עֶשְׂרִים אֶלֶף וְשִׂבְעִין בַּתִּים עֶשְׂרִים אֶלֶף id est. Et ecce sectoribus & his qui cædent ligna seruis tuis dabo tritici moliti cororum uiginti millia: & hordei cororum uiginti millia: & uini bathorum uiginti millia: & olei bathorū uiginti millia. D. Hieronymus sic reddit. Præterea operarijs, qui cæsuri sunt ligna, seruis tuis, dabo in cibaria tritici coros uiginti millia: & hordei coros totidem: oleiq; bathos uiginti millia. Quin idē Hieronymus ignorans eam mensuram quam Hebræi uocant בַּת Græce κδρωμον dici & idem esse, nec recte Esaiæ cap. v, κδρώμιον de LXX interpretibus exprimit lagunculam: nec ibidem in commentarijs scite scribit, Pro κδρωμίῳ, id est lagunculā, quam soli LXX. transtulerunt, omnes alij bathum interpretati sunt. quod Hebraice dicitur בַּת Quin etiam Epiphanius lapsus est per errorem cum affirmat bathum capere sextarios L. capit enim LXXII. sic uero scribit de batho. καὶ ὅτι ἀπὸ τῆς ἑβραικῆς διαλέκτου παρῆκται, σωωνύμως τῷ ἐλαιοτριβείῳ καλουμένῳ βαθ. βαθὺ γὰρ ἑρμηνεύεται ἐλαιοτρίβειον. ὅτι δὲ ξέσων πρωτήκοντα. hoc est. Hoc de Hebraica loquendi proprietate deductum est: & idem significat quod prælum, quo oleum exprimitur, quod uocatur bath. bathus enim interpretari potest prælum olei. est uero sextariorū quinquaginta. Sed de hac re postea plura dicam. Idem Epiphanius errat in chœnice. nam cum ex uerbis LXX. interpretum, quæ sunt Ezechielis cap. XLV. didicisset chœnicē & hyphi, quod & mensura ibidem nominatur, eiusdem esse capacitatis, ipse scribit. χοίνιξ δὲ καὶ ὕφι ἓν μέν ὅτι, διττῷ δὲ ὀνόματι κέκληται. ὅτι δὲ δύο ξέσων καὶ ψοσυμορίου. Id est. Chœnix & hyphi una mēsura sunt, sed ea duobus nominibus appellata est. duorum uero est sextariorum & aliquantulæ partis. Epiphanius autem, ut Hebraicæ linguę ignarus, non intellexit LXX. interpretes bath uertisse chœnica, epha uero modo mensuram, modo hyphi. quarum mensurarum cum utraque capit LXXII. sextarios, ipse perperam accepit chœnicem georgicam, quæ cōtinet duos sextarios Atticos, & tres cum dimidia decimas octauas sextarij partes, quas Romani uncias mensurales dicūt. Romanos autem sextarios chœnix item duos comprehendit, & quadragesimam sextarij partem, siue semunciam mensuralem. quæ utraq; sanè exigua sextarij pars est, siue hunc siue illum sextarium intelligat. At ille idem cum tradidit artabam esse sextariorum LXXII. recte subiecit. τὸ δ' αὐτὸ μέτρον ἐστὶ καὶ ὁ μετρητὴς ἔχει καὶ τὸ μέτρον ἅγιον. hoc est. Eandem mensuram & metreta habet secundū sanctam mensuram. etenim LXX. interptetes bath etiam uertunt μετρητὴν.

At hinā ijdem Leuitici cap. XIX. non recte reddunt χοῦς id est congium. Quo errore ductus Epiphanius scribit. χοῦς ὅτι ξέσων. ι. τὸ δὲ καλούμενον ἅγιον ξέσων ς. id est. Chus est sextariorum octo. sancta uero mensura sic appellata sextariorum sex. Chus quidem georgicus est sextariorum octo: Atticus uero alter, sex. Sed in sacris literis chus desi-

gnat mensuram duodecim sextariorum capacem. Minus uero recte D. Hieronymus ibidem χοῦν conuertit sextarium: etiamsi castrensem intelligat. Hebraica sunt אֵיפָה צֶרֶק וְהִין צֶדֶק יִהְיֶה לָכֶם hoc est. Epha iustũ & hin iustum erit uobis. LXX. sic reddunt ἡ μέτρα δίκαια ἡ χοῦς δίκαιος ἔσται ὑμῖν. id est. Et mensuræ iustæ & congius iustus erit uobis. Hieronymus. Iustus modius æquusq; sextarius. Nam Iosephus, ut supra explicaui, dicit hina capere duos choas Atticos. quod cum legisset D. Hieronymus scripsit in primo libro cõmentariorũ in Ezechielẽ prophetam. Porrò hin duos choas Atticos facit. quos nos appellare possumus duos sextarios Italicos, ita ut hin mensura sit Iudaici sextarij nostriq; castrensis. cuius sexta pars facit tertiam partem sextarij Italici. Vt autem Hieronymus Iosephum, uel etiam aliquẽ alium scriptorem, secutus recte scripsit, hina duos choas Atticos capere, ita perperam χόας interpretatus est sextarios Italicos. etenim χοεὺς congium significat, & sex continet sextarios. . Sed Iosephum Iudaicarum antiquitatum lib. III. cap. X. non aliter accepisse χόας ipsa unguenti compositio, quam transfert de Hebraicis, quæ sunt cap. XXX. libri egressus ex Ægypto, declarat. cum enim habeat myrrhæ electæ siclos quingentos & iridis totidem: cinamomi ducentos & quinquaginta, & calami totidem, hoc est aromatum libras LXIIS. necesse est ut duos olei congios recipiat. id est libras mensurales XVIII. siue ponderales XV. nõ enim possunt tot aromata bene commisceri si olei tantũmodo duo sextarij, hoc est libræ mensurales III. siue ponderales IIS. infunderentur.

At Leuitici cap. XIIII. Hieronymus logum, ut dixi, recte uertit sextarium. minus uero recte LXX. κοτύλῃ. quorum uerba sunt. καὶ κοτύλῃ ἐλαίου μίαν. Id est. Et heminam olei unam. Sed cum nulla mensura Græca proximius accederet ad hanc Hebraicam, eam conuerterunt κοτύλῃ. atq; eandem ob causam hina, ut uidetur, χόα. cum logus duas heminas Atticas capiat: hin, duos congios Atticos. Verũ cum in hoc Leuitici loco LXX. interpretes logum reddant κοτύλῃ, Ezechielis uero cap. XLV. bath, Epiphanius nimis simpliciter scriptũ reliquit. κοτύλη ἥμισυ ξέστου ἀττικοῦ. hoc est. Cotyla dimidia sextarij pars existit. nam Græcorum quidem cotyla ita se habet, sed LXX. interpretes eam Leuitici in locum mensuræ cui capacitas est sextarij supponunt: in Ezechiele uero in locum mensuræ, cui capacitas est metretæ. Hieronymus, quod ad capacitatem id genus mensurarum attinet, multum repugnare Iosepho uidetur. sed quia ea res melius intelligi poterit posteaquam alterius generis mensuras explicauero, eam differam.

Hactenus de liquidarum rerum mensuris dixi, nunc de aridarum dicam, quæ sunt. כֹּר לֶחֶר אֵיפָה סְאָה עֹמֶר עֶשֶׂר Quæ uerba sic Latinis exarantur. Cor. lethec, epha, sat, omer, cab. id est. decem medimni Attici, quinq; medimni Attici, medimnus Atticus, quatuor choes Attici, septem

ptem ſextarij Attici & quinta eius pars, quatuor ſextarij Attici. Corus autem capit duas lethecas: letheca, quinq; ephas: epha, tria quidem ſata, omeres uero decem: ſatum, tres certe omeres et tertiã eius partem, ſex autem cabos. Sed corum continere duas lethecas Epiphanius docet. nam cum corus, ut ipſe tradit, capax ſit modiorum XXX. letheca uero XV. ſatis intelligimus eam eſſe dimidiam cori partẽ. quocirca D. Hieronymus Oſeæ cap. III. dimidium corum uertit. ex quo ſequitur ut letheca recipiat ephas quinq; quia corus decem comprehendit.

At corum capere decem ephas declarat his uerbis Ezechiel propheta cap. XLV. à quo homer nominatur. הָאֵיפָה וְהַבַּת תֹּכֶן אֶחָד יִהְיֶה לַשֵּׁאת מַעֲשַׂר הַחֹמֶר הַבַּת וַעֲשִׂירִית הַחֹמֶר הָאֵיפָה אֶל הַחֹמֶר יִהְיֶה מַתְכֻּנְתּוֹ id eſt. Epha & bathus æqualitatis unius ſint: ut capiat decimam partem ipſius homeris bathus, & decimam partem homeris epha. ad homerem ſit proportio eius. Huius uero ampliſsimæ menſuræ capacitatem his uerbis explicat Ioſephus Iudaicarum antiquitatum lib. XV. cap. XII. τοὺς μὲν ἔξω τῆς ἀρχῆς δοθέντας σίτου κόρους μυρίους. ὁ δὲ κόρος δύναται μεδίμνους ἀττικοὺς. ι. hoc eſt. Vt extra imperium dederit frumenti cororum decem millia. corus autem capit medimnos Atticos decem. Cum igitur epha decima cori pars ſit, continet unum medimnũ Atticum. quia uero medimnus Atticus recipit duos & ſeptuaginta ſextarios, nemo non intelligit bathum & epham eiuſdem eſſe capacitatis: ſed alteram rerum liquidarum menſuram, aridarum alteram. Quod uero epha capiat tria ſata ex his Ioſephi uerbis, quæ ſunt in Iudaicarum antiquitatum lib. IX. cap. II. poteſt percipi. ἀφθονίαν δ' εἶχον ὡς ὠνεῖσθαι δύο μὲν σᾶτα κριθῆς σίκλου. σεμιδάλεως δὲ σᾶτον σίκλου κατὰ τὴν ἐλλισσαίου προφητείαν. ἰσχύει δὲ σᾶτον μόδιον καὶ ἥμισυν ἰταλικόν. Id eſt. Copiam autem habuerunt ut duo hordei ſata emerentur ſiclo. ſimilæ uero ſatum ſiclo ſecundum Heliſæi prophetiã. ſatum autem capit ſeſquimodium Italicum. Itaq; cum ſeſquimodius ſit quatuor & uiginti ſextariorum, epha uero duorum & ſeptuaginta, quiſq; intelligit epham capere tria ſata. ac uero etiam ex eo percipi poteſt, quod ubi Ruth cap. II. Hebraica editio habet epham, Chaldaica habet tria ſata. At omer decimã partem eſſe ephæ aperte ſacræ Hebræorum literæ loquuntur cap. XVI libri egreſſus ex Ægypto. וְהָעֹמֶר עֲשִׂירִית הָאֵיפָה הוּא hoc eſt. Et omer decima pars ephæ eſt. Quoniam uero omer eſt decima pars ephæ, cõprehendit ſextarios Atticos ſeptem & quintam ſextarij partem. Mecum facit Epiphanius quum ſcribit τὸ δὲ γόμορ δέκατον ἦν τοῦ μεγάλου μέτρου. τουτέστι τῆς ἀρτάβης. ὃ γίνεται ἑπτὰ ξέστων καὶ πέμπτον. Id eſt. Gomor autem eſt decima pars magnæ menſuræ, id eſt artabæ, quod efficit ſeptem ſextarios, & quintam ſextarij partem. Sed ſatum capit tres omeres & tertiam eius partem. uerum idem recipere ſex cabos iterum ex Ioſepho colligitur. etenim ubi libro quarto Regũ capite ſexto

ſcriptum eſt. וְרֹבַע הַקַּב חִרְיוֹנִים בַּחֲמִשָּׁה בֶסֶף hoc eſt. Et quarta pars cabi ſtercoris columbarũ pro quinq; argenteis: ipſe Ioſephus Iudaicarum antiquitatum lib. IX. cap. II. in eandem ſententiam ſcribit. οὕτω δ' ἐπέλιπε τὸν ἰώραμον ἡ τῶν ἀναγκαίων εὐπορία, ὡς διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς ἐνδείας ἐν τῇ σαμαρίᾳ πραθῆναι ὀγδοήκοντα μὲν ἀργυρῶν νομίσματος κεφαλὴν ὄνου, πέντε δ' ἀργυρῶν νομίσματος ξέστην κόπρου περιστερῶν ἀντὶ ἁλῶν ὠνεῖσθαι τοὺς ἑβραίους. id eſt. Tantopere Ioram rerum neceſſariarum copia defecit, ut propter indigentiã in Samaria caput aſini octoginta argenteis nũmis uenderetur: quinq; uero argenteis nummis ſextarium fimi columbarum pro ſale emerent Hebræi. Si igitur quarta cabi pars eſt ſextarius, nemo non intelligit cabum continere quatuor ſextarios: & ſatum, quod eſt quatuor & uiginti ſextariorum, ſex cabos. Quin legis interpres Salomo Leuitici cap. XIIII. ait. Satum habet ſex cabos: cabus uero quatuor logos. Nec à Ioſepho diſſentit Epiphanius. κάβος δὲ, inquit, ἐξ αὐτῆς τῆς διαλέκτου διάφορον μέτρον ἐστὶν, ἤγουν τὸ τέταρτον μοδίου. hoc eſt. Cabus autem ex ipſa loquendi proprietate, Hebraica ſcilicet, diuerſa eſt menſura: nimirum quarta modij pars. Etenim cum modius Romanus ſit XVI. ſextariorũ, quatuor ſextarij efficiunt quartam modij partem. Itaq; hæ ſunt menſuræ, quibus Hebræi frumenta aliasq; res ſiccas menſi fuerunt. nec ullas habuerunt menſuras quæ eſſent rerum liquidarum pariter & aridarum. quanq̃ autem recte & Ioſephus quod Hebraice legitur quartam cabi partem, Græce ξέστην reddidit, nam ſextarius Græcis æque ac Romanis rerum liquidarũ ſimul & aridarum menſura eſt: & legis magiſtri ſcribunt cabum capere quatuor logos, etenim logus & quarta cabi pars eiuſdem fuerunt capacitatis, tamen ſacræ Hebræorum literæ logo, ut rerum aridarum ſit menſura, non utuntur: & nomen non impoſuerunt quartæ cabi parti. Similiter caph, quod numerorum capite VII. cochleare ſignificat, etſi D. Hieronymus mortariolum uertit, ſacras literas pro menſura uti non legimus: ut magiſter Kimhus triceſimam logi partem eſſe ſcribat. quod ſi thalmudiſtæ logo pro rerum ſiccarum menſura utuntur, & capho pro liquidarum aridarumq;, utantur ſanè: nam de eis minime laboro, ut nec de cabaliſtis. quod hi in interpretatione literarũ cuiuſq; uerbi, non aliter ac Gręci quidam in ἀναγραμματισμῷ mihi moueant riſum: illi in commentis, quę Mahometis ſomnijs habent ſimilia, etiam ſtomachũ.

Corus autem Hebraice non modo כר ſed etiam חֹמֶר dicitur. utrunque uerbum Græci reddunt κόρος Latini eos imitati corus. quod à priori uocabulo Hebraico fluxit. in prophetis legitur homer, in alijs ferè omnibus ſacrarum literarum locis cor. ut in lib. III. Regum cap. IIII. וַיְהִי לֶחֶם שְׁלֹמֹה לְיוֹם אֶחָד שְׁלֹשִׁים כֹּר סֹלֶת וְשִׁשִּׁים כֹּר קָמַח Id eſt. Fuit panis Salomonis ſingulis diebus triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ. Quem locum Ioſephus ita conuertit Iudaicarum antiquitatum

tum lib. VIII. cap. II. σωρετέλουν δὲ καὶ τῇ τραπέζῃ καθ' ἡμέραν τῷ διὰ παντὸς τοῦ βασιλέως σεμιδάλεως μὲν κόρους τριάκοντα, ἀλεύρου δ' ἑξήκοντα. hoc est. In panibus autem conficiendis mensæ & cœnæ regis quotidie consumebant similæ coros triginta: farinæ uero, sexaginta. Itē cap. V. eiusdem libri וּשְׁלֹמֹה נֹתֵן לְחִירָם עֶשְׂרִים אֶלֶף כֹּר חִטִּים מַבְלַת לְבֵיתוֹ hoc est. Et Salomo dabat cibum domui Hirę tritici cororum uiginti millia. Hunc locū LXX. interpretes sic reddunt. καὶ σολομὼν ἔδωκε τῷ χειρὰμ εἴκοσι χιλιάδας κόρους πύρου τῇ μαχὴλ τῷ οἴκῳ αὐτοῦ. Id est. Et Salomo dedit Hirę tritici cororū uiginti millia: & cibum domui eius. Verbum autem מַבְלַת quod significat cibum, quia non satis intelligerent, non uerterunt, sed corruptum, tanquam nomen proprium esset, uidentur reliquisse. Iosephus lib. VIII. Iudaicarum antiquitatum cap. II. sic reddit. σῖτον μὲν αὐτῷ κατ' ἔτος πέμψας δισχιλίους κόρους. Tritici quidem ipsi singulis annis misit cororum uiginti millia. Idem uerbum sacra scriptura ponit lib. II. annalium cap. II. quem locum supra citaui: & lib. I. Esdræ cap. VII. וְעַד חִנְטִין בּוֹרִין מְאָה hoc est. Et usq; ad tritici coros centum. LXX. recte conuertunt. ὁμοίως δὲ καὶ ἕως πύρου κόρων ἑκατόν. Id est. Similiter uero & tritici usq; ad coros centum. Homere autem utitur Ezechiel propheta cap. XLV. cuius uerba supra commemorauimus: & Osee ca. III. וָאֲכַרֶךְ לִי בַּחֲמִשָּׁה עָשָׂר כֶּסֶף וְחֹמֶר שְׂעֹרִים וְלֶתֶךְ שְׂעֹרִים hoc est. Et ego acquisiui eam mihi quindecim argenteis: & coro hordei, & letheca hordei. quæ sic conuersa legit D. Ambrosius libro nono Epist. ad Studiū. Et conduxi eam gomor hordei & semigomor. Vtitur etiam homere Esaias cap. V. quem locum postea afferam in mediū. Et Leuitici cap. XXVII. Sed corum & homerem eandem esse mensuram ex his, quæ diximus, concludi potest hoc modo. Si corus, ut Iosephus memoriæ prodidit, capit decem medimnos Atticos, homer uero, ut Ezechiel, decem bathos & decem ephas, erunt eadem mensura. nam bathus, quia ex eiusdem Iosephi sententia, continet sextarios Atticos LXXII. est amphora Attica: epha uero, quia eiusdem capacitatis, sed aridarum rerum mensura, est medimnus Atticus. Homer igitur quoniam recipit decem ephas, æque ac corus capit decem medimnos Atticos, & eadem est mensura. Sequitur epha, siue, ut alij pronunciant, ephi. quod nomen Hebraicum LXX. interpretes plerunq; non uertūt, sed efferunt οἰφὶ uel ὖφι. Etenim ubi legitur Ruth cap. II. וַתַּחְבֹּט אֵת אֲשֶׁר לִקְּטָה וַיְהִי כְּאֵיפָה שְׂעֹרִים id est. Et excussit id quod collegit, & fuit ferè epha hordei. LXX. interpretes sic reddūt. καὶ ἐράβδισεν ἃ συνέλεξε καὶ ἐγένηθη ὡς οἰφὶ κριθῶν. hoc est. Et uirga excussit ea quę collegerat, & facta sunt quasi œphi hordei. Epha autem medimnū Atticum comprehendit, ut supra dixi. At satum bis ponunt sacræ literæ. cap. XVIII. libro ortus mundi וַיֹּאמֶר מַהֲרִי שְׁלֹשׁ סְאִים קֶמַח סֹלֶת לוּשִׁי Id est. Et dixit, festina, tria sata farinæ purgatæ commisce. Et libro primo Re-

gum cap. XXV. וְחָמֵשׁ סְאִים קָלִי hoc est. Et quinq; sata tosti farris. tametsi LXX. interpretes hic etiam epham habeant. καὶ πρόντε οἰφὶ ἀλφίτου. id est. Et quinq; œphi farinæ. Quin Christus seruator humani generis satum uidetur dixisse, cum, ut Lucas scribit, sic ait. οὐδεὶς λύχνιον ἅψας εἰς κρυπτὸν τίθησιν, οὐδ' ὑπὸ τὸν μόδιον, ἀλλ' ἐπὶ τὴν λυχνίαν, ἵνα εἰσπορευσόμενοι τὸ φῶς βλέπωσιν. hoc est. Nemo lucernam accendit, & in abdito ponit, neq; sub modium, sed super candebrum, ut qui ingrediantur lumen uideant. nam nulla mensura Hebraica proximius ad modium accedit quàm satum. quare Epiphanius scriptum reliquit. τοῦ δὲ μοδίου τὸ ὄνομα διὰ πολλῆς ἀκριβείας ὑπὸ τῶν ἑβραίων εὑρέθη εἴκοσι δύο ξέστων ὑπάρχον. Id est. Modij uero nomen accurata quadã animad uersione inuentum est duorum & uiginti sextariorũ. At ex Hieronymi sententia satum capit modium. Euangelistę autem maluerunt uti Romana uoce, illis temporibus Græcis non incognita, quàm Hebraica. Sed ueritatem nobis patefaceret Hebraicum Matthæi euangelium, si extaret. Hebraice enim eum scripsisse memoriæ ac literis proditum est. Satum uero continet, ut dixi, quatuor congios Atticos.

At omere eædem sacræ literæ sæpius utuntur. LXX. reddunt γομὸρ, Iosephus autem ἀσσαρῶν. nam locum capitis XVI. libri egressus ex Ægypto, quẽ supra citaui, LXX. sic uertunt. τὸ δὲ γομὸρ τὸ δέκατον τῶν τριῶν μέτρων ἦν. hoc est. Gomor uero decima pars erat trium mensurarum. Iosephus Iudaicarum antiquitatum lib. III. cap. I. de eadem re: nempe de manna, ita scribit. παραγγέλλεται δ' ἐξ ἴσου ἀσσαρῶνα, τοῦτο δ' ἐστὶ μέτρον, εἰς ἑκάστην ἡμέραν συλλέγειν. Id est. Præcipitur autem ut singulis diebus æqualiter assaronẽ, quæ mensura est, colligerẽt. Vsurpat eandem mensuram Iosephus eiusdem libri cap. XI. νόμος δὲ ταῖς ἰδιωτικαῖς καὶ ταῖς δημοσίαις θυσίαις καὶ ἄλευρον ἐπιφέρεσθαι καθαρώτατον, ἀρνίῳ μὲν ἀσσαρῶνος μέτρον, κριῷ δὲ, δυοῖν, ταύρῳ δὲ γ'. hoc est. Lex autẽ præcipit tam in priuata quàm publica sacrificia inferre farinam mundissimã. & cum immolatur agnus assaronis unius mensura: cum aries, duorum: cum taurus, trium. Et cap. ultimo. καὶ λιμοῦ τὴν χώραν ἡμῶν καταλαβόντος ὡς τεσσάρων δραχμῶν πωλεῖσθαι τὸν ἀσσαρῶνα. Id est. Cum fames in nostra regione esset ut quatuor drachmis emeretur assaron. Hanc autem mensuram sacræ literæ interdum non appellant suo nomine, sed decimam ephæ partem, ut est, nominant. sicuti Leuitici cap. V. וְהֵבִיא אֶת קָרְבָּנוֹ אֲשֶׁר חָטָא עֲשִׂירִית הָאֵפָה סֹלֶת hoc est. Et adducit pro sacrificio qui peccauit similæ partem ephæ decimam. LXX. interpretes sic uertunt. καὶ οἴσει τὸ δῶρον αὐτοῦ περὶ οὗ ἥμαρτε τὸ δέκατον τοῦ οἰφὶ σεμίδαλιν. Id est. Et feret donum eius quod peccauit similæ decimam partem œphi. Et numeri cap. XXVIII. וַעֲשִׂירִית הָאֵפָה סֹלֶת לְמִנְחָה hoc est. Et decimam partem ephæ pro sacrificio. LXX. καὶ ποιήσεις τὸ δέκατον τοῦ οἰφὶ εἰς θυσίαν. Id est. Et facies sacrificiũ parte decima œphi.

Interdum

Interdum uero eædem literæ ad decimam partem non adijciunt epha. & tamen eandem omeris mensuram intelligunt. ut numeri cap. XV, וְהִקְרִיב הַמַּקְרִיב קָרְבָּנוֹ לַיהוָה מִנְחָה סֹלֶת עִשָּׂרוֹן hoc est. Offerat, qui affert sacrificium domino similæ decimam partem. Attamen tam Hieronymus quàm LXX. interpretes adijciunt epha. illius uerba sunt. Offeret quicunq; immolauerit uictimam sacrificium similæ decimam partem ephi. horum. καὶ προσοίσει ὁ προσφέρων τὸ δῶρον αὐτοῦ κυρίῳ θυσίαν σεμιδάλεως δέκατον τοῦ οἰφί. Id est. Afferat, afferens donum ipsius domino, sacrificium similæ decimam partem œphi. Similiter sacræ literæ in eodem capite cum duas decimas partes dicunt, nihil aliud intelligi uolunt quàm duos omeres: cum tres decimas partes dicunt, tres omeres. quod etiam percipi potest ex Iosephi uerbis supra citatis, quæ sunt in lib. III. cap. XI. sed ipse omeres, ut dixi, ἀσσαρῶνας uocat.

At cabum sacra scriptura alibi non usurpat quàm libro IIII. Regum cap. VI. quem locum supra commemorauimus. eum uero LXX. sic reddũt καὶ τέταρτον τοῦ κάβου κόπρου περιστερῶν πέντε σίκλων ἀργυρίου. hoc est. Et quartam cabi partem fimi columbarum quinq; siclis argenti. Nunc iterum quæ de capacitate id genus mensurarum disserui, complectar breui. Corus capit ephas X. sata XXX. omeres. C. cabos CLXXX. Epha uero recipit sata III. omeres X. cabos XVIII. Satum continet omeres III. & tertiam omeris partem. cabos VI. Omer capax est ferè duorum caborum. Corus præterea comprehendit medimnos Atticos X. Epha I, Satum congios IIII. Omer VII. sextarios & quintam sextarij partem. Cabus sextarios IIII. Rursus autem quia corus capit decem medimnos Atticos, continet libras mensurales MLXXX. quia epha unum medimnum Atticum, CVIII. quia satum XXIIII. sextarios Atticos, XXXVI. quia omer septem sextarios Atticos & quintam sextarij partem, libras X. uncias IX. & semunciam ac scripula duo & duas quintas scripuli partes. quia deniq; cabus quatuor sextarios, VI. libras. Nunc etiam iterum ea quæ nostræ sententiæ uidentur aduersari expendam, & quæ obscura sunt explicabo. Primum autem interpretatio cori quæ est apud Iosephum lib. III. cap. ultimo uera & germana non uidetur esse. κομισθέντος, inquit, ἀλευρῶν κατὰ τὴν ἑορτὴν τῶν ἀζύμων εἰς κόρους ἑβδομήκοντα (μέδιμνοι δὲ οὗτοι σικελοὶ μὲν εἰσὶν εἷς καὶ τριάκοντα, ἀττικοὶ δὲ τεσσαράκοντα εἷς) οὐδεὶς ἐτόλμησε τῶν ἱερέων κρίμνον ἓν φαγεῖν, τοσαύτας ἀκρίας τὴν γῆν κατεχούσης, δεδιὼς τὸν νόμον καὶ τὴν ὀργὴν, ἣν καὶ ὧν ἀνεξελέγκτοις ἀεὶ τὸ θεῖον τοῖς ἀδικήμασιν ἔχει. Id est, Cum ad festos azymorum dies farinæ cori circiter septuaginta apportati essent (medimni autẽ Siculi sunt unus & triginta, Attici uero unus & quadraginta) sacerdos nullus ausus fuit ullã pinguem farinam edere, timens legem & iracundiam, quam deus exercet etiam in crimina quæ redargui non possint. Etenim cori septuaginta faciũt

Atticos medimnos DCC. unus uero corus, ut dixi, Atticos medimnos X. Siculus autem medimnus & Atticus æquales sunt ut libro secundo de Romanis & Græcis mensuris & ponderibus declaraui. Qui igitur capacitatem cori hoc modo explicauit, si, cum medimnū dicit, modium non intelligit, ut interdum Græci intelligunt, ac non scripsit ἰταλικῶν, prorsus aberrauit. si uero intelligit modium Italicum, non multum deflectit de uia. nā unus corus facit minus octo sextarijs Italicos modios unum & quadraginta: Siculos autē modios minus tribus sextarijs unum & triginta. quorum unusquisq; sit sextariorum unius & uiginti. quanquam de tanto Siculo modio scriptorum nullus aliquid memoriæ tradidit. itaq; nisi hoc sibi uoluerit qui corum interpretatus est, alius erit quadruplo capacior q̄ Hebraicus. Sed ut iste quisquis fuit corum cōstituit maiorem quàm erat, ita Epiphanius & D. Hieronymus eum forte secutus cōstituisse uideri possunt minorem, nempe triginta modiorum. scribit enim Epiphanius. εἴληπται γοῦν ὁ κόρος ἐκ τῆς ἑβραϊκῆς διαλέκτου. οὕτω καλεῖται χόρ. εἰσὶ δὲ μόδιοι λ. hoc est. Corus igitur sumptus est ab Hebraica loquēdi proprietate, ubi uocatur chor. sunt uero modij XXX. Et Hieronymus in quartodecimo commentariorum in Ezechielem. Corus triginta habet modios, & in utraq; mensura, hoc est rerum tam aridarum quàm liquentium tenet principatū. Idem sentit in libro primo commentariorum in Oseam. Pro γομὸς, inquit, in Hebraico est הֹמֶר quod omnes interpretes absq; septuaginta corum interpretati sunt sermone Græco & maxime Palæstino, qui habet triginta modios. Et pro nebel uini in Hebraico legitur לֶתֶךְ שְׁעָרִים quod cæteri interpretes ἡμίεκτον hordei transtulerunt, id est mediam partem cori, quæ facit quindecim modios. Nam LXX. ita scribunt. καὶ γομὸς κριθῶν, καὶ νέβελ οἴνου. Id est. Et gomor hordei, & nebel uini. Nebel autem Hebraicum uerbum est, quod sic scribitur. נבל & significat utrem. Id capere sextarios centum quinquaginta tradit Epiphanius. νέβελ οἴνου, scribit, ὅπερ ἔστι μέτρον ξέσωμ ρν. hoc est. Nebel uini quod quidem est mensura sextariorū CL. Attamen LXX. interpretes in uno eodemq; loco Ezechielis cap. XLV. חֹמֶר primo gomor uertunt, deinde corum, tum iterum gomor. Esaię autem cap. V. reddunt sex artabas. eorum uerba sunt. καὶ ὁ σπείρων ἀρτάβας ἓξ, ποιήσει μέτρα τρία. Id est. Et seminans artabas sex, faciet tres mensuras. Quia uero ijdem LXX. cap. XVI. libri egressus ex Ægypto scriptum reliquerunt. τὸ δὲ γομὸρ τὸ δέκατον τῶν τριῶν μέτρων. hoc est. Gomor uero decima pars est trium mensurarum: utuntur q; recte eo ipso uerbo, satis intelligimus aut id in prædictis prophetarum locis quondam corruptum fuisse, & debere legi ὁμὲρ, aut, quod similius uero uidetur, alios LXX. interpretum alios locos scripturæ interpretatos fuisse. id uero magis apparet ex eo quod cū ephā plerunq; cōuertant οἰφὶ, ut ex locis quos in mediū attuli, per

li, perſpicuum eſt, tamẽ alius cap. XVI. libri egreſſus ex Ægypto, quæ uerba iam citaui, in locum οἰφὶ ſubſtituit τῶν τριῶν μέτρων, id eſt trium menſurarum, alius Zachariæ cap. V. μέτρον, id eſt menſuram, conuertit: alius Ezechielis cap. XLV. modo μέτρον reddit, modo οἰφὶ de Hebraico exprimit, nunc uero πέμμα uertit, cap. ſcilicet XLVI. Sed primus ſi communi menſuræ nomine ſatum appellat, ut ipſi LXX. ſolent appellare, quanquã proprie non loquitur, tamen à re ipſa non aberrat. Alter quia genere utitur pro forma, legentis animum conturbat. cum enim plures ſint menſuræ Hebraicæ, nõ poteſt intelligere quam ex his dicat. Tertius uero ſi talem oſtentat copiam, ineptus eſt: ſin in uertendis Hebraicis nutat, parũ conſideratus. Verba LXX. interpretum in cap. XLV. Ezechielis ſunt. ζυγὸς δίκαιος, καὶ μέτρον δίκαιον, καὶ χοῖνιξ δικαία ἔσαι ὑμῖν. ὁ μέδιμνος καὶ χοῖνιξ ὁμοίως ἔσαι. τὸ λαμβάνειν τὸ δέκατον τοῦ γομὸρ χοίνικα, καὶ τὸ δέκατον τοῦ γομὸρ τὸ μέτρον. πρὸς τὸ γομὸρ ἔσαι ἴσον. hoc eſt. Statera iuſta & menſura iuſta & chœnix iuſta erit uobis. menſura & chœnix æquales erunt, ut accipiat decimam gomor partem chœnix: & decimam gomor partem menſura. ad gomor earum erit æqualitas. Et paulo poſt· καὶ αὐτὴ ἡ ἀπαρχὴ ἣν ἀφελεῖτε, ἕκτον τοῦ οἰφὶ ἀπὸ τοῦ κόρου τοῦ πυροῦ, καὶ τὸ ἕκτον τοῦ οἰφὶ ἀπὸ τοῦ κόρου τῶν κριθῶν. καὶ τὸ πρόσαγμα τοῦ ἐλαίου ἀπὸ δέκα κοτύλων. ὅτι αἱ δέκα κοτύλαι εἰσὶ γομὸρ. Id eſt. Et ipſæ primitiæ, quas tolletis, ſexta pars œphi de coro tritici: & ſexta pars œphi de coro hordei. & mandatũ olei de decem cotylis: quod decem cotylæ ſint gomor. Et poſtea. ἔσαι τὸ μοσχὰ πέμμα τῷ μόσχῳ καὶ πέμμα τῷ κριῷ. hoc eſt. Erit ſacrificium pemma cum uitulo, & pemma cum ariete. Pemma uero, ut dixi, uocat epham. genus autem uaſis fuiſſe intelligimus ex eo quod בַּת ſignificans lagenam & utrem etiam conuertant πέμμα. Sed redeo ad gomor. Epiphanius cum uideret gomor in ſacris literis non ſemper eandem menſurã ſignificare ſcribit. δύο δὲ εἰσὶ γόμοι, μέγας καὶ μικρὸς. ὧν τὸ μέγα ἰσόμετρόν ἐστι τοῦ λεθὲκ, δεκαπέντε μὴ αὐτὸ ὂν μοδίων. τὸ δὲ μικρὸν δωδέκατον βάθους. id eſt. Duo autem ſunt gomor, maius & minus. quorum maius æquale eſt lethec, quindecim etiam ipſum modiorum: minus uero duo decima bathi pars. Verum Epiphanius recte affirmat duo eſſe gomor in ſacra ſcriptura, unũ uero apud LXX. interpretes, ſed non recte maius gomor & lethec idem, minus duodecimam bathi partem eſſe. nam maius gomor duplam proportionẽ habet ad lethec: bathus decuplam ad minus. At diuus Hieronymus quia dixit corum capere XXX. modios, cum in eius ſiue homeris locum ſupponit XXX. modios non diſcedit de ſententia: nec cum in locũ ephæ ſubſtituit tres modios, quod epha ſit decima cori pars. itaq; ubi Eſaiæ capite quinto ſcriptum eſt· וְזֶרַע חֹמֶר יַעֲשֶׂה אֵיפָה hoc eſt, Et ſemen homeris faciet epham. Hieronymus uertit. Et triginta modij ſementis faciunt modios tres. Vbi Ruth

ſecundo

ſecundo. וַיְהִי כְּאֵיפַת שְׂעֹרִים id eſt. Et fuit ferè epha hordei. Idem expo nit. Et inuenit hordei quaſi ephę mẽſuram, id eſt tres modios. Cum au tem epha ex Hieronymi ſentẽtia recipiat tres modios ipſe in quatuor locis parum ſibi conſtat. in quorum tribus modium reddit, in quarto amphoram. primus eſt Leuitici cap. XIX. אֵיפָה צֶדֶק וְהִין צֶדֶק יִהְיֶה לָכֶם hoc eſt. Epha iuſtum & hin iuſtum erit uobis. Hieronymus uertit iu ſtus modius æquuſque ſextarius. Alter Deuteronomij capite XXV. לֹא יִהְיֶה לְךָ בְּבֵיתְךָ אֵיפָה וְאֵיפָה גְּדוֹלָה וּקְטַנָּה id eſt. Non erit in domo tua epha & epha, maior & minor. Ipſe cõuertit. Nec erit in domo tua mo dius maior & minor. Tertius Iudicũ cap. VI. וְאֵיפַת קֶמַח מְצוֹת hoc eſt. Et epha farinę non fermentatæ. Hieronymus reddit. Et de farinæ mo dio azymos panes. Quartus Zachariæ. V. וַיֹּאמֶר זֹאת הָאֵיפָה הַיֹּצֵאת Id eſt. Et dixit. Hæc eſt epha quæ egreditur. Hieronymus uertit. Et ait. hęc eſt amphora egrediens. Nec LXX. interpretes in his quatuor lo cis ſibi conſentanei ſunt. in tribus enim ephã uertunt μέτρον, in quar to relinquunt Hebraicum uerbum. Leuitici cap. XIX. ſcribunt. μέτρα δίκαια καὶ ζυγὸς δίκαιος ἔσαι ὑμῖν. hoc eſt menſuræ iuſtæ & congius iu ſtus erit uobis. Deuteronomij uero cap. XXV. ὐκ ἔσαι ἐν τῇ οἰκίᾳ σου μέτρον καὶ μέτρον μέγα καὶ μικρόν. id eſt. Non erit in domo tua menſu ra & menſura, maior & minor. Item Zachariæ cap. V. οὗτος ὁ μέτρον ὁ ἐκπορευόμενον. hoc eſt. Hæc menſura quæ egreditur. Iudicum autem cap. VI. καὶ οἰφὶ ἀλεύρου ἄζυμα. Id eſt. Et œphi farinæ non fermentatę. Idem LXX. interpretes rurſus ſibi ipſi non conſentiunt, quod genera li menſuræ uocabulo non ſolum epham nominant, ſed etiam ſatum. ut cap. XVIII. libri ortus mundi. σπεῦσον καὶ φύρασον τρία μέτρα σεμιδάλεως, καὶ ποίησον ἐγκρυφίας. hoc eſt. Feſtina & commiſce tres menſuras ſimilæ, & fac panes ſubcinericios. D. Ambroſius in Lucam LXX. in terpretes imitatus ſatum item communi menſuræ nomine appellat. Errat hoc in loco Epiphanius, qui à LXX. interpretibus putat τρία μέ τρα dici tria gomor cum ipſi ita uerterint tria ſata. τρία, inquit, μέτρα σεμιδάλεως, ἃ τρὶς ἀγγέλοις ἀβραὰμ τῇ σάρρᾳ ἐφιμάζειν προσέταξεν, ἐξ ὧν μέτρων ἐγκρυφίας ἄρτος γένεσθαι ἐνετείλατο. τούτων δὲ τῶν μέτρων ἕκαστον γομὸρ ἐχώρει. Id eſt. Tres menſuras ſimilæ quas Abraham iuſ ſit Saram angelis parare: & ex quibus menſuris præcipit fieri ſubcine ricios panes. harum menſurarũ quæq; capiebat gomor. At ubi Hie ronymus numeri cap. V. legit ſatũ, Hebraica & LXX. habent epha. Hie ronymi uerba ſunt. Et offeret oblationem pro illa decimã partem ſati farinæ hordeaceæ. Hebraica. וְהֵבִיא אֶת קָרְבָּנָהּ עֲלֵיהָ עֲשִׂירִת הָאֵיפָה קֶמַח שְׂעֹרִים hoc eſt. Et afferet ſacrificium pro ea decimam partem ephæ fari næ hordei. LXX. καὶ προσοίσει τὸ δῶρον περὶ αὐτῆς τὸ δέκατον τοῦ οἰφὶ ἄλευ ρον κρίθινον. Id eſt. Et afferet donum pro ipſa decimam ephæ partem farinam hordeaceam. Vbi uero idem Hieronymus lib. II. annalium ca

pite

pite II. legit ſata, in Hebræis eſt bathus. Hieronymi uerba ſunt. oleiq; ſata uiginti millia. Hebraica ſupra citaui. Verũ non Hieronymus ipſe, ut mihi uidetur, ſed aliquis menſurarũ Hebraicarum imperitus in bathorum locum ſubſtituit ſata. Quoniam uero ſupra dixi ſatum capere libras menſurales XXXVI. hoc in loco illud mihi obijciat quiſpiam. Ioſephus ſcribit ſatum capere ſeſquimodium Italicum, ergo non eſt librarum mẽſuralium XXXVI. ſed XL. tot enim libras habet ſeſquimodius Italicus. cui reſpondeo. Ioſephus quod ſciret ſatum eſſe XXIIII. ſextariorum & totidem ſeſquimodium Italicum, non conſiderãs neq; quid differret ſextarius Romanus ab Attico, neq; capacitatem ſeſquimodij Italici, ſed numerum tantũmodo ſextariorũ, ſimpliciter ſcripſit ſatum continere ſeſquimodium Italicum. nam cum epha idem ſit quod medimnus Atticus & tria recipiat ſata, nullo modo ſequitur ſatum capere XXIIII. ſextarios Italicos ſiue Romanos, ſed tot Atticos. ac fortaſſe Ioſephus de diſcrimine inter ſextarium Atticum & Romanum diligenter non exquiſiuit. Ioſephum nõnihil ſecutus D. Hieronymus in Matthæum ait ſatum genus eſſe menſuræ iuxta morem prouinciæ Palæſtinæ unum & dimidium modium capiens. Quin etiam quia ſatum, ut demonſtraui, eſt tertia ephæ pars & triceſima cori, Epiphanius non recte affirmat id capere modium & quartam modij partem. etenim cum corus, ut ipſe ſcribit, comprehendat modios triginta, ſatum capiet modium unum. hæc autem ſunt eius uerba. σάτον καλεῖται δὲ αὐτὸν τῶν ἑβραίδιος διαλεκτῶν, θηλικῶς δὲ ἐκφωνούμενον, ἐν δὲ τῇ ἑλληνίδι οὐδετέρως. σάτον γὰρ λέγεται καὶ οὐχὶ σάτος. ἔστι δὲ μόδιος ὑπεργέμων. ὥστε πληροῦσθαι μὲν τὸν μόδιον. διὰ δὲ τὸ ὑπεργίνεσθαι τὸ τέταρτον τοῦ μοδίου διαφέρειν αὐτοῦ. hoc eſt. Satum uocatur ab Hebraica lingua ſumptum, & in fœminino genere prolatum, in Græcia uero in neutro. ſatum enim dicitur, non ſatus. eſt autem modius refertus. ut impleat modium, ſed propterea quod quarta modij pars ſuperſit, ab eo differt. Sed Epiphanium Cyprium modiũ intelligere neceſſe eſt. nam ſi ſatũ, quod etiam ſacræ literæ modium uidentur nominare, ſextariorum eſt duorum & uiginti, Romanũ modium ſuperat ſex ſextarijs: id eſt quarta eius parte, & dimidia quartæ. Poſtremo quod nunc Hebræi pronunciant סְאָה ut ultima uerbi litera ſit he, Ioſephus & ante eum LXX. interpretes uidentur legiſſe סְאָת ut ultima litera ſit taph: atq; ab eo uerbo σάτον deriuaſſe, quo etiam D. Hieronymus utitur. Idem Hieronymus quia aſſerit corum cõtinere modios triginta, & quod ſequitur epham, tres, non manet in ſententia cum Ruth cap. III. omerem, quam menſuram LXX. gomor uocant, modium conuertit. nam ſacræ literæ dicunt omerem eſſe X. partẽ ephæ. ſi igit̃ epha capit tres modios, omer capiet ſextarios IIII. heminam unam, acetabulũ unũ, ligulam unam, & quintam ligulæ partẽ, Hebraica ſunt. וַיָּמָד שֵׁשׁ שְׂעֹרִים Id eſt. Et menſus eſt ſex

hordei

hordei, omeres scilicet. Hieronymus. Mensus est sex modios hordei Omeres autem hac de causa intelligimus, quod cum duæ rerum aridarum mensuræ sunt Hebręis multum usitatæ, nimirum epha & omer, sex ephas non potuerit portare. Contra Aggæi cap. II. ubi iterum non exprimitur neq; aridę neq; liquidæ rei mensura, ephas & bathos intelligimus. Hebraica sunt. מִהְיוֹתָם בָּא אֶל עֲרֵמַת עֶשְׂרִים וְהָיְתָה עֲשָׂרָה בָּא אֶל הַיֶּקֶב לַחְשֹׁת חֲמִשִּׁים פּוּרָה וְהָיְתָה עֶשְׂרִים Hoc est. Antea uenit aliquis ad aceruum uiginti & fuerunt decem. uenit ad torcular ut hauriret quinquaginta, & fuerunt uiginti. Quanquam non ignoro LXX. interpretes sic reddere. τίνες ἦτε, ὅτε ἐνεβάλετε εἰς κυψέλην εἴκοσι σάτα, καὶ ἐγένετο δέκα σάτα κριθῆς. καὶ εἰσπορεύεσθε εἰς τὸ ὑπολήνιον ἐξαντλῆσαι πεντήκοντα μετρητὰς, καὶ ἐγένετο εἴκοσι. Id est. Vt quando iniecistis in granarium uiginti sata, & facta sunt decē sata hordei. & ingressi estis ad torcular ut hauriretis quinquaginta metretas, & factæ sunt uiginti. Hieronymus nōnihil LXX. imitatus ita uertit. Cum accederetis ad aceruum uiginti modiorum, & fierent decem: & intraretis ad torcular ut exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebāt uiginti. Tametsi uero potius intelligi debeant ephæ quàm sata, ut capacitate respondeāt bathis siue metretis, quas habent LXX. interpretes, tamen Hieronymus manet in sententia & recte satum cōuertit modium. nam quia epha capit tria sata, & ex Hieronymi sentētia tres modios, satum capiet modium. LXX autem recte in locum bathorum μετρητὰς supponunt, sed Hieronymus non recte uertit lagenas. etenim lagena uasis genus est, μετρητὴς mensuræ. Cum præterea probauerim assarona apud Iosephum esse omerem, & omerem decimam partem ephæ, quæ recipit medimnū Atticum, sequitur omerem continere sextarios Atticos septē & quintam sextarij partem. Quocirca nisi Iosephus lib. III. cap. VII. cum scribit κοτύλας, intelligit sextarios, sibi ipse non constat, aut locus est deprauatus. διετίθεσαν, inquit, ἄρτους τε δώδεκα ἀζύμους κατὰ ἓξ ἐπ' ἀλλήλους κειμένους καθαροὺς πάνυ, τοῦ ἀλεύρου ἐκ δύο ἀσσαρώνων, ὃ μέτρον ἑβραίων ἑπτὰ κοτύλας ἀττικὰς ἔχει. hoc est. Et posuerunt duodecim panes non fermentatos, ita ut sex sibi ipsi essent oppositi, ualde puros, ex farina duorum assaronum. quæ mensura Hebræorum septem cotylas Atticas capit. Assaron etiā, quod, ut mihi uidetur, ab Hebraico uerbo manauit, magnum mendum continet. nam quod Hebręi his temporibus pronunciant omer, Iosephus amar uidetur pronunciasse, ac ex eo fecisse ἀμαρὼν, ut ex cor imitatus LXX. interpretes fecit κόρος: ex bath, βάθος: ex sat, σάτον. etenim qui celeriter scribunt interdum M cum antecedenti litera & sequenti sic coniungunt ut ductus eius aliquā geminati. σ. gerat speciem hoc modo ἀμαρὼν. quod cum iners aliquis librarius non intelligeret ἀσσαρὼν scripsit. sicut idem rei, quam agebat, indormiens cum esset, βάθος una litera inuersa scripsit βαλθος. Quin

etiam

etiam Epiphanius ſecum diſsidet. nam recte ſcribit, ut antea quoq; citaui, τὸ δὲ γόμορ δέκατον ἦν τοῦ μεγάλου μέτρου, τουτέστι τῆς ἀρτάβης. ὃ γίνεται ἑπτὰ ξέστων καὶ πέμπτον. Id eſt. Gomor autē eſt decima pars magnæ menſuræ, hoc eſt artabæ, fitq; ſeptem ſextariorum & quintæ ſextarij partis. perperam uero ſcribit. τὸ δὲ μικρὸν δωδέκατον βάθου. hoc eſt. Minus uero, gomor ſcilicet, eſt duodecima bathi pars. nam cum ex eius ſententia bathus capax ſit ſextariorum quinquaginta, capiet hoc minus gomor ſextarios quatuor, & ſextam ſextarij partem. quod ſi legerimus τὸ δέκατον βάθου, id eſt, decima bathi pars, tunc comprehendet ſextarios quinq;. quod iterum falſum eſt. niſi igitur Epiphanius etiam bathum ſcripſit ſextariorum eſſe LXXII. ut ſanè eſt, ſibi cōſentanea de gomore non ſcripſit. Sed de his ſatis. etenim de cabo quod dicā amplius non habeo. Capacitatem autem utriuſq; generis menſurarum Hebraicarum explicaui duobus modis. quorum altero dixi quoties maior menſura ſe minores capiat: altero eas cum Atticis menſuris comparaui. in illa explicatione ſecutus ſum ſacras literas, Ioſephum, legis magiſtros: in hac Ioſephum potius quàm Hieronymum. is uero, quod ad priorem rationem attinet, partim concordat cum illis, partim ab eis diſsidet: quod ad poſteriorem, multum tam ipſe quàm Epiphanius à Ioſephi ſententia uidentur diſcrepare. Quia enim ex ſacris literis Hebraice & Chaldaice ſcriptis Hieronymus didicit corum capere ephas X. item bathos X. epham uero ſata III. omeres autem X. ab eis nō diſſentit. quia ijſdem ſacris literis non declaratur quota bathi pars ſit hin, quota hinis logus, quota ſati cabus, cum eis diſcordat. etenim hinem in cōmentarijs in Ezechielem dicit duos ſextarios Italicos continere, id eſt quartam & uiceſimā partem eſſe bathi. cum enim bathus æqualis ſit ephæ, epha autē recipiat, quod ipſe ſentit, modios tres, hoc eſt ſextarios XLVIII. ſequitur bathum capere XXIIII. hines. Logum uero interpretatur ſextarium, putat igitur eum eſſe dimidiā hinis partem. nam cum hin, quod ipſe uult, comprehēdat duos ſextarios, conſequēs eſt ut cōprehendat duos logos. Sed uerbum Græcū ab eo non intellectum hos errores genuit. cum enim legiſſet hin duos χόας Atticos capere, exiſtimauit, ut dixi, χόας ſignificare ſextarios. Si autem intellexiſſet χόας ſignificare congios, & duos efficere duodecim ſextarios, tūc quia bathus eſt capax XLVIII. ut ipſe arbitratur, ſextariorum, hin fuiſſet quarta bathi pars, logus hinis duodecima. Verum hoc reliquorum rationi conſentaneū fuiſſet: illud Ioſepho, ex cuius ſententia ſequitur bathum capere ſex hinas, repugnaſſet. Quanta uero menſura cabus ſit Hieronymus non explicauit. Vt autem Ioſephus menſurarum Hebraicarum modum Atticis mēſuris explicat, ita Hieronymus ſi Romanis uoluit declarare earum capacitatem, in re ipſa uariant atq; multum inter ſe diſsident. nam Ioſephus corum ſcribit continere Atti

cos medimnos decem, quorum quisq; sit LXXII. sextariorum. id quod ex eius uerbis, quibus affirmat bathum tot sextariorum esse capacem, intelligimus. Hieronymus uero eundem corũ recipere modios XXX. tradit. Sed cum decem id genus medimni Attici comprehendant modios, ut dixi, XL. & sextarios VIII. sequitur Iosephi corum quarta parte, id est decem modijs, & octo præterea sextarijs capaciorem esse quàm Hieronymi corum. consequens etiam est ut aliæ Iosephi mensuræ eandem habeant proportionem ad Hieronymi mensuras. Epha igitur Iosephi quia capit sextarios Atticos LXXII. qui efficiunt modios IIII. & uncias mensurales XVI. modium unum & uncias XVI. plus capit q̃ Hieronymi epha, quæ est trium modiorum. Satum quoq; Iosephi sextarijs quinq; & libra una capacius est quàm Hieronymi satũ. id enim tantummodo capit modium unum, illud modium unum & sextarios quinq; ac libram unam. Pari modo omer Iosephi sextario uno, hemina una, uncijs tribus cum dimidia, & quinta dimidiæ parte maior est quàm Hieronymi omer. etenim Iosephi omer capit sextarios Italicos V. uncias nouem cum dimidia & quintam dimidiæ partem: Hieronymi uero sextarios quatuor, heminam unam, & selibram. Similiter cabus Iosephi sesquilibra & duabus tertijs unciæ partibus capacior est quàm Hieronymi cabus esset, si eum sua ratione explicasset. etenim Iosephi cabus recipit sextarios Romanos tres, heminã unã, uncias duas: Hieronymi contineret sextarios duos, heminam unam, uncias tres, & tertiam unciæ partem. Quinetiam, quia bathus æqualis est ephæ, bathus Iosephi sextarios Italicos XVI. & totidem uncias plus capit quàm Hieronymi bathus. At hin Iosephi quia comprehendit sextarios Atticos XII. qui efficiunt sextarios Italicos decem, heminam unam, & selibram, octo sextarijs, hemina una et selibra capacior est quàm Hieronymi hin, qui capit duos sextarios Italicos. cõtra uero logus Hieronymi uncias duas plus recipit quàm logus Iosephi reciperet si suo modo exposuisset eum. logus enim Hieronymi continet sextarium Italicum, logus Iosephi comprehenderet Atticum. Si uero Hieronymus intelligit modiũ sacrum, cuius capacitatem declarat Epiphanius, neuter eorum multũ dissidet cum Iosepho. nam cum modius sacer sit duorum & uiginti sextariorum Romanorũ, parum differt à Iosephi sato, quod sesquimodij, id est quatuor & uiginti sextariorũ Atticorum est capax. duo enim & uiginti sextarij Romani efficiunt quatuor & uiginti sextarios Atticos, & octo præterea uncias mensurales. de quibus, quia dimidium sextarium non efficiunt, nedum integrum, si minus laboras, eadem capacitas erit modij sacri & sati Iosephi. quod si eas numerabis, triginta modij sacri, quot capit corus, efficiẽt modios Romanos unũ & quadraginta atq; quatuor sextarios. triginta uero Iosephi sata, quot item capit corus, efficiunt quadraginta modios Romanos

&

& octo uncias mensurales. corus igitur Epiphanij & Hieronymi modium unum, sextarios tres, uncias duodecim plus capit quàm Iosephi corus. quem numerum in mensura, quæ tantam molem capit, fortasse magni non æstimarunt. Sed LXX. interpretes à seipsis dissident secũq; discordant. nam cum bathum reddunt μετρητὼ uel κδράμου, idem quod Iosephus sentiũt de Hebraicarum mensurarum capacitate: cum hinem χὸν, logum κοτύλην uertunt, à Iosephi sententia discrepant. etenim hin, ut ille tradit, capit duos χόας, id est duodecim sextarios: ergo logus unum sextarium, non unam cotylam. Legis uero magistri qui dicunt logum capere sex oua, id est liquorem sex ouorũ ex putaminibus effusum, in parũ firma & stabili sunt opinione. nam etiamsi ouorum inter se similitudo in prouerbio sit, tamẽ etiam gallinæ ouum ouo maius est. sed ut intelligant oua mediocria & æqualia, multo minus capacẽ quàm Iosephus logum faciunt. quid plura disputo? tot magnorum gallinæ ouorum liquor complere sextarium non potest. Isti igitur magistri multo minus capaces, quam fuerunt, mensuras Hebraicas prodiderunt. Iam Arabicas mensuras, quibus Mauri, qui Arabice scripserũt medicinã, usi sunt explicabo. etenim his nostris etiam tẽporibus, quibus Græcę & Latinæ literæ florent, plures medici multo malunt, si ludum aperiunt, libros Maurorum quàm Græcorum exponere: si morbis curationes adhibent, medicamenta ab illis quàm ab his conscripta conficere. Quoniam uero earum mensurarum nomina partim sunt barbara, partim Græca, sed etiam ista Arabica barbarie deprauata, dicam præterea quomodo ipsa Latine reddere debeat is, qui libros Maurorum, barbare uersos, denuo uelit uertere. Sunt autem mensuræ Arabicę ferè eiusdem capacitatis cuius Romanæ uel Græcę. utras uero intelligant Mauri, ex autoribus, quorum scripta ad uerbum de Græcis expresserũt, potest percipi. sunt etiam æque ac illę duplices. liquorum quidem hæ. Dorach Italicum, iohein, kist, corboni, keiliati, kasfuf, cuathum, falgerin. Vt autem Ouidius dicit in Laodamia,

Ilion, & Tenedos, Simoisq;, & Xanthus, & Ide

Nomina sunt ipso pene timenda sono:
Sic mihi libet dicere
Falgerin, & iohein, kist, corboni, cuathumq;,
Horrida sunt ipso barbara uerba sono:

Quæ sunt conuertenda hoc modo. amphora, congius, sextarius, hemina, quartarius, acetabulum, cyathus, cochleare. Rerum uero aridarum ex his sunt, sextarius, hemina, quartarius, acetabulum, cyathus, cochleare. Arabica autẽ hæc amphora æqualis est Romanæ, imo ipsa Romana amphora, capit ergo congios VIII. congius sextarios VI. sextarius heminas II. hemina quartarios II. quartarius acetabula II. acetabulum cyathum IS. cyathus cochlearia IIII. Hanc capacitatẽ esse mensuris

ſuris Arabicis Serapio & Auicenna docent, à quibus quæ ſcripta ſunt de menſuris & ponderibus maximam partem ſunt conuerſa de Græcis. Itaq; dorach Italicum idem eſſe quod amphoram Romanam ex his Serapionis uerbis, quæ ſunt in lib. VII. ſui compendij, perſpicuum eſt. Dorach, inquit, Italicum habet choos VIII. chus unus eſt VI. acſat Romana, nam cum Græca uox, chus ſcilicet, ſignificet congiũ: & cum Arabico uerbo, quod eſt acſat, deſignetur ſextarius, ut poſtea oſtendã, qui Romanarum menſurarum capacitatem cognitam habet facile intelligit dorach Italicum eſſe amphorã Romanã. alterum uero uerbum adiecit ut hanc amphoram ab Attica & Arabica proprie dicta diſtingueret. Atiohein capere ſextarios ſex, atq; ita ſignificare cõgium Auicẽna idem ſentiens de tribus dictis menſuris quod Serapio declarat his uerbis. Dorach Italicum eſt iohein VIII. & iohein eſt acſat Romana VI. Eſt uero iohein, ut mihi uidetur, nomen Grẽcum, ſed à Mauris literarum immutatione corruptum. quod barbarus Auicennæ interpres non reddit, Serapionis Græce conuertit choa, à quo fluxit.

Kiſt autem eam menſuram eſſe quam Romani ſextarium nominãt item ex utroq; ſcriptore intelligitur. Serapio ſcribit. Et Kiſt quidem apud Romanos capit libram unam & duas tertias. eſt ergo unciarum XX. Auicẽna Serapionẽ ſecutus. Kiſt em̃ apud Romanos capit libr̃ unam cum dimidia & ſextam partem. quare eſt unciarum XX. Idem percipitur ex Serapionis & Auicẽnæ uerbis de Dioſcoride expreſsis. Dioſcorides in libro tertio ſcriptum reliquit de cucumere aſinino. τ ξίξυς λαβόντα ἡμίλιτρον μετὰ δυοῖν ξέσων μάλιστα κρητικῶν οἴνου. Id eſt. Radicis ſelibram accipientem cum duobus ſextarijs uini, maxime Cretici. Serapionis interpres de eodem. Accipiatur de radice eius libra media, & teratur cum duobus Kiſt uini. Auicennæ. Quando decoquitur radicis eius libra media cũ duobus Kiſt uini. Vt uero à Græcis Romana ſextarij uox ξέσης uocatur, ita ab Arabibus Græca rurſus depraua ta Kiſt nominatur. Eandem menſuram Mauri acſat appellant. id uero ex iam dictis poſſumus concludere hoc modo. Congium Mauri nuncupant iohein. congius recipit ſex ſextarios, & iohein totidem acſat. ſextarius igitur à Mauris uocatur acſat. Hoc uerbo utitur Auicenna libro IIII. de linimentis caniciem prohibentibus. olei, inquit, omphacini acſat tres. & lib. V. in deſcriptione confectionis anacardinæ. Aceti acſat tres. Andreas Alpagus Bellunẽſis in locum acſat ſubſtituit kiſt. & ſic uertit. Aceti Kiſt tria. Eadem menſura dicitur aben. ſcribit enim Serapio. Aben mellis minæ IIS. aben olei mina IS. Eadem appellatur euib. nam Auicenna inquit. Euib mellis libræ IIS. euib olei mina IS. in hac autem re ſequuntur Mauri Græcos quoſdam. in quorum ſententia etiam eſt Fannius ut libro tertio, qui eſt de pondere rerum, quas metimur, explicaui. quin Græci quidã mina utũtur pro libra, quos etiam

in

in hac explicatione Mauri ſequuntur. Ipſi autem Mauri, qui Arabice ſcripſerunt, quod diuerſas habeant proprietates loquendi, diuerſis interdum utuntur uocabulis. Corboni uero eſſe heminam declarat his uerbis Auicenna. Corboni olei ſunt unciæ IX. corboni uini unciæ X. corboni mellis unciæ XIIIS. Hanc menſuram Raſis interpres lib. IIII continentis uertit phialam: Auicennæ lib. III. cotylam Græco nomine appellat. uterq; ſcribit de curatione eius difficultatis ſpirandi, quam Græci ἄσθμα nominant. Raſis uerba ſunt. Poſt horam detur in potu poſt eas, pilulas ſcilicet, phiala media. Auicennæ. Et expectetur hora una, & detur in potu poſt eas media cotyla aquæ mellis. Verum phiala menſura non eſt, ſed genus poculi. Keiliati autem, ut arbitror, manat à Græco uerbo, quod eſt κύλυξ. quocirca Maurorum interpretes interdū conuertunt calicem. Raſis enim poſtea de eadem re loquēs iubet dare calicem unum mellis, cum antea iuſſiſſet dare phialam mediam. Auicenna uero cotylam mediam. ex quo intelligimus Keiliati eam menſuram eſſe quam Græci uocant τέταρτον, Latini quartarium, utriq; propterea quod quarta pars ſit ſextarij. Barbarum hoc uerbum uſurpat Auicenna in unguento ex ſuccis, ὀπὸς χυλῶν Græci nominãt. Fenugræci & ſeminis lini & altheæ albæ ſingulorū Keiliati unum. Et in eclegmate quodam. Granorum myrti Keiliati IIIS. utitur etiam eo Serapio in eiuſdem eclegmatis compoſitione: & Raſis lib. VII. de ſtrumæ curatione. At acetabulum à Mauris appellari Kasfuf percipitur ex multis locis Dioſcoridis & Serapionis, in quibus de ijſdem rebus loquuntur. uerbi cauſa. Dioſcorides de ruta. καὶ τὰ φθαρτικῶν ὄντων ἀντίδοτος ὅσον ὀξυβάφου τὸ σπέρμα ποθὲν τος ἐν οἴνῳ. Id eſt. Letalibus uenenis pro antidoto eſt ſemen eius acetabuli menſura potum cum uino. Serapio de eadem. Et quando ſumitur in potu ex ſemine cuiuſq; quantitas unius Kasfuf cum uino, eſt medicina conferens multum me dicinis mortiferis. Dioſcorides de Pſyllio. Δεῖ δὲ ὀξυβάφου πλήθους λεπτύναντας βρέχειν ἐν δυοῖν ὕδατος κοτύλαις. hoc eſt. Oportet autem acetabuli menſura tuſum madefacere in duabus aquæ heminis. Serapio de eodem. Accipiatur de eo quãtitas Kasfuf, teratur & infundatur in duabus cotylis aquæ. Eadem menſura dicitur à barbaris anecſune. Dioſcorides de cucumere ſylueſtri. καὶ ὁ φλοιὸς δὲ ὅσον τέταρτον ὀξυβάφου καθαίρει φλέγμα καὶ χόλον. Id eſt. Et cortex quarta acetabuli parte datus purgat pituitã & bilem. Auicẽna de eodem. Aut de cortice eius quarta anecſune in die facit uomere phlegma & cholerã rubeam. Andreas Alpagus reddit hacſuneſi, Serapionis interpres quartã acſaſſe.

Sed cuathum eſt κύαθος. nam Mauri Græcum nomen Arabica barbarie deprauarunt. cui etiam præponunt articulum & alcuathum nominant. id uero perſpicuum eſt ex uerbis Archigenis. quæ Raſis Arabice uertit. Archigenes enim apud Galenum lib. VIII. de compoſitio-

ne medicamentorum quæ locis affectis adhibentur, inquit. ἐπὶ δὲ τῶν ἄλλων τῶν πρὸς τὴν στόμαχον δυσχερειῶν τοῖς μὲν καυσομένοις τὴν στόμαχον μετ' ἐκλύσεως ἢ λιποθυμίας ἢ τινος ἀνορεξίας ἀξίας δηποτοῦν αἰτίας ὅτι μὴ πυρετῷ κυάθους τρεῖς ἢ τέτταρας δίδου ψυχροῦ ὕδατος καταῤῥοφεῖν δὶς ἢ τρὶς ἐν διαλείμματι. hoc est. In alijs autem stomachi molestijs, his quibus idem uritur cum exolutione, uel animi deliquio, uel appetitu deperdito, ex qualicunq; tandem causa, febri excepta, aquæ frigidæ cyathos tres aut quatuor absorbendos dato bis terue per interualla. Serapio sic conuertit lib. v. continentis. Quod si fuerit inflammatio cum interiectione lamentabili cum febre, da in potum ad modū trium cuathi cum aqua frigida bis aut ter. Cochleare deniq; Mauri nuncupant falgerin. Dioscorides de scilla. τὸ δὲ ὀπτὸν πρὸς ἓν μόριον τοῦ σκίλλης σωεκλαιαύανλοῦ ἀλῶν ὀπτῶν μόρια ὀκτὼ διδόμενον κοχλιάριον ἓν ἢ δύο νήστει πρὸς διάλειψιν κοιλίας. Id est. Cum una scillæ assæ parte octo salis tosti partes cōminuentes cochlearium unum aut alterum damus ieiunis ad emolliendam aluum. Serapio de eadem. Ex scilla assata pars una, ex sale assato & trito partes octo. & detur ieiuno pondus unius falgerin ad laxandum uentrem. Eadem mensura dicitur fahaliel. quod ex ijsdem scriptoribus percipitur. Dioscorides de scammonio. λαμβάνεται δὲ πρὸς δυνάμιν τὸ μὲν τέλειον τρία κοχλιάρια. μέσον δὲ, β. τὸ δὲ ἐλάχιστον, α. hoc est. Sumitur autem pro uiribus, summum, tria cochlearia: mediocriter, duo: minimum, unum. Serapio de eodem. Et dosis eius sit secundum fortitudinem eius qui sumit. & perfecta sit fahaliel trium: & media, duorum: & parua, unius. Eadem quoq; dicitur coclanarium à Mauris, uel eorum barbaris interpretibus. hoc autem uerbum asciuerunt ex Græcia, & ita formarūt ut esset aptum suis auribus. Dioscorides de sulphure. ἀφαιρεῖ δὲ καὶ ἔντερον κοχλιαρίσ πλῆθος ἐπιπασσόμενον τῷ μετώπῳ, ἢ μετὰ ὠοῦ ξοφητὸ λαμβανόμενον. id est. Regium morbum emendat impactum fronti cochlarij mensura: uel cum ouo sorbili sumptum. Serapio de eodem. Quando accipitur quantitas unius coclanarij & sumitur in potu cum aqua aut cum ouo sorbili. Et rursus Dioscorides de struthio. βοηθεῖ δὲ ἡπατικοῖς βήξιν, ὀρθοπνοίαις σὺν μέλιτι κοχλιαρίσ πλῆθος. hoc est. Prodest tussi, quam iecur excitauit: & difficultati spirandi, quæ recta fit ceruice, cum melle sumpta cochlearij mensura. Serapio de condisi. nam sic appellat hanc herbam. De qua si accipiatur pondus coclanariū cum melle prouocat urinam, & confert hepatis ęgritudinibus, & coartationi anhelitus, quæ cogit hominem erigi, & tussi. Quanquam cochlearis uox nō modo est à Mauris immutata, sed etiam ab eorum interpretibus & librarijs multis modis corrupta. Arabes autem, siue Mauri Paulum Æginetam secuti ad has mensuras Romanas adijciunt duo mystra. quorum maius capit tertiam heminæ partem: minus dimidiā cyathi.

Mystrum

Myſtrum uero Serapio uocat muſtarum, quod in Græci uerbi priore ſyllaba *u* recte eſſet ſcriptum: Auicenna, ſiue potius Alſeir, meſtarum, quod in eadem *o* perperam. atq; hic ad uerbum de Paulo Ægineta expreſsit ea quæ ſcripſit de pondere trium liquorũ, quos unaquæq; menſura Romana capit. quæ uerba barbari interpretis ſic Latine reddenda ſunt. Amphora Italica olei pendit libras LXXII. uini, LXXX. mellis CVIII. Congius olei pendit libras IX. uini, X. mellis, XIIIS. Sextarius olei pendit uncias XVIII. uini, XX. mellis XXVII. Hemina olei pendit uncias IX. uini X. mellis, XIIIS. Myſtrum maius olei pendit uncias III. uini III. & ſcripula VIII. mellis, IIIIS. Acetabulũ olei pendit drachmas XVIII. uini, uncias II. ſcripula XII. mellis, uncias III. ſcripula IX. Cyathus olei pendit drachmas XII. uini, unciam IS. ſcripula IIII. mellis uncias II. drachmas II. Myſtrum minus olei pendit drachmas VI. uini, ſcripula XX. mellis, drachmas IX. Attamẽ Paulus, & cæteri Græci, qui cum eo faciunt, à Galeni ſententia diſſident, ut alias explicaui.

Quin Arabes libram & unciam nõ pondera tantũmodo, ſed etiam menſuras eſſe nouerũt. ſcribit enim Serapio. Et Kiſt quidem apud Romanos capit libram unam & duas tertias. eſt ergo unciarum uiginti. & Kiſt Alicaticũ capit libram unam & mediam. & libra eſt unciarum duodecim. Nam ſextarius Romanus continet uncias menſurales uiginti: Atticus uero, quem ipſe nomine deprauato, cui præpoſitus ſit articulus, Alicaticum uocat, ſeſquilibrã. Arabes autem, ſiue Mauri menſuras Atticas iiſdem uocabulis, quibus Romanas, nominant. quæ Atticæ etiam deſcribuntur, ut alibi declaraui, in totidem minores: una amphora excepta. quæ capit duodecim congios. Nunc iterum paucis uerbis obſcura illuſtrare oportet, & aduerſaria euertere. Habẽt Arabes peculiarem amphorã, quam Serapio nominat aldorach. ea comprehendit libras tres, ac ferè æqualis eſt ſextario caſtrenſi. ſcribit enim Serapio. Aldorach libræ tres. idem utitur hac menſura in deſcriptione olei abſynthitis. Fundatur, inquit, ex oleo ſeſamino in pyxidẽ dorach unum: herbæ abſynthij unciæ duæ. Auicenna quoq;. Recipe olei ſeſamini dorach unum, abſynthij uncias duas. etſi non ſum neſcius Alpagum id tanquã mendum correxiſſe, ac uertiſſe donach: & Hali ſic ſcribere. Sume olei ſiſami menas duas, oculorum abſynthij unciam. Sed hic quia conficit dimidiam olei partem ſi heminas, quas corrupte nominat menas, intelligit Atticas, nõ diſſentit ab Auicẽna & Serapione. Cũ prẽterea cadus ſit amphora Attica, errat Stephanus, interpres Hali, in deſcriptione theriacæ ubi uini Kiſt duo, uertit cados duos, cũ ſextarios II. debuit uertere. Nã & Serapio ſcribit. Et uini antiqui odoriferi acuti Kiſt duo & ſunt librę tres: & Auicẽna. Et uini antiqui odoriferi Kiſt duo. Omnes uero Paulũ Æginetã ſequuntur, qui ait. οἴνου φαλέρνου ξέσταs. β. Id eſt. Vini falerni ſextarios II. At dimidiã congij partem

Græci ἡμίχυν nominant. quod uerbum Arabes de Græco expressecunt missochaus. Dioscorides lib. II. scribit de curatione adipis. τῇ δ' ἐχομένῃ εἰς χύτραν κεραμέαν, τριχουνιαίαν, καινὴν καθὲς αὐτὰ καὶ τὸ στέαρ. προσαπόδος δὲ καὶ χρὸς ἥμισυ οἴνου. hoc est. Sequenti die in ollam fictilem, tricongialem, nouam, ea omnia una cum adipe inijcito. addito autem & uini dimidium congium. Serapio de eadem re. Mane uero accipe ollam nouam, terream, capientem circa libras XXX. & pone in ea adipem & species & adde super hoc ex uino unũ missochaus. Hoc in loco si acceperimus libras mensurales Serapio recte tres cõgios Romanos exposuit. De sextario, hemina, quartario, acetabulo, cochleari nunc plura in medium proferre non possum. in cyathi locum Auicennæ interpres lib. I. de regimine aquæ & uini supposuit brialã. quæ uox Italica est, & barbara quidem. nec briala mensura est, sed poculũ æque ac calix & phiala. Auicennæ uerba sunt. Super cibum brialas duas aut tres bibere non nocet ei qui consueuit. Rasis de eadem re scribit libro XXV. maioris operis cap. I. Quare in autumno debes potu uti super cibum, aut post cibum in modica quantitate tribus cyathis. Libram postremo mensuralem Rasis interpres conuertit rotulum. Galenus in libro de uenarum incisione sic scribit de adolescente qui oculorũ inflammatione laborabat. καὶ ἀφηρέθην τὴν πρώτην ἀφαίρεσιν εὐθέως αἵματος λίτρας. γ. εἶτα ἄλλην μίαν ὥρας ἐννάτης. Id est. Abstuli prima statim missione sanguinis libras tres. deinde secunda nouem post horis unã. De eodem Rasis maioris operis lib. II, cap. II. Erat quidã iuuenis quem minui & extraxi quasi tres rotulos, & nona hora unum. Idem Rasis libro quarto eiusdem operis cap. II. Recipe granorum granatorum acetosorum drachmas XX. mastiches drachmam unam. coquantur in rotulo uno aquæ usq; dum perueniat ad medium. Serapio. Coquantur cũ libra aquæ donec remaneat medietas. Ex quibus satis perspicuum est libram mensuralem ab Arabibus, magis uero ab eorum interpretibus, rotulum nominari. Sed de Arabum mensuris satis superq; dictũ. quæ uero iuniores medici barbari scripserunt de mensuris, quia nõ solum indocta sunt, sed etiam molesta & putida, cõsulto non persequor.

Iã deniq; præter dictas mensuras sunt aliæ uel Græcę uel de quibus Græci scriptores prodiderunt. quas quod, ut dixi, neq; medicæ essent, neq; Georgicæ, nec hippoiatricæ, non explicaui. sunt uero hæ. quartarius Laconicus, dadix, mares, cophinus, cyprus, semicyprum, modius Cyprius. medimnus Cyprius. gabenum. De pluribus autẽ Iulius Pollux libro quarto cap. XXIII. & Epiphanius scribunt, sed de quartario Laconico Herodotus lib. VI. qui inscribitur Erato, facit mentionem. νεομηνίας δὲ, inquit, ἀνὰ πάσας καὶ ἑβδόμας ἱσταμένου τοῦ μηνὸς διδόσθαι ἐκ τοῦ δημοσίου ἱερήιον τέλειον ἑκατέρῳ ἐς ἀπόλλωνος, καὶ μέδιμνον ἀλφίτων, καὶ οἴνου τετάρτην λακωνικήν. hoc est. Singulis autem primis cuiusque

mensis

menſis inſtantis & ſeptimis diebus utriq; è publico detur uictima perfecta Apollini mactanda, & farinæ medimnus, ac uini quartarius Laconicus. Quoniam uero Herodotus non declarauit illius quartarij capacitatem, liceat mihi ex his eiuſdem ſcriptoris uerbis, quæ paulo poſt ſequuntur, coniecturã capere. μὴ ἐλθοῦσι δὲ τοῖς βασιλεῦσι ὠθεῖ τὸ δεῖπνον, ἀπέμπεσθαί σφι ἐς τὰ οἰκία ἀλφίτων τε δύο χοίνικας καὶ οἴνου κοτύλην. παρεοῦσι δὲ ἁπλήσια πάντα δίδοσθαι. id eſt. Regibus autem ad cœnam non euntibus mittãtur domum binæ chœnices farinæ & uini cotyla. præſentibus uero omnia dupla dentur. Cum enim duæ chœnices efficiant ſex cotylas, intelligimus farinam eſſe ſextuplam uini. cum præterea medimnus capiat chœnices XLVIII. cotylas uero CXLIIII. conſtat ſextam medimni partem eſſe chœnices VIII. cotylas autẽ XXIIII. itaq; tot cotylarum fuiſſe quartarium Laconicum conijcio. qui quartarius ſi fuit quarta metretæ pars, ut uidetur fuiſſe, Laconica metreta ferè fuit æqualis amphoræ Romanæ: nam tot capiebat cotylas, quot amphora Romana heminas. attamen tanto minus capax fuit hac, quanto hemina Romana capacior fuit quàm Græca cotyla. medimnus igitur ſeſquialteram proportionem habuiſſet ad talem metretam. Pollux uero ſic ſcribit. ἡ δὲ δάδιξ μέτρον ἑξαχοίνικον. μαφὶς δὲ, ἑξακοτύλου. hoc eſt. Dadix autem mẽſura eſt ſex chœnicum capax. Mares uero, ſex cotylarũ. Sed nec idem nec alius ſcriptor nationem uel ciuitatem, quæ his duabus mẽſuris uſa fuerit, nominauit. Verum Epiphanius habet marem Ponticum hoc multo capaciorem. μαφὶς, inquit, μέτρον ἐστὶ παρὰ τοῖς πόντικοῖς δύο ὑδριῶν. ἡ δὲ ὑδρία αὐτοῖς δέκα ξέστων ἐστὶν, ὥστε εἶναι μαφὶν τὸ ποντικὸν εἴκοσι ξέστων ἀλεξανδρεινῶν. Id eſt. Mares menſura apud Pontícos duarum hydriarum. hydria uero ipſis eſt decem ſextariorum: ut ſit mares Ponticus uiginti ſextariorum Alexandrinorum. Pergit Pollux. καὶ κόφινος μέτρον βοιώτιον ἄμφω μετροῦν. hoc eſt. Cophinus menſura eſt Bœotia ambas res metiens. id eſt tam aridas quàm liquidas. quod docet uerbis Strattis tragici poetę. capit autem tres cõgios. cũ Polluce conſentit Heſychius. κόφινος μέτρον χωροῦν χόας τρεῖς. hoc eſt. Cophinus menſura eſt capiens congios tres. Idẽ Pollux ſcribit. κύπρον δὲ τὸ οὕτω καλούμενον εὕροις ἂν παρ' ἀλκαίῳ ἐν β. βιβλίῳ, καὶ ἡμίκυπρον παρ' ἱππώνακτι ἐν τῷ τριώτῳ ἰάμβων. Id eſt. Cyprũ aũt appellatã menſuram inuenies apud Alcæum libro ſecũdo: & ſemicyprum apud Hipponactem in primo iamborum. Sed harum menſurarum capacitatem Pollux non explicauit: ut nec Heſychius cypri cum inquit. κύπρος μέτρον σιτήριον. hoc eſt. Cyprus mẽſura frumẽtaria. Verũ idem Heſychius ſcribit. ἡμίκυπρον ἥμισυ μεδίμνου. id eſt. Semicyprum dimidium eſt medimni. Ex quo intelligimus cyprum eiuſdem, cuius medimnus eſſet, fuiſſe capacitatis. Sed Epiphanius cyprum Ponticũ tradit eſſe duorum modiorum. ex quo ſequitur ſemicyprũ eſſe unius mo-

dij

dij. κύπρος, inquit, παρὰ τοῖς αὐτοῖς ποντικοῖς μέτρον ἐστὶ ξηρῶν γεννημάτων μόδιοι δύο. ὃς λέγεται εἶναι παρ' αὐτοῖς χοινίκων πέντε. ὁ δὲ χοῖνιξ παρ' αὐτοῖς ξέστων ἐστὶ πέντε. ὥστε εἶναι τὸν κύπρον, ξέστων. ν. ὁ γὰρ μέγας παρ' αὐτοῖς μόδιος ξέστων κε. Hoc est. Cyprus apud Ponticos mensura est siccorum germinũ modij duo. qui ipsis dicitur esse chœnicum quinq;.ut Cyprus sit sextariorum L. magnus enim modius eis est sextariorum XXV. At ipsis Cyprijs, insulæ Cypri incolis, modius est XVII. sextariorũ: medimnus uero diuersus. nam Salaminijs V. modiorum: Paphijs, quatuor & dimidij. cuius rei iterum autor est Epiphanius. μέδιμνος τρίνυν παρὰ κυπρίοις μετρεῖται καὶ παρ' ἄλλοις ἔθνεσιν. εἰσὶ δὲ καὶ μόδιοι σίτου καὶ κριθῶν ὡς εἶναι τῶν δέκα καὶ ἑπτὰ ξέστων παρὰ κυπρίοις μόδιον. μέδιμνος δὲ παρ' αὐτοῖς τοῖς κυπρίοις διάφορος. τὸν μὲν μέδιμνον Σαλαμίνιοι, ἤγουν κωνσταντιοι, ἐκ πέντε μοδίων ἔχουσι. πάφιοι δὲ καὶ σόλοι τεσσάρων ἥμισυ μοδίων αὐτὸν μετροῦσι. Id est. Medimnus igitur apud Cyprios & alias gentes cum metiũtur in usu est. sunt uero aliquot modij tritici uel hordei: ut sit modius Cyprijs XVII. sextariorũ. Medimnum autem Cyprij diuersum habent. Salaminij quidẽ, siue Constantij, quinque modiorum: Paphij uero & Solij quatuor & dimidij.

Sed gabenum eandem quam acetabulum habet capacitatem. scribit enim Hesychius γαβῆνα, ὀξύβαφα ἤτοι τρυβλία. hoc est. Gabena, acetabula uel tryblia. uerum quæ natio hanc mensuram usurpauerit, non declarat, ut nec Festus Pompeius oluatij modũ, cum inquit. Oluatium Antistius Labeo ait esse mensuræ genus. Idem deniq; Epiphanius multorum præterea uasorum, quæ sunt in sacris literis, capacitatem explicat. ut hæc sunt. Campsaces, tryblium, alabastrũ, cyathus. Sed campsaces non omnibus est unius capacitatis. etenim alijs continet sextarios XII. alijs IIII. tantũ. καμψάκης, inquit, ὕδατος ιβ ξέστων ὕδατος ἐστὶ τὸ μέτρον. ὁ δὲ τῷ ἡλίᾳ ἑτοιμασθεὶς καμψάκης τεσσάρων ἐστὶ ξέστων. Id est. Campsaces aquæ duodecim sextariorum aquæ est mensura. at Heliæ paratus campsaces quatuor est sextariorum. LXX. autem interpretes lib. III. Regum cap. XVII. צַפַּחַת uertunt καμψάκης. sed Hieronymus lecythus. est uero λήκυθος uasculum, in quo oleum uel unguentum continetur. Sed alabastrũ & tryblium uasa, ut ipse sentit, eiusdem sunt capacitatis. scribit enim. ἀλάβαστρον μύρου· βικίον μέν ἐστιν ὑέλινον χωροῦν λίτραν ἐλαίου. τὸ δὲ μέτρον ἐστὶ ξέστου τὸ ἥμισυ. hoc est. Alabastrũ unguenti quidem uasculum est uitreum, quod capit olei librã: mensura uero, quæ recipit dimidiam sextarij partem. Vt autem unguentum tanti precij, nimirum trecentorum denariorum, quod mulier in domo Simonis leprosi super caput Iesu recumbentis effudit, non plus pependerit quàm libram, tamen pyxis illa unguentaria non fuit ex uitro, sed ex alabastrite marmore facta. quocirca Horatius, quia idem marmor etiam onyx appellatur, scripsit in odis: Nardi paruus onyx eliciet

cadum

cadum. Sed τρυβλίον, inquit Epiphanius, ὀξύβαφόν ἐστι τὴν πλάσιν ἤτοι παρόψις. ἥμισυ δὲ ξέστου τὸ μέτρον ἔχει. ξέστης ὁ ἀλεξανδρινὸς διὸ λίτρων φέρει ὁλκὴν ἐν τῷ ἐλαίῳ. Id est. Tryblium acetabulum est quod ad figuram attinet, aut catinus. quod uero ad mensurã pertinet dimidiam sextarij partem capit. at sextarius Alexandrinus duarum librarum olei pondus colligit. Huius autem sextarij Alexandrini dimidiam partem capit cotyle hippoiatrica. de qua in alterius operis libro secundo dixi. Sed uase quod exponit Epiphanius, utuntur sacrę literę in libri Egressus ex Ægypto cap. XXXVII. ubi קְעָרָה nominatur. id uero LXX. interpretes τρυβλίον uerterunt. ut ibidẽ מְנַקִּית κύαθον. de cuius capacitate idem Epiphanius sic scriptum reliquit. κύαθός ἐστιν ἕκτον ξέστου. μενεκὸθ δὲ λέγει τοὺς κυάθους ἡ γραφή. hoc est. Cyathus est sexta sextarij pars. menecoth autem scriptura nominat cyathos. Sed reuera cyathus sextarijs pars est duodecima, heminæ uero sexta. Vtrum uero uasculum hoc Hebraicum eiusdem fuerit capacitatis, cuius Græca mensura, quæ κύαθος uocatur, an maior nescimus. Hydriæ etiam capacitatem Epiphanius, cuius uerba supra citaui, explicauit: elenij uero Hesychius. ἐλένιος, inquit, ἀγγεῖον χωροῦν τέταρτον. Id est. Elenius uas capax quartarij. Hesychius enim τέταρτον uocat mensuram capacem dimidiæ heminæ. eandem uero mensuram Latini quartarium nominãt: utriq; ut etiã antè dixi, eadem de causa, nempe quod quarta sit sextarij pars.

At τέταρτον etiam significare libræ quartam partem, quam Latini quadrantem appellant, ut τρίτον tertiam, siue, ut ijdem Latini loquuntur, trientem: & ἕκτον sextam, siue sextantem libro quinto De mẽsuris Græcis abhinc annos sedecim, cum primũ eos ederem, explicaui. Nec mihi ignota tunc fuerunt hæc uerba Dioscoridis, quæ sunt in libello De mensuris & ponderibus Græce conscripto. τὸ ὀξύβαφον, ὅπερ ἐστὶ τέταρτον κοτύλης. ὁ δὲ κύαθος, ὅπερ ἐστὶν ἕκτον κοτύλης. hoc est, Acetabulum quod est quarta heminæ pars. Cyathus uero, qui est sexta heminæ pars. Sed Dioscorides iste, ut etiam alij, quartarium sine appositione alterius uerbi τέταρτον nuncupat. à quo Dioscoride, cũ librum primum De Romanis mẽsuris scriberem, testimonium sumpsi τέταρτον esse talem mensuram. Acetabulum uero idem ideo dicit quartam esse heminæ partem: cyathum sextam, ut declaret earum mensurarum capacitatem. Itaq; τέταρτον, si significat libræ quadrantem, nemo scriptorum usurpat nisi proxime fecerit mentionem libræ, uel sic scripserit τὸ τέταρτον τῆς λίτρας. ut τὸ ἕκτον τῆς λίτρας, τὸ τρίτον τῆς λίτρας. Similiter si τέταρτον quartam alterius mensuræ partem significat, eam mensuram scriptores adijcere solent. quo modo apud Galenũ lib. IX. de compositione medicamentorum secundum locos Icodotus scribit ῥοδίνου κοτύλης τέταρτον. τουτέστι κύαθον ας. hoc est. Rosacei heminæ quartam partem. id est cyathum unum & dimidiũ. nihil necesse

habeo

habeo hic afferre uerba Serapionis, quæ ſunt apud eundem Galenum in libro ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum genera: nec Apollonij, quæ ſunt in primo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, quod ea poſui in alterius operis libro ſecũdo, qui eſt de menſuris Græcis. Si uero τέταρτον declarat eam menſuram, quam Latini quartarium appellant, plerunq; ſolitarium, & non cum ſextario, cuius quarta pars eſt, coniunctum ponitur. ut ab eo ipſo Dioſcoride, cuius ſupra mentionem feci, atq; ab Heſychio & cum ait τετάρτῳ, μέτρῳ τῶν ὑγρῶν. Id eſt. Quartario, menſura liquidarum rerum, & cum elenij capacitatem explicat.

GEORGII AGRICOLAE DE EXTERNIS PONDERIBVS LIBER ſecundus.



Enſuræ externæ multæ & uariæ fuerunt, pondera uero memorię prodita, pauca: quanquam regiones diuerſæ ſimiliter diuerſis uſæ ſunt. Ægyptia quidẽ ſunt tria, talentum ſcilicet, mina Alexãdrina, drachma: Syrium unum, mina nimirum Ptolemaica: Hebraica quatuor: Arabica plura, quæ tamen maximã partem Romana uel Græca ſunt. Byzantium præterea talentum & quædam alia pondera ſunt. Orſus autẽ ab Ægyptijs iterum de ſingulis dicam. Talentum Ægyptiũ pendit libras octoginta. cuius rei autor eſt Plinius lib. XXXIII. cap. III. Qua uictoria (de Cyro loquitur) argenti quingenta millia talentorum reportauit, & craterem Semiramidis. cuius pondus quindecim talenta colligebat. talentum autem Ægyptium pondo LXXX. pendere Varro tradit.

Mina uero Alexandrina eſt unciarum XX. id eſt drachmarum CLX ut libro V. qui de ponderibus Græcis inſcriptus eſt, fuſius explicaui.

At Ægyptia drachma obolũ pendit. ſcribit enim Cleopatra. δραχμὴ δὲ καὶ ἄλλη ὁμωνύμως καλεῖται αἰγυπτιακή. ἥτις ἕκτον μέρος ἐστὶ τῆς ἀττικῆς δραχμῆς, ἄγουσα ὀβολὸν. α. hoc eſt. Drachmæ autem nomine appellatur etiã alia Ægyptia. quæ ſexta pars eſt Atticæ drachmæ, unicum obolum pendens. Sed mina Ptolemaica, quæ Ptolemaidi urbi Phœnices fuit peculiaris, duabus uncijs leuior eſt quàm Alexandrina. etenim pendit uncias XVIII. de qua eadem Cleopatra. ἡ πτολεμαικὴ μνᾶ ἔχει γο. ιη. <. ρηδ. γράμματα υλβ. ὀβολοὺς ωξδ. θόρμους ά σϛς.

κεράτια

κεφαλαια βφλβ. χαλκοῦς ςϡιβ. id est. Ptolemaica mina habet uncias XVIII. drachmas CXLIIII. scripula CCCCXXXII. obolos DCCCLXIIII. lupinos MCCXCVI. siliquas IIDXCII. æreola VIDCCCCXII. Quinetiam Dioscorides in libello de mensuris & ponderibus minam Italicam habet unciarum octodecim: qua si quondam magna illa Græcia, Italiæ pars, non fuit usa, qui Itali eam usurparunt ex nomine, quod nudum ponitur, non possum augurari. Dioscoridis uerba sunt. κατὰ δὲ τὴν ἰταλικὴν, ὀγγίας ιη. τοτέστι λίτραν μίαν ἡμίσειαν. δραχμὰς δὲ ρμδ. hoc est. Secundum uero usum Italicum uncias habet XVIII. id est selibrã: drachmas CXLIIII. Sed quia, ut Cleopatra tradit, idem pondus habet mina Ptolemaica, quis cõiectura duci posset ad suspicãdum à librario aliquo ex uoce Ptolemaica Italicam factam. At Hebraica pondera sunt hæc. בֶּקַע חֲצִי הַשֶּׁקֶל בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ מָנֶה שֶׁקֶל גֵּרָה siue, ut etiam prospiciamus his qui ne literarum quidem Hebraicarũ figuras habent cognitas. cicar sanctuarij, cicar cõgregationis, mina, secel, gerah. id est. talentum maius, talentum minus, mina, siclus, obolus. Cicar autẽ sanctuarij pendit minas c. cicar congregationis minas L. mina siclos LX. siclus ille sanctuarij geras XX. quia uero siclus pendit semunciam, mina pendit libras duas cum dimidia: cicar congregationis, libras CXX. cicar sanctuarij, libras CCL. gera autem quoniam est uicesima sicli pars pondus habet oboli Attici & quintæ eius partis. Hæc omnia rursus testimonio sacrarũ literarum & Iosephi ac aliorum confirmanda sunt.

Itaq; cicar sanctuarij esse c. minarum Iosephus libro tertio antiquitatum Iudaicarum capite septimo declarat his uerbis. κατὰ πρόσωπον δὲ τῇ τραπέζης, τῷ πρὸς μεσημβρίαν τετραμμένῳ πλάγιος, ἵσταται λυχνία κεχωνευμένη, κενὸν, σταθμὸν ἔχουσα μνᾶς ἑκατόν. ἑβραῖοι μὲν καλοῦσιν κίγχαρα, εἰς δὲ τὴν ἑλληνικὴν μεταβαλλόμενον γλῶσσαν σημαίνει τάλαντον. hoc est. At è regione mensæ prope parietem, qui spectat ad meridiem, collocatum erat candelabrum ex auro conflatum, inane, pendens centum minas. quod pondus Hebræi uocant cinchares. id in Græcam linguam conuersum significat talentum. Hoc uero magistri appellant talentum sanctuarij, nos etiam maius possumus dicere. Sed cicar congregationis, quod alij uulgare nominauerunt, esse quinquaginta minarum ex capite tricesimooctauo libri egressus ex Ægypto intelligitur, ubi sic scriptũ est. וְכֶסֶף פְּקוּדֵי הָעֵדָה מְאַת כִּכַּר וְאֶלֶף וּשְׁבַע מֵאוֹת וַחֲמִשָּׁה וְשִׁבְעִים שֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ׃ בֶּקַע לַגֻּלְגֹּלֶת מַחֲצִית הַשֶּׁקֶל בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ לְכֹל הָעֹבֵר עַל הַפְּקֻדִים שֶׁנָּה וָמַעְלָה לְשֵׁשׁ מֵאוֹת אֶלֶף וּשְׁלֹשֶׁת אֲלָפִים וַחֲמֵשׁ מֵאוֹת וַחֲמִשִּׁים׃

Hoc est. Argentum autem censuum cœtus centum talenta & mille septingenti ac septuaginta quinq; sicli secundum siclum sanctuarij. dimidium pondus pro unoquoq; capite, hoc est dimidium sicli secundum

dum ſiclum ſanctuarij pro omni qui tranſibat in numerum, à filio uiginti annorum & ſupra pro ſexcentis millibus ac tribus millibus, & quingentis quinquaginta. Etenim ſi fuerunt hominum ſexies centena & tria millia quingenti & quinquaginta, atq; ſinguli contribuerunt dimidium ſiclum, contribuerunt ſiclorum ter centena millia & mille præterea ſeptingentos ſeptuaginta quinq;. ſed quia ſcriptura dicit argentum cenſuum cœtus fuiſſe centum talenta & mille ſeptingentos ſeptuaginta quinq; ſiclos, ſequitur ut centum talenta efficiant ter centena millia ſiclorum, atque ei rurſus conſequens eſt ut unum talentum efficiat tria millia ſiclorum. cum autem mina Hebraica ſit ſexaginta ſiclorum, ex tribus millibus ſiclorum calculis ſubductis oriuntur quinquaginta minæ. quot ſanè minarum fuit talentum hoc congregationis, ita dictum quod id ipſum tanta multitudo hominum, nimirum ſex millia, in commune contulerit. quin etiam minus dicimus, quod alterum duplo quàm hoc ſit grauius. accedit eodem etiam magiſter Salomo. nam & talentum utrunque cognouit, & recte dicit talentum ſanctuarij duplo maius eſſe quàm talentum congregationis, quod ſiclorum tria millia affirmat habere.

At minam eſſe ſexaginta ſiclorum & ſiclum uiginti gerarum Ezechiel docet capite quadrageſimoquinto. וְהַשֶּׁקֶל עֶשְׂרִים גֵּרָה עֶשְׂרִים שְׁקָלִים חֲמִשָּׁה וְעֶשְׂרִים שְׁקָלִים עֲשָׂרָה וַחֲמִשָּׁה שֶׁקֶל הַמָּנֶה יִהְיֶה לָכֶם Hoc eſt. Et ſiclus eſt uiginti gerarum. uiginti ſicli, quinque & uiginti ſicli, decem & quinque ſicli mina erunt uobis. Quoniam uero hi numeri in unum collecti efficiũt ſexaginta, ſatis intelligimus minam Hebraicam eſſe ſexaginta ſiclorum. Siclum autem non ſolum Ezechiel affirmat eſſe uiginti gerarum, ſed liber egreſſus ex Ægypto capite xxx. Leuitici capite uiceſimo ſeptimo: numeri capite tertio: quibus in locis omnibus שֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ Id eſt ſiclus ſanctuarij dicitur eſſe tot gerarum. Siclum uero Hebræi nunc pronunciant ſchekel, à Græcis, quos ſequuntur Latini, σίκλον nominatur. eum autem pendere ſemunciam ex Ioſephi uerbis perſpicuum eſt, quæ ſunt Iudaicarum antiquitatum libro tertio capite decimo. τότε πλῆθος ἀθροίσας πάλιν ἐσφορὰν αὐτῶν προσέταξεν εἰσφέρειν σίκλου τὸ ἥμισυ ἡμᾶσον. ὁ δὲ σίκλος νόμισμα ἐβραίων ὃν ἀττικὰς δίδχεται δραχμὰς τέσσαρας. Hoc eſt. Cum multitudinem hominum congregaſſet, imperauit rurſus ut ſinguli contribuerent dimidium ſiclum. Siclus uero Hebræorum nummus pendit quatuor drachmas Atticas. Etenim tot drachmarum numerus ſemunciæ pondus aſſequitur & exequat.

Idem ſentit D. Hieronymus libro primo commentariorum in Ezechielem prophetam. Siclus autem, inquit, id eſt ſtater habet drachmas quatuor. A Ioſepho & Hieronymo non diſſident Hebræi legis

gis interpretes, aiunt enim ſiclum pendere grana hordei trecenta octuaginta quatuor. quot grana efficiunt quatuor drachmas. nam cum ſcripulum, ut tradunt Arabes, de quibus Iudæi medicinam ſuperioribus ſeculis expreſſerunt, grana hordei pendat uiginti quatuor, ſequitur ut drachma pendat ſeptuagintaduo: quatuor uero drachmæ CCCLXXXVIII. ſed ipſi de tanto granorum numero detraxerunt quatuor: uel quod ratiocinando aberrauerint: uel quod, cum quatuor drachmas ſtatera examinarent, hæ ipſæ plura hordei grana non pependerint: uel denique quod cum tot granorum numerus his Hebraicis literis notatus eſſet שפח ſiniſtra poſtremæ literæ pars ſenſim euanuerit, altera ſimillima ר dimidiæ parti reliquæ, quæ deſignat quatuor, remanſerit. Quia uero ſexaginta ſicli efficiunt maneh, quam Græci, Hebræos imitati, μνᾶν, Latini minam uocant, erit maneh ſiue mina Hebraica librarum duarum & dimidiæ. quod etiam tradit Ioſephus Iudaicarum antiquitatum libro decimo quarto capite duodecimo. Λαμβάνει δὲ καὶ ὁλοκὸν ὁλοσφυρήλατον χρυσοῦν ἐκ μνῶν τριακοσίων ποιουμένην. ἡ δὲ μνᾶ παρ' ἡμῖν ἴσχει λίτρας δύο καὶ ἡμίσειαν. Id eſt. Abſtulit etiam (Craſſus ſcilicet) auream trabem ſolidam, ex minis trecentis conflatam. mina uero apud nos pendit libras duas & dimidiam. Quoniam autem talentum minus eſt quinquaginta minarum, conſequitur ut ſit librarum centum uiginti quinque. quot libras ei attribuit Epiphanius, qui ſic ſcribit. τάλαντόν ὅ ἐστι τὸ ὑπὲρ βάλλον πᾶν σταθμώμενον μέτρον. τὸ δὲ λιτρισμὸν ἐκ λίτρων ὑπάρχει. Hoc eſt. Talentum eſt menſura quæ ſuperat omne quod ponderis examinat. ſecundum autem libræ rationem centum uigintiquinque librarum exiſtit. quanquam Epiphanius non de minori talento, ſed de maiori loqui uidetur. Rurſus quia talentum maius, ut Ioſephus ſcribit, eſt centum minarum, ſequitur ut ſit librarum ducentarum quinquaginta. At ſiclus cum ſit uiginti gerarum, quos nummos Græci ὀβόλους uertunt, pendit gera obolum Atticum & quintam eius partem. Ponderum autem grauitate declarata ſacras Hebræorum literas his uſas fuiſſe more inſtitutoque meo oſtendam orſus à talento. Cicar non modo Ioſephus Græce reddit τάλαντον, ſed antè ſeptuaginta interpretes. quos D. Hieronymus ſecutus Latine cõuertit talentum. ut libri egreſſus ex Ægypto cap. uiceſimo quinto. בַּבַּר זָהָב טָהוֹר יֵעָשֶׂה אֶת הַמְּנוֹרָה מִקְשָׁה יֵעָשֶׂה הַמְּנוֹרָה יְרֵכָהּ וְקָנָהּ גְּבִיעֶיהָ כַּפְתֹרֶיהָ וּפְרָחֶיהָ מִמֶּנָּה יִהְיוּ׃ Id eſt. Ex talento auri puri facies illud, cum uniuerſis his. loquitur autem de candelabro. Septuaginta ſic transferunt. τάλαντον χρυσίου καθαροῦ ποιήσεις πᾶσα τὰ σκεύη ταῦτα. De quo candelabro cum ſcribit Ioſephus cicar talentum ſignificare dicit: ut ſupra explicaui. Hieronymus cum eis facit. Omne, inquit, pondus candelabri cum uniuerſis uaſis ſuis

habebit talentum auri puriſsimi. Et Zachariæ capite quinto. וְהִנֵּה כִּכַּר עֹפֶרֶת נְשֵׂאת Hoc eſt. Et ecce talentum plumbi ferebatur. ſeptuaginta. καὶ ἰδοὺ τάλαντον μολίβδου ἀνῃρόμενον. Id eſt. Et ecce talentum plumbi quod eleuatur. Hieronymus. Et ecce talentum plumbi portabatur. Maneh Græci, ut dixi, uertunt μνᾶν, Romani minam. quæ uocabula tantam habent literarum cognationem, ut Græcum ab Hebræo, Romanum à Græco fluxiſſe uideatur. hoc uerbo pro pondere utitur Ioſephus, quem tanquam teſtem ſupra citaui. idem ponit Machabeorum liber primus capite decimo quarto. μετὰ ταῦτα ἀπέστειλε σίμων τὸν νουμηνίου εἰς ῥώμην ἔχοντα ἀσπίδα χρυσῆν μεγάλην ὁλκῆς μνῶν χιλίων εἰς τὸ στῆσαι πρὸς αὐτοὺς τὴν συμμαχίαν. D. Hieronymus. Poſt hæc autem miſit Simon Numenium Romam, habentem clypeum aureum magnum, pondo minarum mille, ad ſtatuendum cum eis ſocietatem. At ſecel, quod Iudæi his noſtris temporibus pronunciant ſchekel ut dixi, & quod ſeptuaginta & eos ſecutus Ioſephus conuertunt σίκλος, noſtri theologi etiã ſiclus. ex quo apparet ueteres legiſſe ſicel, nõ ſecel, multo minus ſchekel. Græci, qui abhorrent à uoce peregrina, poſſunt reddere τὸν τράπεζαν, Romani ſemunciam. hoc pondus uſurpant ſacræ literę numeri capite ſeptimo. וְקַעֲרַת כֶּסֶף אַחַת שְׁלֹשִׁים וּמְאַת מִשְׁקָלָהּ מִזְרָק אֶחָד כֶּסֶף שִׁבְעִים שֶׁקֶל בְּשֶׁקֶל הַקֹּדֶשׁ Hoc eſt. Et munus eius catinus argenteus unus centum & triginta ſiclorum. phiala una argentea ſeptuaginta ſiclorum ſecundum ſiclum ſanctuarij. Septuaginta interpretes. τὸ δῶρον αὐτοῦ τρυβλίον ἀργυροῦν ἓν. τριάκοντα καὶ ἑκατὸν ὁλκὴ αὐτοῦ. φιάλη μία ἀργυρᾶ ἑβδομήκοντα σίκλων, κατὰ τὸν σίκλον τὸν ἅγιον. Id eſt. Et donum eius catinus argenteus unus, centum & triginta (ſiclorum ſcilicet) pondus eius. phiala una argentea ſeptuaginta ſiclorum ſecundum ſiclum ſanctum. Hieronymus. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos: phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarij. Gerah denique Græci ὀβολὸν, & Latini etiam obolum uertunt. is quoque uidetur pondus fuiſſe: tametſi hoc ipſum ſacris literis confirmari non poſsit. nam Hebræi cum res paruas ponderarent id genus obolis ſine dubio ſunt uſi.

Nunc accedamus ad tertiam partem rationis inſtitutæ. Talentum congregationis eſt, ut dixi, minarum Hebraicarum quinquaginta. pendit enim ſiclorũ ſanctuarij tria millia. quod ex capite XXXVIII. libri egreſſus ex Ægypto percipitur. ſed ſeptuaginta interpretes quia putarunt ſiclum pendere tantummodo duas drachmas Atticas, dimidio minus quàm re uera eſt, talentum congregationis conficiunt. eorum uerba ſunt hæc. καὶ ἀργυρίου ἀφαιρέματα παρὰ τῶν ἐπισκεμμέ-

νων

μων ἀνδρῶν τῆς συναγωγῆς, ἑκατὸν τάλαντα καὶ χίλιοι ἑπτακόσιοι καὶ ἑβδομήκοντα πέντε σίκλοι. δραχμὴ μία τῇ κεφαλῇ τὸ ἥμισυ τοῦ σίκλου κατὰ τὸν σίκλον τὸν ἅγιον. πᾶς ὁ παραπορευόμενος τὴν ἐπίσκεψιν ἀπὸ εἴκοσι ἐτοῦς καὶ ἐπάνω εἰς τὰς ἑξήκοντα μυριάδας, καὶ τρισχιλίους πεντακοσίους πεντήκοντα. Hoc est. Et argentum quod contribuerunt uiri cœtus lustrati, centum talenta, & mille septingenti septuaginta quinq; sicli. ut singulum caput daret drachmam unam, dimidiam scilicet sicli partem, secundum siclum sanctum. omnes qui transierunt, dum lustrarentur, ab eo qui fuit uiginti annorum & supra fuerunt sexaginta myriades tria millia quingenti quinquaginta. Nam calculis subductis iterum consequitur ut unum talentum efficiat tria millia didrachmorum, siue mille quingentos siclos. quot sicli efficiunt tantum modo quinque & uiginti talenta. Sed ipsi siclum δίδραχμον pendere putarunt: ut etiam reddunt, siquando reddere ipsis placet. quæ res genuit hunc errorem. in quem opinione septuaginta raptus Epiphanius si de talento maiori loquitur, ut loqui uidetur propterea quod etiam ipse putet siclum pendere duas drachmas, æque ac septuaginta interpretes deflectit de uia. Quod uero ad minam attinet magistri Iudęorum, qui legem interpretantur, recte ei siclos assignant sexaginta. id enim asserit propheta, per quem istis non licet discedere in aliam opinionem. Verum parum considerate מָנֶה id est mina ab eis nominatur etiam לִיטְרָא id est libra. quod uerbum de Græcis, qui ipsi quoq; λίτρα solent dicere conuertunt. etenim libra est siclorum uiginti quatuor, siue drachmarum XCVI. mina uero Hebraica siclorum sexaginta, siue drachmarũ ducentarum & quadraginta. etsi enim duplicem libram habent magistri, Hebraicam, quæ pendit siclos sexaginta, & de qua scribit Dauid Kimhus: atq; alteram Gręcam, quæ pendit siclos uiginti quinq;, ut tradit magister Salomo: tamen utraque rectius nuncuparetur מָנֶה id est mina: illa propter autoritatẽ sacrarum literarum: hæc propter Græcorum consuetudinem loquendi. à quibus Græcis magistri minorem libram sumpserunt. etiam uiginti quinq; sicli efficiunt centum drachmas. quot drachmarum Attica mina est, non libra Romana. itaque magister Salomo nihil necesse habuit scribere talentũ congregationis complecti centum & uiginti minas Atticas, quas ipse libras nominat: cum potuisset scribere eiusmodi talentum continere quinquaginta minas Hebræis usitatas. At Epiphanius qui legit in euangelista libram recte scriptum reliquit. ἡ δὲ λίτρα δεκαδύο οὐγγίαι ὑπάρχει. ἡ δὲ οὐγγία ἔχει στατῆρας δύο. ὁ δὲ στατὴρ ἥμισυ μὲν ἐστιν οὐγγίας, ἔχει δὲ δίδραχμα δύο. Hoc est. Libra duodecim est unciarum: uncia habet duos stateres. stater quidem est dimidia unciæ pars, habet uero duo didrachma. Sed quod idem Epi-

phanius errauerit in siclo, satis indicant hæc eius uerba. σίκλος, ὃς λέγεται καὶ κοδράντης, τέταρτον μέν ἐστι τῆς οὐγγίας. ἥμισυ δὲ τοῦ στατῆρος, δύο δραχμὰς ἔχων. τῆς γὰρ οὐγγίας ὄγδοον ἡ δραχμὴ. ἐκαλεῖτο δὲ ὁλκὴ ἡ δραχμὴ τοῦ αὐτοῦ σταθμοῦ. Id est. Siclus, qui etiam quadrans dicitur, quarta unciæ, dimidia stateris pars est, duas pendens drachmas. nam drachma est uncię pars octaua. uocabatur autem holce etiam drachma eiusdē ponderis. Etenim siclus non est quarta, sed dimidia unciæ pars. pendit enim drachmas quatuor, ut Iosephus memoriæ prodidit, Sed ipse Epiphanius sequitur septuaginta interpretes, qui שֶׁקֶל interdum conuertunt δίδραχμον. Nec minus Epiphanius lapsus est per errorem cum siclum dici scribit quadrantem. ut enim quadrās fuerit quarta unciæ pars apud Hebræos, erat æreus nummus, siclus uero argenteus. In errore etiam uersatur D. Hieronymus cum scribit in quæstionibus Hebraicis in Genesim בֶּסַע bace. quod in hoc loco pro didrachmo scribitur semuncia est שֶׁקֶל secel uero, qui Latino sermone siclus corrupte appellatur, unciæ pōdus habet. nam uncia est octo drachmarum, non quatuor: semuncia, quatuor, non duarum, ut ipse falso putat. siclum enim in alijs locis recte affirmat esse quatuor drachmarum, ut hic etiam recte dimidium, δίδραχμον. Sed cuius ponderis fuerit siclus alter, inter quem & siclum sanctuarij, quem iccirco toties sacræ literæ repetunt, fuit discrimen, eædem non docent, nec Iosephus explicauit. uerum Salomo interpres librorum ueteris testamēti dicit siclum sacrum ad profanum duplam habere proportionem: ut ille sit idem quod Græcis τετράδραχμον, hic idem quod δίδραχμον. At Arabum pondera sunt hæc. manes, rotulus, sacros, sextarium, aureus, darchimi, garme, onolossat, danich, Kirat, Kestuf. id est. mina, libra, uncia, semuncia, denarius, drachma, scripulum, obolus, lupinus, siliqua, æreolū: & præterea granum. Mina autem pendit uncias XVI. libram uero distribuunt in duodecim uncias. unciam diuidunt in duas semuncias, in septē denarios, in octo drachmas. drachmam partiuntur in tria scripula, scripulum rursus secant in duos obolos: obolum, in sesquilupinum: Lupinum, in duas siliquas: siliquam, in duo æreola: æreolum, in duo grana. Ita se habent pondera, quibus Arabes utuntur. ea uero sunt partim Romana, Græca partim. de quibus omnibus dicam singulatim. Manes quod minam significat, ab Hebræo uerbo, quod est מָנָה uidetur fluxisse. certe Arabica uocabula permulta Hebraicis naturali quadam cognatione iunguntur. quod memini Iacobum Mantinum Hebræum Bononiæ mihi narrare, cum abhinc sex & uiginti annis Arabicas literas, & quidem interdum me præsente, disceret ex Baptista Leone, ni fallor, Tunisensi. is Afer à Leonis X. pontificis Romani triremibus captus, ex Mahu

metano

metano factus erat Christianus. sed redeo ad minam. Eam Arabes duplicem esse tradunt: alteram uiginti unciarum, alteram sedecim. scribit enim Serapio. Mina Romana est unciarum uiginti, mina Alicatica & Basaria est unciarum XVI. Et Auicenna Serapionem, ut fatetur, secutus. Mina Romana est unciarum uiginti, mina Alanthalita & Ægyptia est unciarum sedecim. Quæ iterum sunt conuersa de Græcis. etenim apud Paulum Æginetam scriptum in libro septimo est. ἡ μνᾶ ἡ ἀττικὴ καὶ αἰγυπτία ἔχει ϛ. ις. ἡ μνᾶ ἡ ῥωμαϊκὴ ϛ. κ. Id est. Mina Attica & Ægyptia habet uncias XVI. mina Romana uncias XX. Est uero ea mina, quam Paulus uocat Atticam & Ægyptiam, medica: quam Romanam, Alexandrina. Sed reuera Attica mina duplex fuit: uetus, drachmarum septuaginta quinq; : noua, quam etiam medici usurparunt, centum. Medicam uero proprie dictam, quæ est drachmarum CXXVIII. Paulus iccirco Atticam uidetur nominasse, quod Græci medici, maxime uero Attici, ea sint usi: similiter Ægyptiam, quod Ægyptij medici: exceptis Alexandrinis. qui propriam usurparunt, & quidem eam quam appellat Romanã. sed qua de causa conijcere non possum. Verum manes esse minam ex Dioscoride & Serapione, qui eius uerba uertit, potest intelligi. Dioscorides scribit de uino scillitico. λαβὼν σκίλλης ὑποτετμημένης καὶ κεκαθαρμένης μνᾶς. γ. κάθες εἰς γλεύκους καλοῦ μετρητῶν ἰταλικόν. Hoc est. Accipito scillæ concisæ & purgatæ minas tres, ac immittito in musti boni amphoram Italicam. Serapio de eodem uino. Accipitur scilla & mundatur & inciditur, & accipiuntur ex ea tria manes. & proijcitur super eam ex musto bono Italiæ amphora una. Item Dioscorides de aceto scillitico. λαβὼν μνᾶν μίαν ὄξους κάθες εἰς ξέστας ὄξους καλοῦ ιβ. Id est. Accipe ipsius minam unam, ac immitte eam in duodecim sextarios aceti acris. Serapio. Sumatur quantitas unius manes, & proijciantur super eam duodecim Kist aceti. Rotuli autem nomine, quod designat libram, his nostris temporibus non modo Arabes utuntur, sed, ut mercatores nobis narrant, etiam incolæ Asiæ minoris, Syri, Ægyptij, Afri, Mauri, ac plures alij. Rursus uero Paulum Æginetam imitãtur Arabes. is enim scribit. ἡ λίτρα ϛ. ιβ. Serapio. Libra est unciarum duodecim. Sed libram appellari ab Arabicis scriptoribus rotulum intelligimus ex Rase & Auicenna. Ille scribit libro cõtinentis duodecimo capite primo. Recipe staphisagriæ rotulum unum. Auicenna libro tertio cap. de epithematibus & emplastris ad ischiadicam: Staphisagriæ libra una.

At sacros unciam dici ex Serapione & Rase percipimus. Serapio delicio. Quando bibitur ex fructu eius sacros laxat phlegma. Rasis libro continentis uigesimosecũdo. cap. eiusdem numeri. Et sumere de fructu eius ad pondus unciæ unius laxat phlegma aquosum.

Sed ſextarium eſſe ſemunciam declarat his uerbis Serapio. Libra eſt unciarum duodecim & mina Romana eſt unciarum uiginti. Et mox. Mina eſt ſextariorum quadraginta, libra eſt uiginti quatuor ſextariorum. ſextarium igitur dimidia eſt uncia. Deinde idem ſcribit. Sextarium eſt drachmarum trium & danic IIIS. aut aureorum IIIS.

Aureus autem ipſis Arabibus ſignificat denarium, quod ex Auicenna perſpicuum eſt, qui Serapionem ſecutus ait. Aumius & andanikis eſt uncia una: & unaquæq; earum eſt unciarum ſeptem. nam unciam conſtare ex ſeptem denarijs in alterius operis libro quarto explicaui.

Darchimi uero quod Hebræi medici דַּרְכְּמוֹן nominant, eſt Græca uox δραχμὴ, ab utriſq; literarū immutatione corrupta. eſt autem octaua unciæ pars. at Serapio propterea ſcriptū reliquit, darchimi eſt aureus unus, quod interdū drachma ſignificet denariū apud Arabes, ut etiã apud Græcos. Sed darchimi eſſe drachmã hinc intelligi poteſt: Paulus Ægineta & ignotus Græcus ſcribunt. ὁ κύαθος ὁλκὰς ιβ. τὸ μικρὸν μύστρον ὁλκὰς ς. Hoc eſt. Cyathus drachmas pendit XII. myſtrum minus ſex. declarant uero pondus olei quod capiunt hæ menſuræ. Serapio & Auicenna ex ſententia Vigilis. Cyathus olei eſt darchimi XII. myſtrum paruum darchimi ſex. Quoniam uero ὁλκὴ interdum ſignificat drachmam, eam uocem ſimiliter deprauarunt Arabes, & alki uocarunt. Dioſcorides de pino. ἥπατιηοῖς τῶν φύλλων ὁλκὴ μία. Id eſt. Iocineroſis foliorum drachma una: ſiue holce una. Serapio de eodem. Quando bibitur ex folio pini pondus alki cum aqua & melle.

Sed ὁλκίω interdum idem eſſe quod drachmam in quinto libro alterius operis oſtendi. Dicitur etiam ὁλκὴ ab Arabibus ologinat. Dioſcorides de pytiuſa. τῶν δὲ φύλλων ὁλκαὶ. γ. Hoc eſt. Foliorum autem drachmæ tres. Serapio de eadem. Folia laxant ſi accipiantur de eis tres ologinat. Garme uero, quod etiam Kermet dicunt, atque tranſiectione & immutatione literarum factum uidetur ex Græco uerbo, quod eſt gramma, ſignificat ſcripulum. id autem demonſtrant hęc Græcorum & Auicennæ uerba. Paulus Ægineta & ignotus Græcus. τὸ μέγα μύστρον οἴνου ὀγγίας. γ. γράμματα. η. Id eſt. Magnum myſtrum uini pendit uncias tres, ſcripula octo. Auicenna ex ſententia Vigilis. Myſtrum magnum habet uini uel aquæ uncias tres & garme VIII. Idem Græci. τὸ μικρὸν μύστρον οἴνου γράμματα εἴκοσι. hoc eſt. Minus myſtrum uini pendit ſcripula uiginti. Auicenna. Myſtrum paruum uini uel aquæ garme uiginti. At Karmet eſt apud Auicennam ubi de polypodio loquitur. Et potio eius ſit ſex Kermet. Kermet enim eſt ſex Kerat. imo ſit uſque ad drachmas duas. Idem Auicenna de elleboro. Et potio eius ſit tres Kermet. Plinius libro uigeſimoquinto capite quinto de eodem. Datur ad leuiter molliendã aluum

pluri

plurimum drachma. item Serapio. Oportet ut detur aureus unus. ubi aureum in drachmæ locum supposuit. Sed onolossat, quod declarat obolum, Arabes à Græco deriuarunt nomine, quod est ὀβολός. mutarunt uero β in ν, & ad finem eius nominis adiecerunt sat: quanquam interpres Auicennæ onolum reddit. Dioscorides de cucumere asinino. τέλεια πόσις ὀβολός. Hoc est. Perfecta potio obolus. Plinius lib. uicesimo primo capite primo. Modus portione uirium à dimidio obolo ad integrum. Serapio. Dosis eius completa onolossat unum. & ad minus eius medietas. Dioscorides de agarico. ποιοῦν πρόςε ςρόφους καὶ ὠμότητας ῥήγματά τε καὶ πτώματα. ὀβολοῖν δὲ δυοῖν πλῆθος διδόμενον μετ' οἰνομέλιτος ἀπυρέτοις. πυρέσσουσι δὲ ἐν μελικράτῳ. Id est. Contra tormina, cruditates, rupta, lapsus efficax. datur duobus obolis in uino mulso his qui febri carẽt: in aqua mulsa his qui febrem habent. Serapio de eodem. Confert punctionibus & humoribus uiscosis, crudis, & illi qui cecidit, cum dantur de eo duo onolossat cum uino. Dioscorides de laserpitio. τετανικοῖς τε καὶ ὀπισθοτονικοῖς ὀβολοῦ ὁλκὴν περιπλάσας δίδου καταπίνειν. Hoc est. Neruorum tensionibus & opisthotonicis formatum datur oboli pondere deuorandũ. Vbi Serapionis interpres uertit etiam onolossat: Auicennæ uetus iste onolum, Alpagus obolum. Danich autem, quod pondus à Græcis θέρμος, à Latinis lupinus dicitur, Arabes Cleopatram imitati aiunt pendere duas oboli tertias partes. etenim cum obolus pendat grana duodecim, ipsum pendit grana VIII. Scribit uero Cleopatra. ὀβολὸς ἔχει θέρμον ας. Id est. Obolus habet lupinũ unum & dimidium. Serapio. Obolus est danich unum & dimidium. Rasis quoq; libro continentis primo capite quinto. Onolossat tres, id est danich quatuor & mediũ de agarico dato in potum confert epilepsiæ.

At Kirat, sic Arabes siliquam Græco uocabulo, quod est κεράτιον, deprauato nominant, est dimidia lupini pars. quod ex his Auicennæ uerbis potest percipi. Et omnis Kirat est grana quatuor hordei. nam Lupinus octo grana hordei pendit. Sed Kestuf idẽ est quod Græcis χαλκοῦς, Latinis æreolum. Dioscorides de elaterio. ἡ δὲ τέλεια πόσις ὀβολὸς. ἡ δ' ἐλαχίςη ἡμιωβόλιον. παιδίοις δὲ δίχαλκον. Hoc est. Integra autem potio est obolus: minima dimidius obolus. pueris uero danda duo æreola. Serapio de eodem. Dosis eius completa onolossat unum: & ad minus medietas eius. sed pueris non detur nisi pondus duorum Kestuf. Æreolum autem duo hordei grana pendit. quod granum apud Arabes minimum pondus est. Atq; ponderum quidem, quibus Arabum medici utuntur, hæc ferè ratio est. sed nostræ ætatis medicos in libro de restituendis ponderibus & mensuris auertam ab erroribus eorum, qui superioribus temporibus Arabes

bes ſunt ſecuti. Reſtat ut de talento & alijs quibuſdam ponderibus ſcribam. Apud Vitruuium libro decimo cap. xxxi. eſt talentum pondo cxx. librarum. Erigebatur autem, inquit, machina in altitudinem ad diſiiciendum murum circiter pedes centum, item à latere, dextra ac ſiniſtra procurrendo, perſtringebat non minus pedes centum. gubernabant eam homines centum, habentem pondus talentum quatuor millium. quod fit quadringenta octoginta millia pondo. Nam calculis ſubductis reperiemus talentum quod cxx. pondo pendit. quod ſi è patria Agetoris Byzantij ſpectas, eſt Byzantium aut Thracium.

Habet etiam Heſychius talenta diuerſa. τάλαντα, ſcribit, ὁλκὴ λίτρων ἑκατὸν, ἢ ἑκατὸν εἰκοσιπέντε, ἢ ἑκατὸν ἑξηκονταπέντε, ἢ τετρακοσίων, ἢ χιλίων ἑκατὸν ὀγδοηκονταδύο. Id eſt. Talentum pondus eſt librarum centum: uel centũ uiginti quinq; uel centum ſexaginta quinque: uel quadringentarum: uel mille centum quinquaginta duarum. Eorum autem primum eſt Hebraicum maius, ſi quis libram pro mina Hebraica accipiat: alterum minus, ſi pro libra Romana. reliqua tria prorſus ignota ſunt. Stater quoq; pondus quatuor drachmarum ſignificat teſte Cleopatra. ὁ στατὴρ, ait, ἄγει δραχμὰς δ. καλοῦσι δὲ αὐτὸν τετράδραχμον. Hoc eſt. Stater pendit quatuor drachmas. uocant autem ipſum tetradrachmum. cum Cleopatra conſentit Epiphanius, Hieronymus, Heſychius. At ἀσσάριον cum pondus declarat, eſt duarum drachmarum, atq; omnino idem quod Latinis ſicilicus. διπόντιον uero, id eſt dupondium, quod duo ſint aſſaria, quatuor drachmarum. ſcribit enim Cleopatra. ἀσσάριον ἔχει δραχμὰς β. Id eſt. Aſſarium pendit drachmas duas. Et paulo ante. καὶ διπούντιον δὲ ὁμοίως ἄγει δραχμὰς δ. Hoc eſt. Et dupondium ſimiliter pendit drachmas quatuor. Nam Romani pondus aſsis, quod primo erat libræ integræ, tam ſæpe imminuerunt, ut tandem lege Papyriana, autore Plinio, ſemunciales aſſes ſint facti. Iſtimodi autem aſsis dimidium à Græcis dicitur ἀσσάριον, à M. Terentio Varrone aſſarius. apud quem eſt in libro primo analogiæ. Et non equum publicum mille aſſarium eſſe (debet ſcilicet dici) ſed mille aſſariorum. ab uno enim aſſario multi aſſarij, ab eo aſſariorum. Eius autem aſſarij duplum, id eſt aſſem ipſum ſemuncialem, ijdem Græci etiam Romano uocabulo διπόντιον nominauerunt. Ac uero etiam uncia, quod quatuor eiuſmodi aſſaria penderet, τετράσσαριον ἰταλικὸν, ſi eidem Cleopatræ fidem habemus, uocatur. At Græci medici ſextulam, quæ eſt quatuor ſcripulorum, nouo nomine nuncuparunt ξύγιον. quo utitur Actuarius in aurea antidoto Alexandri. Sed Nicãdri interpres id corrumpit, & σάγιον appellat. ἡ δὲ ὀγγία, inquit, ἔχει σάγια ἓξ. Id eſt. Uncia pẽdit ſtagia ſex. in tot enim ſextulas diuiditur uncia. Et paulo poſt.

τ

τὸ στάγιον κεράτια κδ. Hoc est. Stagium pendit siliquas quatuor & uiginti. tot enim siliquarum pondus sextula colligit.

Postremo medici quasdam res simplices, ex quibus medicamenta conficiunt, interdum non metiuntur nec ponderant, sed numero, uel manus cõplexu sumunt. altero modo cum cæteris miscemus aliquot amigdalas, pineas, zizipha, grana piperis, pruna, myxa, ficus, poma, myrobalanos, tamarindos: altero myrti, halicacabi, nardi Celticæ & similium fasciculum, ut est apud Scribonium Largum: siue manipulum, ut apud Cornelium Celsum. Græci uero non modo δεσμίδιον, id est fasciculum dicunt, sed etiam δεσμίδιον χειροπληθὲς. id est, fasciculum qui manu comprehendi potest.

GEORGII AGRI-

COLAE AD EA QVAE AN

DREAS ALCIATVS DENVO DISPVTA

uit De menſuris & ponderibus,

breuis defenſio.

GEORGIVS AGRICOLA
GEORGIO FABRICIO S D



Emini ex omnibus meis amicis quàm tibi scripta mea tantæ curæ fuerunt. nemo mihi sæpius quid homines eruditi de eis iudicarẽt significauit literis. nemo plures scriptores, qui eosdem locos tractarẽt, ad me misit. Cum autem ex tuis aliorumq; literis intelligam, multos uiros doctos ire in meam sententiam De mensuris & ponderibus, in qua persto, uix unum & alterum facere discessionem: uideo me plus quàm sperabam studio & diligentia consecutum. Nec uero me multum mouet sermo quorundã liberior in altercationibus duntaxat, quæ in circulis & conuiuijs fiunt. nam semper uaria iudicia de scriptoribus, qui ediderunt, fuisse constat. equidem multo ante quàm inciperem scribere uel de re metallica uel De mensuris & ponderibus in ea cogitatione uersatus sum, ut putarem id mihi magis euenturum, quod doctissimis accidit. quorum scripta nonnulli audent uel cum nondum ea examinauerint suis ponderibus improbare: uel cum fructum ex ipsis perceperint maledico dente carpere: non memores, quod æqui animi & iudicij uiris dolere debet, laboris in illa insumpti. Verum mea De mensuris & ponderibus dixerit aliquis nimis esse longa: alter me interdũ tantummodo coniecturis duci ad suspicandum de quibusdam: tertius cum tot & tam doctis uiris tanta contentione non fuisse decertandum. respondeo primo, res tam multas tam controuersas & plenas dissensionum paucis tradere non potui. ut uero mea scripta sint longa, nihil deflectunt de cursu rationis institutæ. Alteri: coniecturæ meæ tamdiu stabunt, quamdiu eas ueritas de gradu non deiecerit. Tertio: uehementius & acrius disputauerim, non sum immemor alienæ industriæ, studij, laboris. Vt autem per me cuiq; licet ueritatem præferre autoritati, ita mihi per alios licere par est. etenim illa tenere suam uim & dignitatem aliter non potest. Ego certe quàm primum intellexero me lapsum per errorem, eum deponere decreui. quod etiam alios facturos arbitror. nam id in primis uiros bonos & simplicis ueritatis amicos decet. Si uero quis contentionis cupidus quod uerum syncerumq; fuerit oppugnauerit, eum non patiar illud suis argutijs & captionibus euertere, sed autoritate, experimento, ratione defendam. Nunc hoc libello explicaui Andreæ Alciati rationem, quæ est De mensuris & ponderibus, quam denuo suscitauit, ut nostram obtereret. Quem libellum ad te mitto: & quia tu primus mihi ea indicasti quæ de his scripsit in libris parergon: & quia in primis es studiosus ueteris rei

nummariæ, immo uero omnis antiquitatis. Vale & enitere ut me mea'que ſtudia, ſicuti cœpiſti, tua cura diligentia'que iuues. Iterum uale. Kempnicij Hermundurorum ſiue Miſenorum VIII. Calend. Maij anno M. D. XLIX.

GEORGII AGRI-COLAE AD EA QVAE ANDREAS ALCIATVS DENVO DISPVTAUIT de mensuris & ponderibus, breuis defensio.



Vm constituissem scribere De mensuris & ponderibus, diu multumq; consultabam utrum meam tantummodo de his sententiam explicarem, & neq; Budæi, nec Alciati, neq; Portij ullam facerem mentionem: an opiniones, quas illi inseruissent in animos eorum, qui literis delectantur euellerem, & meam sententiam confirmarem argumentis: an ea quæ ab ipsis essent inuenta nominatim, quæ à me simpliciter exponerem: errorem nullum coarguerem. Etenim uerendum mihi erat, ne, si in primam rationem incumberem, furtum fecisse argui possem: quod his, quæ ab illis primo essent inuenta, tanquã meis, uterer. sin in alterã, uiros, optime de literis meritos, offenderem: quod ita ferè natura comparatum sit, ut in literarum etiam monumentis errasse nemo, quiuis uera sensisse uelit uideri. sin in tertiam, ut ipsi à me placati æquiq; discederent, harum rerum studiosis parum prodessem: quod opinionum fluctibus iactati nõ possent in portum uenire. Itaq; mihi uisum est quartam quandã scribendi rationem tenere: atq; quod in eorum decretis uerum & rectum sit indicare, & laudibus efferre: quod falsum & prauum, argumentis refellere: nullum conuitijs consectari. quis enim quid improbe, nisi improbus, de uiris bonis & doctis diceret? Quod meum institutum ac iudicium cum homines optimis artibus politi auditione accepissent, me ad perficiendum etiam literis hortati sunt: atq; in hanc sententiam & dixerunt & scripserunt. si mihi, qui studerem esse moderatus, illi uel stomacharẽtur, quod eundem locum tractarem: uel cõuitium facerent, quod eorum opiniones argumentis & rationibus conarer conuellere, non tam meam existimationem uiolarẽt quàm suam. Quo autem animo in me fuerit Portius, exploratũ non habeo. certe Budæus cum meos libros legissẽt, ac quid sentirẽ de mensuris & ponderibus intelligeret, de his non scripsit aspe rius: sed etiam meam sententiam passus est uiros doctos libris editis approbare, è quorum numero sunt Robertus Senalis episcopus, & Iacobus Syluius medicus. At Andreas Alciatus nuper ueterum scriptorum ferè ijsdem autoritatibus, quibus antea, disceptãdo decertare cœ-

pit. scribit enim in lib. IX. parergon iuris cap. XXV. De sextario et denario drachmaq; aduersus Georgiū Agricolā disputata: & Plutarchi in uita M. Antonij locus. Quoniam autem aduersus me contendit ac disputat, & causa cecidisse is uideri potest, qui scripta, quæ contra ipsum sunt, non redarguit, paucis respondebo ad singula, quibus suam sententiam, in qua perstat, defendere atq; confirmare Alciatus contendit. Quanta inter autores, inquit, cum Græcos tum Latinos discordia in ponderum mensurarumq; ratione esset, cum quandoq; animaduertissem, composueram in priuatum usum quasi aduersaria, unde adiuuari possem, si forte in mentem ueniisset id argumentum in iustos codices redigere: deinde quia Guilielmus Budæus id ipsum copiose eruditeq; fecerat, decreueram aliam potius materiam pertractare, ne alioquin mihi cum eo posset ulla suboriri si multas, quod in pleriscq; dissentirem: & tamen non potui eum libellum adeo supprimere, quin eruperit in publicum. Quod si is qui primus eum edidit hoc fecit cōsilio, quod existimarit rem literariam sic quoq; augeri posse, habet non iniustam excusationem. quod si alia mente ab eo factum est, possem Ælij Donati uerbis in eum inuehi, qui solebat dicere: Dij male ijs faciant, qui nostra ante nos edere festinant. Tuli autē id æquiore animo, quod literis ad me suis scripsit Budæus, haud quaquam in malam partem se hoc accepisse, cuius exemplo nec ego eis irascar, qui à me dissentiant. Fuerunt autem aliquot uiri docti, sed ex ijs nemo acrius, nemo copiosius Agricola Germano medico, cuius omnia in me argumenta si uelim diluere, ingenti uolumine opus esset. at mihi uix ocium suppetit ut παῤῥησίαν hæc scribam. tuebor tamen arcem ipsam, nec sinam causæ iugulum interim confodi. Cum in lib. IIII. dispunctionum cap. XXI ubi tractat hunc locum de mensurarum capacitate, scribat Alciatus se breuibus expedire uelle, quod alij longissimis tractatibus persequuntur, satis intelligimus eum, posteaquam Budæus quinq; libros de asse & partibus eius edidit, composuisse quatuor illos dispunctionum. In ijs autem quia, quod ad sextarij capacitatem attinet, Budæi, immo uero Isidori Hispalensis, opinionem sequitur, uidetur nondum habuisse eam, in quam homines, cupidos cognoscendi ueteres mensuras, adducere fuit conatus. nam si tunc istam opinionem mente sua comprehendit, nulla ipsi causa iusta esse potuit, cur eam simpliciter memoriæ non traderet potius quàm alienam: si uel noluisset uel non fuisset ausus euellere ex animis Gallorum & Italorum duas opiniones nuper insitas. quarum altera eos imbuerat Budæus, altera Portius. Verum cum Alciatus audiret Hieronymo Archinto Cæsareo senatori non placere ea, quæ illi duo iurisconsulti de ponderibus & mensuris prodidissent, multis de causis conscripsit libellum de ijsdem rebus: & quia, ut uerba eius recitem, Archintum amaret: & quia eum ad hoc generis studium,

ut

ut quàm liberaliter gratificaretur totius rei literariæ, tum præcipue iuris professoribus, adhortaretur Leopoldus Dyckius: & quia publica etiam studiorū causa, quam citra præuaricationis notam deserere non posset: ne freti tantis ducibus studiosi in utramq; aurem dormientes uel à uero aberrarent, uel incertiores quàm prius quærendum amplius censerent. Certe cum hæc considerarē putabam ipsum Alciatum, quem tot & tantæ causæ impulissent ut post Budæum & Portium de mēsuris & ponderibus scriberet, libellum edidisse. Sed ut hoc liquido confirmare possit se decreuisse libellū supprimere, & aliam potius materiā pertractare, ne ipsi cum Budęo posset ulla suboriri simultas quod in plerisq; dissentiret: atq; prorsus libellum cōtra eius uoluntatem ab alio quopiam uulgatum, equidem id tum, cum in eodem argumento uersarer, scire non potui: quod nondum se nobis declarauerat. quare de eius opusculo non aliter ac de aliorum libris iudicaui. Vt autem Alciatus non irascitur eis, qui ab ipso dissentiunt, idq; facit exemplo Budæi, ita ego minime animo alieno & auerso sum ab eis, qui sua decreta argumentis defendere conantur. Iccirco uero copiose de mensuris & ponderibus differui, quod multum uererer, ne tantorum uirorum autoritas obesset studiosis bonarum literarum. Attamen tantum abfuit ut Alciatus id, quod de sextario ex Plinij uerbis conceperat, animo inclusum cōtineret, ut ipsum effuderit in cōmētaria de uerborū significatione. tantū etiā abest, ut eū pœniteat libelli editi, ut nūc quoq; scribat, etsi ei non tantū sit ocij, quantū ad omnia mea argumēta diluenda conferre possit, tamen se uelle tueri arcem ipsam, nec sinere causæ iugulum confodi. Quanquam autem qui diligenter legit meos libros De mensuris & ponderibus, ipse perspicere potest qualia sint argumenta quibus iterum pro suis decretis tam acriter propugnat, tamen denuo paucis ostendam quàm parum firma sint ad id probandum, quod contendit. Tria autem, inquit, potissimum sunt, quibus ille traditiones meas subuertisse uidetur. primum, quod sextarium constitueram XV. unciarum esse plurimis quidem argumentis, sed maxime Plinij libro XXI. cap. ultimo. autoritate, qui drachmas XV. quartā heminæ partem esse ait. cum autem duabus heminis constet sextarius, consequens est CXX. drachmas in eo esse, id est uncias XV. Inquit ille, mirari se quod non animaduerterim de Græcorum mensuris, non de Romanis, Plinium loqui. Respondeo, loquitur de Græcorum mensuris quo modo cum Latinis conueniant, censetq; quod illis sint XV. drachmæ, id nobis esse acetabulū: quod illis drachma Attica, id nobis esse denarium. Atqui cum denarium acetabulumq; dicit, de Romanis ponderibus intelligit. Alij ergo aliter dixerunt, nempe Plinium de medicorum ponderibus loqui, non de mercatorijs & quæ in promiscuo usu essent.

Ego grauibus & firmis argumentis docui sextarium Romanum & Atticum

Atticum eiuſdem capacitatis non eſſe, ſed hunc capere menſurales uncias XVIII. illum XX. atq; tantum olei, quantum Atticus, quo medici in primis utuntur, capit, pendere ponderales uncias XV. quantum hemina Attica, ſiue mauis medica, VIIS. ex quo ſequitur ut oleum, quod acetabulum poteſt continere, pendat drachmas XV. nam ſextarij octaua, heminæ quarta pars eſt. quod cyathus X. etenim ipſe heminæ ſexta eſt, duodecima ſextarij. Alciatus autem ne ullum quidem argumentum refellit, ſed tantummodo ait. me mirari quod non animaduerterit de Græcis, non de Romanis Plinium loqui. Sed excutiamus ea quæ reſpondet. Si Plinius loquitur, ut Alciatus ſentit, de Græcorum menſuris quo modo cum Latinis conueniunt: & tres in eo loco cõme morat, acetabulũ ſcilicet, heminã, cyathum, interrogo Alciatum num acetabulum eſt Græca menſura? reſpondebit non eſt: quia enim uocabulum eſt Latinum Plinius Romanam menſuram intelligit. num igitur hemina? non: etenim quia iterum uox eſt Latina pari ratione Romanam menſuram ſignificat. num denicq; cyathus? hic opinor, tacebit, ut unam ſaltem habeat menſuram Græcam, quæ cum Latina conueniat: & de qua loquatur Plinius. nam hoc uerbo, etſi Græcum eſt, Romani æque ac Græci utuntur. At ne ipſe quidem Alciatus dicit Plinium loqui de una menſura Græca quo modo cum Latina conueniat, ſed de menſuris: atque ita de pluribus. Deinde ſi cenſet Plinius, ut Alciatus uult, quod Græcis ſunt XV. drachmæ, Latinis eſſe acetabulum, quam habuit cauſam cur Romanæ menſuræ capacitatem uel pondus, Græca menſura uel pondere explicaret? nullam certe. itaq; ſcriberet: cum acetabuli menſura dicitur, ſignificat heminæ quartam partem, id eſt denarios XV. nõ drachmas XV. præſertim cum paulo ante drachmam interpretatus ſit denarium. Sed hic utras drachmas intelligit? an eas, in quas uncia, ſi menſura eſt, diſtribui poteſt? an alteras, in quas uncia, ſi pondus ſignificat, diuiditur? mẽſurales nõ intelligit: nam acetabulum Romanum, ut ex Galeno percipimus, capit uncias menſurales duas cum dimidia, nõ drachmas XV. Nec uero etiam Ponderales quadrant. etenim ex eiuſdem Galeni & Græcorum ſententia acetabulum Romanum, etiamſi nũc dicat Plinium more medicorum locutum, pendit uncias duas & ſcripula duo, non drachmas XV. ſiue, ut planius, & apertius dicam, tantum olei, quantum capit acetabulum Romanum, pendit duas uncias & duo ſcripula. Sed etiamſi hæc Alciatus non dederit Galeno, qui menſuras tam Romanas, quàm Græcas expendit, tamen nec ipſe ſibi, ut iam oſtendi, cõſentanea ſcribit, nec Plinio. etenim is non loquitur de menſuris Græcis quo modo cum Latinis conueniunt, ſed Græcorum nominum interpretationem, quoniam his crebro eſt utendum, ſemel in hoc loco ponit. Verum quærat ex me quiſpiam, quæ, quæſo, ſunt illa Græca menſurarum nomina? reſpondeo, κοτύλη, ὀξύβαφον

ὀξύβαφον, κύαθον. ea uero reddit heminam, acetabulum, cyathum. Hæc igitur uocabula, ut sint Latina, hoc in loco Plinij significant Græcas mensuras. quarum hemina, oleo referta, pendit uncias VIIS. acetabulum, quod quarta eius pars sit, drachmas XV. cyathus, quod sexta, drachmas VI. Itaq; ubi Plinius totidem ferè uerbis transfert aliquos locos à medicis Græcis, quia illi, ut ipse ait, ferè Attica obseruatione utuntur, his uocabulis Romanis mensuras Græcas, & quidem Atticas declarat. Quæ cum ita se habeant, quis non uidet Alciatum armis explanationũ istiusmodi nec arcem ipsam tueri & conseruare posse, nec mucrones argumentorum à iugulo causæ reijcere? Quod si tela, deinceps intenta meæ sententiæ, de manibus Alciati extorsero, nulla habebit arma, quibus causæ non modo caput & iugulum, sed etiam latera & uiscera, poterit tueri atq; defendere. Subijcitq; Agricola, inquit, me falli, qui idem pondus denarij & drachmæ esse existimauerim. sed & hoc haud sanè multum me mouerit: nam grauior est autor Plinius, quàm ut tam facile ab eius sententia discedi possit, qui drachma, inquit, Attica denarij argentei pondus habet. quod non solum in medicis autoribus, sed etiam in cæteris uerum esse ego arbitror.

Iterum mea argumenta, quæ multa sunt, rationibus non refutat, sed suam sententiam aliquot autoritatibus confirmat. Plinius quidem in eo ipso loco Græca nomina non modo mensurarum, sed etiam ponderum interpretatur. itaq; cum denarius argenteus ad Atticæ drachmæ põdus proximius accedat, quàm uel denarius aureus, uel uictoriatus, dicit drachmam Atticam denarij argentei habere pondus. Quocirca Latini scriptores cum locos ad uerbũ de Græcis exprimunt, pro drachma reddere solent denarium: contra Græci cum locos de Latinis conuertunt, pro denario drachmam. Sic Romani scriptores interdum μνᾶν uertunt libram, & Græci libram μνᾶν. Sic ijdem Romani κοτύλην plerunque heminam, Græci heminam κοτύλην. quinetiam Plutarchus sextarium reddit κοτύλην: alij Græci scriptores modium μέδιμνον. num igitur μνᾶ & libra sunt eadem ponderа? num hemina & κοτύλη eædẽ mensuræ? num sextarius & κοτύλη? num modius & μέδιμνος? Sed & Græcæ mensuræ capacitate à Romanis differunt. & mina pondere à libra, & drachma Attica à legitimo denario differt, quod uero huius pondus sit declarat idem Plinius libro XXXIII. capite nono his uerbis. Miscuit denario triumuir Antonius ferrũ, miscuit æri. Alij è pondere subtrahunt, cum sit iustum LXXXIIII. è libris signari. Ex quo consequitur ut uncia pondus habeat septem denariorum. quæ eadem Atticas drachmas pendit octo: ut libra XCVI. quod Galenus & alij tradunt. atque ita denarius drachmæ Atticæ & septimæ eius partis habet pondus. mina uero Attica quatuor drachmis grauior est quàm libra Romana. At si quod Alciatus sumpsit, nempe dena

rium & drachmam Atticam eiusdem esse ponderis, concedimus, sequitur ut mina Attica sedecim drachmis sit grauior quàm libra Romana, quod nemo uel scripsit uel dixit. Primum igitur telum quod Alciatus iecit, sic à causæ capite, iugulo, ceruicibus potest reijci. Pergit.

T. Liuius libro XXXIIII. autor est redemptos fuisse mille & C C. captiuos constituto in capita quingentorum denariorum precio, eamq; rem centum talentis stetisse, constat ex Iulio Polluce & alijs autoribus sex millia drachmarũ in talento Attico esse, unde uel solis digitis computari potest, quingentos illos denarios quingentas drachmas fuisse. Liuij uerba hæc sunt lib. quadragesimoquarto. Ingens numerus erat bello Punico captorum, quos Annibal, cum à suis non redimerentur, uenundederat. multitudinis eorum argumetum est, quod Polybius scribit centum talentis eam rem Achæis stetisse: cum quingenos denarios precium in capita, quot redderentur, dominis statuissent. mille enim ducentos ea ratione Achaia habuit. adijce nunc proportionem quot uerisimile sit totam Græciam habuisse. Græci sunt Achæi, Polybius item Græcus est historicus. sine controuersia igitur illi quingenas drachmas precium in capita numerauerunt dominis. hic tractans res Græcas scripsit drachmas quingentas pro singulis capitibus datas fuisse. quoniam uero mille ducentos captiuos Achaia habuit, tot drachmæ efficiunt centum talenta. At Liuius quidem, qui hunc locum conuertit de Polybio, pro drachmis, ut solent etiam cæteri Latini scriptores, reddit denarios, sed non existimauit drachmæ Atticæ idẽ pondus esse quod denarij: id quod ex his eius uerbis, quæ paulo post sequunt̃ potest intelligi. Signati argẽti LXXXIIII. millia fuere Atticorum, tetrachma uocant, trium ferè denariorum in singulis argenti est pondus. Si quatuor drachmæ Atticæ (id enim significat τέτραχμον uerbum Atticum, ut autor est Ammonius) nondum pendunt tres denarios, qui Atticę drachmę pondus denarius potest esse? Atq; sic alterum telum, in latera causæ immissum, ab eis auerti potest.

Sequitur Plutarchus in Antonio. Iussit, inquit, cuidam ex amicis dari myriadas (sic enim legendum ex autographo Græco, non millia ut Leonardus Aretinus trãstulit) uigintiquinq;. id Romani decies sestertium uocãt. Constat argenti sestertium denarios habere ducentos & quinquaginta. quod Budæus ostendit, & nemo non affirmat. unde sequitur idem esse myriadas drachmarum quod denariorum. quorum uigintiquinq; constituunt sestertia mille, quod ueteres dicebant decies, subaudientes centena millia nummum, ut ex abaco quilibet diligens numerator statim cognoscet. Sicq; satis probatum est, idem Atticis esse drachmam, quod Romanis denarium: non solum medicis, sed & negociatoribus. Hæc ille. Plutarchi uerba sunt. τῶν φίλων τινὶ μυριάδας ἐκέλευσε πέντε καὶ εἴκοσι δοθῆναι. τοῦτο ῥωμαῖοι δέκιες κα

λοῦσι

λοῦσι. Decies certe significat Romanis decies cētena millia sestertium, atq; tot sestertij efficiunt denariûm ducenta quinquaginta millia. quia uero Plutarchus denarios, ut consueuerunt etiam reliqui Græci scriptores, uertit drachmas, ex tanto earum numero fiunt myriades uiginti quinque. Atque hac communi ratione tortum telum, quod in uiscera causæ uidetur uoluisse conijcere, de manibus Alciati extorqueri potest. Verum, pace eius dixerim, nullum mihi esse uidetur argenti sestertiū, quod denarios, ut Alciatus ait, habeat ducentos & quinquaginta: siue quod ualeat argenti duas libras cum dimidia, ut scribit Budæus. qui quos non sua opinione rapuit in hunc errorem? Sed sestertius & sestertium, eundem declarant nummum argenteum, qui quarta denarij pars est: ut uberius libro secundo de precio metallorū & monetis explicabo. Tametsi uero Alciatus sibi uidetur aduersaria euertisse, uel saltem sua confirmasse, tamen quartum telum uibrat. Cicero, inquit, epistolarum ad Atticum libro decimosexto epistola trecentesima tricesima quinta scribit, Octauium dedisse ueteranis, qui Casilini erant, denarios quingentos. at Dion libro quadragesimoquarto τριτακοσίας δραχμάς. quod idem est. Quod telum, ut nihil sit, quod Dion scribit κατὰ τριτακοσίας δραχμὰς, Alciato de manibus eodem modo, quo proximum, potest excuti. Verum aliqua etiam dissimilitudo est in uerbis Ciceronis & Dionis. ille enim dicit Octauium ueteranis singulis dedisse quingenos denarios, hic ad quingenas drachmas. ergo Dion quoque uidetur obseruasse discrimen quod est inter denarium atq; drachmam. Is autem si respexit denarios legitimos, qui temporibus Octauij Romanis erant in usu, eorum septem pendebāt octo drachmas. atq; ita quingenti denarij pendebant drachmas quingentas septuaginta unam & tres drachmæ septimas. si uero rationem habuit denariorum, quibus Romani utebantur cum ipse uiueret, Alexandro nimirum Mammea res Romanas administrante, quia eorum pondus iam tum erat imminutum, quingenti non efficiebant tantum drachmarum numerum, quantum totidem legitimi. Ciceronis uerba hæc sunt in epist. v. libri xvi. epistolarū ad Atticum. Veteranos, quiq; Casilini & Calatiæ sunt, perduxit ad suam sententiam. nec mirum, quingenos denarios dat. Dionis uero in libro quadragesimo quinto. καὶ ἔδωκεν εὐθὺς τότε κατὰ τριτακοσίας δραχμὰς. Sed si Alciato non persuasero hunc morem esse scriptorum, ut Græci pro denario reddant drachmam, & contra Latini pro drachma denarium, etiamsi eiusdem ponderis non sint, nec ipsi esse dicant: ut uirum utriusque quidem linguæ studijs eruditum, omnium uero disciplina iuris ciuilis eruditissimum, quoad fieri possit, æquum placabilem'que dimittam, uertam hic rationem, & ei monstrabo uiam, quam progressus è manibus nostris elabi possit: & quoquo modo

suam

ſuam ſententiam defendere. Argentei Romanorum denarij tripli-ces ſunt: graues, qui pendunt drachmam Atticam cum dimidia: me-diocres, qui drachmam & ſeptimam eius partem: leues, qui plerunq; drachmam. De grauibus ſcribit Liuius libro quadrageſimo quar-to, cuius uerba iam commemorauimus. Quoniam autem tetrachmo, quod quatuor drachmarum Atticarum pondus colligit, trium ferè de-nariorum argenti pondus eſt, ſatis intelligimus denarium non pen-dere drachmã Atticam, quod ſentit Alciatus: non drachmã Atticam & tertiam eius partem, quod Priſcianus: ſed plus etiam, atque ipſum eſſe dimidiam tertiæ partem, ac denarium pendere drachmam Atti-cam cum dimidia: ſiue drachmas Atticas quatuor cum dimidia habe-re pondus trium denarium ex M. Varrone percipimus, qui talentum Atticum XVI. H–S taxat. Cum enim ſedecim millia ſeſtertium effi-ciant quatuor millia denarium, Atticum uero talentum ſit ſex millium drachmarum Atticarum, ſequitur ut denarius argenteus pendat At-ticam drachmam cum dimidia. Eiuſmodi graues ſeſtertios Plinius, ut mihi uidetur, intelligit libro triceſimotertio capite tertio, ubi ſic ſcri-bit. Aureus nummus poſt annum LXII. percuſſus eſt quàm argen-teus, ita ut ſcripulum ualeret ſeſtertijs uicenis. quod efficit in libras ratione ſeſtertiorum, qui tunc erant ſeſtertios V DCCLX. ſic legendum puto. ſed id apertiſsime explicat Nicãdri interpres cum, neſcio quem ſecutus, ſcribit. τὸ δηνάριον ἔχει δραχμὰς μίας ἡμίσειαν. Iſtiuſ-modi uero denarios & ſeſtertios Q. Fabius & ſequentes conſules per-cuſſerunt. De mediocribus autem denarijs, qui legitimi, ut illi ueteres dici poſſunt, ſcriptum reliquit Plinius in eodem libro, capite nono. cuius uerba item ſupra commemorauimus. & Cornelius Cel-ſus libro quinto capite decimoſeptimo. Sed & antea, inquit, ſciri uo lo in uncia pondus denariorum ſeptem eſſe. Quoniam enim libra Romana pendit Atticas drachmas nonaginta ſex, denarios uero LXXXIIII. uncia autem drachmas octo, denarios uero ſeptem, con ſequitur ut denarius pendat Atticam drachmam & ſeptimam eius par tem. Quibus autem temporibus conſules cœperunt ſignare iſtiuſmo-di legitimos denarios cognitum non habemus. At leues non ui-dentur eſſe percuſsi ante Claudij principatum. quo rex Taprobanes inſulæ Romanorum iuſticiam ſuſpexit, quod pares pondere denarij, ſcribit Plinius, eſſent in captiua pecunia, cum diuerſæ imagines indi-carent à pluribus factos. Itaq; cum Plinij temporibus etiam, ut ipſe ait, aliqui de pondere denarij detraxerint, ſi Alciatus dixerit de iſto le-ui & non legitimo denario Plinium ſcripſiſſe: drachma Attica denarij argentei habet pondus, ne uidear defenſor nimium litigioſus, ab eo non diſſentiam: præſertim cum tales denarij ſoleant inueniri, ſed ma xime percuſsi à quibuſdam imperatoribus, qui Veſpaſianum ſunt ſe-

cuti

cuti. Hos etiam denarios leues si Plutarchum aliośq; inferioris ætatis scriptores Græcos, qui pro denarijs reddunt drachmas: aut latinos, qui contra drachmas conuertunt denarios, putauit intellexisse non repugnabo. Post hæc Alciatus redit ad mensuras. Alij igitur, inquit, Plinium de uncijs mensuralibus intelligunt, non de ponderalibus, quas inter se distasse ex Galeno Agricola ostẽdit, miratuŕq; quod talem ego differentiam non uiderim, sicut nec Budæus, nec Portius. Atqui uerisimile est etiam eos uidisse. sed quia unciæ in mensuris primum ut ponderibus concordarent inuentæ erant, maluerunt de ponderalibus loqui utpote certioribus. cum quæ mensurales sunt ex liquentium atq; aridorum qualitate uarientur. nec enim bilibre cornu, in quo mensurales unciæ sint incisæ, eiusdem est ponderis si uino impleatur, cuius si melle, uel tritico, uel alia quauis materia. quæ tamen ego extra professionis meæ cancellos posita medicis, ad quos hæc res magis pertinet, tractanda libens relinquo: memor scilicet ueteris sententiæ: Suæ quemq; artis disputatorem esse optimum. ἕρδειν τὸς ἅμ ἔκας ⊙ εἰδέναι τέχνην. Aristophanes σφῆξι.

Primum autem si quis est qui Plinium putat hoc in loco loqui de uncijs mensuralibus, multum aberrat à uero. nam more medicorũ dicit. Cyathus pendet per se drachmas decẽ. cum acetabuli mensura dicitur, significat heminæ quartam partem, id est drachmas quindecim. Hoc est tantum olei, ut supra quoq; exposui, quantum capit cyathus pendit drachmas decem: quantum acetabulum, drachmas quindecim.

Deinde nõ tam miror quàm uerbis Alciati & reliquorum duorum iurisconsultorum declaro eos, cum explicarent sextarium, quod discrimen esset inter uncias mensurales et ponderales nõ uidisse, sed de ponderalibus, ut qui ignorarent mensurales, loqui. Tum unciæ mensurales ut cum ponderalibus numero cõuenirent quondam non sunt factæ, quod ex his quæ dicam perspicuũ est. libræ mensuralis, quam Romani sunt partiti in duodecim uncias, numerus unciarũ cum nullius liquoris, quem metiebantur, numero unciarum ponderalium congruebat. etenim oleum, cuius capax est libra Romana, pendit decem uncias ponderales: uinum, uncias undecim & nonam unciæ partem, id est scripula duo, obolum unum, siliquam unam: mel uncias quatuordecim, drachmas sex, scripulum unum, obolum unum, granum unum, & tertiam grani partem, ut minutissime concidam.

At nostris temporibus pharmacopolæ sic conficiunt libram mensuralem, ut, si certo liquore compleatur, eius unciæ mensurales uncijs ponderalibus numero respondeant. Postremo ait uncias ponderales certiores esse quàm mensurales, atq; iccirco eos maluisse de ponderalibus loqui. Certe quod ad mensuras, quas ipsi exponunt, attinet, contrarie se res habet. nam unciæ mensurales unæ eædemq; sunt

siue

siue metiamur res liquidas, siue aridas. sed ipsæ res quia inter se differunt pondere, ponderales unciæ cuiusq; mensuræ multis modis uariant. uerbi causa. Sextarius Romanus capax est uiginti unciarum mensuralium, quæ non mutantur: sed aliud pondus est olei, quod capit: aliud uini, aliud mellis, aliud argenti uiui. etenim tantum olei pendit tantummodo uncias XVI. drachmas. V. scripulum unum. uini uero, uncias XVIIIS. siliquas. II. grana. II. atque duas grani tertias: mellis autem libras duas, uncias tres, drachmas VI. siliquas quatuor. at argenti uiui, pondo, ut ex Vitruuij uerbis intelligimus, XXV. Quæ omnia quoniam medicis potissimum sunt nota,

Quod medicorum est

Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

ὑφ' ἅρμασιν ἵππους. ὧν δ' ἀφότερῳ βοῦς.
παρὰ ναῦν δ' ἰθύει τάχιστα δίλφις.
κἄπτερῳ δὲ βουλεύοντι φόνον,
κωὐκ ἔστι πλάθυμον ἐξευρεῖν.

ait Pindarus.

GEORGII AGRI-COLAE DE MENSVRIS QVIBVS INTERVALLA METI mur liber unus.

Abrahamus Hebræus
Acron
Aelianus
Aetius Amidenus
Ammianus Marcellinus
Aristophanes
Aristoteles
Aulus Gellius
D. Aurelius Augustinus

Cæsar
Cato
Cicero
Columella

Diodorus
Diophanes
Dioscorides

Eustathius

Fabius Quintilianus
Florentinus

Galenus
Græcus ignotus, qui tradit qua de causa quodcp uerbum sit nominatum.

Hermogenes
Hero
Herodotus
Hesiodus
Hesychius
D. Hieronymus
Hippocrates
Homerus
Homeri interpres
Horatius

Iosephus
Iulius Frontinus
Iulius Pollux

Lucretius

M. Varro

Nicolaus Lyra

Origenes
Ouidius

Persius
Pindarus
Plato
Plautus
Plinius
Plutarchus
Porphyrio
Propertius
Ptolemæus

Sacræ Hebræorum literæ
Septuaginta interpretes
Seruius
Seuerinus Boetius
Sex. Festus Pompeius
Strabo
Suetonius Tranquillus
Suidas

Tibullus
Titus Liuius

Valerius Probus
Virgilius
Vitruuius

Xenophon

GENEROSO ET NOBILI VIRO D. CHRISTOPHORO CAROLOVICIO ILLVSTRISSImi Saxonum ducis & Electoris Mauricij consiliario Georgius Agricola S D.



Omini, uir clarissime, tres esse nobilitates censeo: unam naturæ, alteram uirtutis, artis tertiam. Nobili genere nati habent nobilitatem naturæ. qui uero pro patria labore suscipiunt, & se periculis offerunt, uirtutis nobilitatem & gloriam consequuntur. at qui ex doctrina uel arte aliqua nobiles & clari sunt, illius artis nobilitate præstant. Ex generosa stirpe ortis deus summam moderandi & regendi nostri potestatem tradidit. quorum, & magistratuum quos illi crearunt, imperio qui obedit, paret uoluntati dei: qui id ipsum recusat, deo resistit & repugnat. quod si boni sint, & dominatu ac potestate digni, eos amare meritissimo debemus. hos nobiles Græci εὐγενεῖς, Latini etiam generosos uocant. Nobilitatos autem ex illustribus gloriosisq; factis charos habemus, &, ut merentur, in cœlum laudibus efferimus. hi ut ipsi humilem habeant ortum, tamen generosum habent ex eis nati. nam naturæ nobilitate uirtus maiorum peperit: aut inueteratæ diuitiæ. diuites uero nuper in generosas stirpes insiti, si homines nequam & improbi non fuerint, tolerabiles sunt: si uitijs & flagitijsediti, eos ita iure contemnimus, ut nobili genere natos, & uirtute præditos, si pauperes fuerint, iniuria despicimus. At artes multos, dum numerarentur inter uiuos, nobilitauerunt, sed plures post mortem. Primi generis nobiles in quibusq; regionibus sunt plurimi: alterius ualde quàm pauci: tertij pauciss imi. Omnis autem generis nobiles tantas laudes habent, quãtas eis tribuerunt uarij scriptores, sed in primis historici & poetæ, qui illis donarunt immortalitatem. attamen qui ediderunt, se ipsi tradiderunt hominum memorię sempiternæ: maxime si extent eorum libri, & tales sint, ut ex eis magnum fructum capere possimus. Sed cum in ueteribus & honestis nostrorum hominum familijs sint aliquot uiri, quorũ uirtus in proximis bellis adeo enituit, ut posteris clara & insignis sit futura, tu cũ uno & altero ex istis & natura & uirtute & literis nobilis. etenim primum antiqua es Carolouiciorum stirpe ortus: deinde turbulentissimis istis temporibus plurimũ laboris sumpsisti, & maxima pericula subijsti pro patria: tum denicq; Latinis & Græcis literis es eruditus. cuius rei indicium sunt epistolæ, quas scribis, uerbis & sententijs ornatæ. Quocirca uellem res in Germania per annos duo de triginta gestas scriptis celebrari tuis. quis enim eas accuratius literis mandare posset quàm tu, qui aliquot bellis & plurimis principũ consilijs interfuisti

fuisti? Verum si te publicorum officiorum onera ita premunt, ut hoc onus historiam scribendi suscipere nõ possis, conficies saltem cõmentarios earum rerum, & id humeris uiri, qui ipsum sustinere possit, imponas. Sed de his nunc satis. Cum abhinc annos septem & uiginti Petrum Mosellanũ, bonum planè uirum atq; doctum literis & Græcis & Latinis, Lipsiæ audires, cuius etiam ego auditor & discipulus fui, hæc cognoui, te esse adolescentem excellentissimo ingenio & suauissimis moribus: ac studiosos optimarũ artium diligere. sed cum nuper à põte Oeni redires, & me uiridi iaspide, illic effossa, donares, tuam erga me beneuolentiam magis quàm antea cœpi perspectam habere. ne igitur sim ingratus, & accepti beneficij immemor, hunc librum De mensuris, quibus interualla metimur, tibi consecraui. Superioribus quidem annis scripserunt etiam alij de eiusmodi mensuris: sed qui pedem Græcum à Romano, cubitum à cubito, palmũ à palmo, digitum à digito distinxerit, reperies neminem. nam omnes uideri possunt putasse eas Græcas mensuras à Romanis longitudine nihil differre: uerum alteras alteris æquales esse. Quanq; aũt plures nationes id genus mensuras primo constituerũt ex humanorũ membrorũ latitudine & lõgitudine, atq; ijsdẽ uocabulis, quibus ipsa mẽbra, nominauernt, tamen inter se differunt, quod raro paria sint in uno homine atq; in alio membra. Itaq; stadium Olympiacum longius erat cæteris Græciæ stadijs: cum singula pedum essent sexcentum. sed illud Hercules suis pedibus mensus fuit, hęc alij. Constat certe palmum altitudinis cuiusq; humani corporis, natura bene compositi, quartam & uicesimam partem esse. pedem, sextam: cubitum, quartam. atq; ea membrorũ inter se proportio cum Pythagoræ non esset ignota, de Herculis statura ex illius pedis longitudine, quam in stadio Olympiaco animaduertit, cõiectu ram fecit. ueruntamen membra corporis humani, natura nõ bene compositi, hanc inter se proportionem non habent. etenim primus ille Darius rex Persarum, cum omnium hominum esset formosissimus, adeo longa habuit brachia & cubita, ut ad genua demissa, ea contingerent. atq; ex ea re Longimanus est nominatus. tametsi non ignoro Plutarchum, à Strabone dissentientẽ, scribere primum Artaxerxem cognominatum Longimanum, quod dextram sinistra haberet longiorem.

Hoc autem munusculum ut nõ ex eius dignitate, sed ex animo meo spectes etiam atq; etiam uehementer oro. Vale Kempnicij Hermundurorum siue Misenorum III. Non. Maij anno M.D.XLIX.

GEORGII AGRI-COLAE LIBER DE MENSVRIS QVIBVS INTERVALLA metimur.



Ensuræ sunt duplices: alteræ quibus moles rerum liquidarum aridarumq; metimur: alteræ quibus longitudinem, latitudinem, altitudinem corporum, siue interualla. illius generis sunt uasa capacitatis disparis: huius membra humani corporis, aut perticæ, aut arundines, aut funiculi, quibus membrorum longitudo simplex est, uel dupla, uel tripla, uel multiplex. quocirca Iulius Frontinus de iure limitum id genus mensuram sic definit. Mensura est complurium & inter se æqualium interuallorum longitudo finita. uerbi causa, pes cõstat ex XVI. digitis, qui sunt complura & inter se æqualia interualla. Priorís autem generis mensuris utuntur ementes & uendentes, atq; omnino mercatores, & agricolæ, & pharmacopolæ: his uiarum & agrorum & fodinarum mensores, geographi, rei rusticæ scriptores, architecti. nonnullis etiam mercatores & reliqui artifices. sed uiarum mensores & geographi plerunq; longitudinem considerant: longitudinem uero simul cum latitudine agrorum mensores & scriptores rei rusticæ: fodinarum metatores item longitudinem cum latitudine: sed hi, sicut etiam nonnulli alij, præterea non raro seorsim altitudinem. at architecti materiæ longitudinem, latitudinẽ, altitudinem expendũt, ut etiam reliqui artifices. Liquidarum & aridarum rerum mensuras tam externas quàm Romanas & Græcas in libris, de mensuris & ponderibus inscriptis, sum persecutus. alterius generis nunc exponere decreui. Verum cum hæ ipsæ item sint uel Greçe, uel Latinæ, uel externæ, hic Grecas primo explicabo: quod Romani multas eiusmodi mensuras à Grecis mutuati sint: contra uero Græci à Romanis unam sumpserint tantum, nempe μίλιον. Quæ igitur mensuræ in hoc genere omnibus, aut certè multis, sunt cõmunes ita se habent. ὁ μὲν δάκτυλος μέτρον ἐστὶ σμικρότατον. ἡ δὲ δοχμὴ ἐστὶ δακτύλων. δ. ὅπερ μέτρον καὶ δακτυλοδόχμη παλαιστὴ καὶ δῶρον καλεῖται. ἡ δὲ λιχὰς ἐστὶ δακτύλων. ι. ὁ δ' ὀρθόδωρον ια. ἡ δὲ σπιθαμή. ιβ. ὁ δὲ πυγμὸς δοχμῶν. δ. ἤγουν δακτύλων. ις. ἡ δὲ πυγμὴ δακτύλων. ιη. ὁ δὲ πυγὼν. κ. ὁ δὲ πῆχυς. κδ. ἤγουν δοχμῶν. ς. ἡ δὲ ὀργυὰ πήχεων δ. ἤτοι ποδῶν. ς. hoc est. Digitus est minima mensura. dochme uero, id est palmus, digitorũ quatuor, quæ mensura & dacty-

lodochme & palæste & doron dicitur. Lichas autem est digitorum decem: orthodoron, undecim: spithame, duodecim: pes uero palmorum quatuor, siue digitorum sedecim: pygme, digitorũ decem & octo: pygon, uiginti: cubitum, quatuor & uiginti, siue palmorũ sex: passus cubitorum quatuor, siue pedum sex. Quædã autem Græca mensurarum nomina nunc Latine non reddo cum alias ob causas, tum maxime ob hanc, quod careãt nominibus Latinis. sed de eis singulatim dicturus, quomodo debeant, si possint, uerti, explicabo. Itaq; harum mensurarum quæq; declarat modum quem habet humani membri membrorum ue latitudo, uel longitudo, uel extensio. etenim minima mensura ex digito, quem Græci δάκτυλον uocant, cuius lati breue interuallum ipsi est, nomen inuenit. hac sæpe utitur Dioscorides. exempli causa. ἡ δὲ ῥίζα, de anchusa loquitur, δακτύλου τὸ πάχος. id est. Radix aũt crassitudine digiti. Hinc fit δακτυλιαῖος, hoc est digitalis. quod usurpat idem Dioscorides de bunio scribens βούνιον καυλὸν ἀνίησι τετραγωνον, εὐμήκη, πάχος δακτυλιαῖον. Id est. Bunium caulem profert quadrangulum, bene longum, crassitudine digitali. Quoniam uero indice & infami & medico pollex plenior & crassior est, minimus exilior & tenuior, differentiam, quæ est in herbarum radicibus & caulibus, etiam his duobus digitis explanauit. scribit enim de eryngij radice. δακτύλου τοῦ μεγάλου τὸ πάχος. Hoc est. Pollicis crassitudine. & de spinæ albæ caule. καυλὸν ὑπὲρ δύο πήχεις, δακτύλου τοῦ μεγάλου ἢ καὶ μείζονος πάχος. Hoc est. caulem habet altum supra duo cubita: pollicis crassitudine, aut etiam crassiorem. at de inulæ Ægyptiæ radice. πάχος δακτύλου μικροῦ. id est. Crassitudo ei est minimi digiti. & de caule hiacynthi. λεπτότερον τοῦ μικροῦ δακτύλου. Hoc est. graciliorem minimo digito. Similiter cum digitis foliorum latitudinem explicat Dioscorides transuersos intelligit. quo modo scribit de elaphobosco. φύλλα διδάκτυλα τὸ πλάτος. id est. Folia duum digitorum latitudine. At cum radicum longitudinem uel foliorum aut caulium altitudinem exponit digitis, de eadem mensura non sentit. ῥίζα de eodem elaphobosco loquitur, ὡς τριδάκτυλος τὸ μῆκος. hoc est. radix est fere longitudine trium digitorum. & de folijs thlaspeos. βοτάνιόν ἐστι στενοῖς τοῖς φύλλοις ὡς δακτύλου μῆκος πεπτωκόσιν ὠθὶ τῆς γῆς. Id est. herbula est angustis folijs ferè digiti longitudine in terrã uersis. & de cyclamini caule. καυλὸν δὲ τετραδάκτυλον. Hoc est. caulem habet longitudine quatuor digitorum. Eiusmodi autem multa, quæ exempli causa ex diuersis scriptoribus ponam, si nõ ad aliud, certe ad hoc sunt utilia, ut in ueteri loquendi consuetudine non simus rudes, sed ea, si quando usus fuerit, optime utamur. Sequitur δοχμὴ quæ ab accipiendo est appellata. eam Latini palmum nominant. cõstat autem ex quatuor digitis. scribit enim Iulius Pollux. δοχμὴ δὲ συγκλεισθέν-

τες

Digitus

palmus

τες οἱ τέσσαρες δάκτυλοι. id est. Dochme uero sunt quatuor digiti conclusi. trãsuersa enim manu metimur. hac mensura utitur Aristophanes in Equitibus. allantopola uero de corio loquens carpit Cleonem.
καὶ πρὶν ἡμέραν φορῆσαι, μεῖζον ἦν δυοῖν δοχμαῖν. hoc est.
Ante quàm dies abiret, maius bino palmo erat.

Eadem mensura, ut apud eundem Pollucem scriptum est in secundo libro, δακτυλοδόχμη uocatur. quod nomen ex digitis & palmo reperit. Eadem, ut idem autor est, παλαιστὴ nuncupatur. ὅτι πέλας συνάγει τὰ ὀστᾶ, τουτέστι πλησίον ποιεῖ τοὺς δακτύλους. id est, quod prope coniungat ossa digitorum. ea enim de causa sic nominatam esse Græcus quidam putat. cum Polluce Hesychius facit. παλαιστὴ inquit, τὸ τετταρῶν δακτύλων μέτρον. hoc est. Palæste est quatuor digitorum mensura. Eadem etiã παλαιστὴς, ut Pollux, nominat̃ genere masculino. Ab hoc uerbo fit παλαιστιαῖος. quod usurpat Dioscorides cũ scribit de ueratro albo. καυλὸν δὲ παλαιστιαῖον. id est. caulem autem habet palmi altitudine. ab eodem deducitur διπάλαιστος. quod ponit Xenophon in libro De uenatione ubi præcipit de Retibus. διπάλαιστοι δὲ τοὺς βρόχους. quod est. eorum laquei distent inter se duos palmos. & Dioscorides. καυλία de phalaride herba loquitur, ἀνίησι ἐκ ῥιζῶν λεπτῶν καὶ ἀχρήστων πολλὰ, διπαλαιστα, γονατώδη. hoc est. colicu los emittit è tenuibus & inutilibus radicibus multos, duorum palmorum longitudine, geniculatos. ab eodem formatur τετραπάλαιστος. quo utitur in libro secũdo. cuius uerba postea afferam. ex eodem componitur πενταπαλαιστος. Xenophon ibidem. τὰ δὲ προβόλια πρῶτον μὲν λόγχας ἔχοντα, τὸ μὲν μέγεθος πενταπαλαίστους. id est. Venabula uero primo ferrum habeant longum quinq; palmos. ex eodem fit ἑξαπάλαιστος. quod item Herodotus ibidem usurpat. Eadem denique mensura δῶρον est dicta ἀπὸ τοῦ τὰ πλεῖστα διὰ τῆς χειρὸς ἡμᾶς δωρεῖσθαι, ἀφ' ἧς μετρεῖται ἡ παλαιστή. hoc est. Ab eo quod plurimas res manu nos demus, qua metimur palmum. quocirca Vitruuius libro secundo de laterum generibus, quorum unum Gręce δίδωρον uocatur, alterum τετραδωρον, tertium πεντάδωρον, scribit. δῶρον autem Græci appellant palmum, quod munerum datio Gręce δῶρον appellatur. id autem semper geritur per manus palmum. At Plinius de ijsdem laterum generibus ait. Græci enim antiqui δῶρον palmum uocabant, & ideo δῶρα munera quia manu darentur. usus est hoc uocabulo mensuram declarante Homerus. canit enim
τοῦ κέρα ἐκ κεφαλῆς ἑκκαιδεκάδωρα πεφύκει Id est
Cui palmos creuere decem & sex cornua fronte.

Et Hesiodus in lib. secũdo operis, quod inscribitur, Opera & dies.
τρισσίθαμον δ' ἄψιν τάμνειν δεκαδώρῳ ἁμάξῃ hoc est
Curuatura rotæ ternis dodrantibus, ut sit

In latum currus palmis bis quinq

Λιχὰς autem est interuallum inter pollicem & indicem, cum, quàm fieri possit maxime, distenduntur. inquit enim Pollux. εἰ δὲ τὴν μέγαν δάκτυλον τῷ λιχανῷ ἀντιτείνας, τὸ μέτρον λιχάς. Id est. Si pollicem ad partem indici contrariam tendis, mensura lichas dicitur. hæc uero mensura, ut apud Græcum est, qui tradit qua de causa quodq uerbum sit ita nominatum, est decem digitorum. hoc est duorum palmorũ & dimidij. scribit uero sic. ποιεῖ δὲ ἀπὸ τοῦ μεγάλου δακτύλου πρὸς τὸ λιχανῶδες ἄκρον δακτύλους δέκα. id est. Interuallũ inter pollicem & summam indicis partem efficit decem digitos. hæc mensura quia nomen ei non posuerunt Latini, retinebit Græcum. At lichade longior est, nimirum circiter digitum unum, mensura uocata ὀρθόδωρον, quod rectum palmum interpretor. est uero interuallum inter primam palmæ partem, καρπὸν Græci nominant, & supremam medij digiti. etenim Pollux ait. τὸ δ' ἀπὸ τοῦ καρποῦ ἕως ἄκρου δακτύλου ἡ πᾶσα χεὶρ ὀρθόδωρον. hoc est. Tota manus à prima palmæ parte usq ad summam digitorum partẽ orthodoron uocatur. Et Hesychius. ὀρθόδωρον μέτρον τὸ ὀρθὸν τ χέρος ἀπὸ τοῦ καρποῦ μέχρι τ τῶν δακτύλων ἄκρου. id est. Orthodoron est recta mensura manus à prima palmæ parte usq ad supremam digitorum partem.

σπιθαμὴ uero, quam, qui Latina conuertit de Græcis, dodrantem recte uocabit, digito rursus longior est quàm orthodoron: nempe trium palmorum. quantum est digitis extensis interuallum inter minimum digitum & pollicem. id partim ex his Iulij Pollucis uerbis potest intelligi. εἰ δὲ τὸν δακτύλους ἐκτείνας ἀπὸ τοῦ μεγάλου πρὸς τὸν σμικρὸν παῦρ μετρεῖς, σπιθαμὴν τὸ μέτρον. hoc est. Si uero digitis extensis à pollice usq ad minimum metiaris, ea mẽsura spithame uocatur. partim ex eius Græci, qui uocabula interpretatur, his uerbis. ἡ δὲ σπιθαμὴ ἔχει δοχμὰς τρεῖς, ὁμοίως καὶ παλαιστὰς τρεῖς: δακτύλους δὲ δώδεκα. ὡς ἐχούσης τῆς δοχμῆς δακτύλους τέσσαρας, ὁμοίως καὶ τῆς παλαιστῆς. ἀπὸ δὲ τοῦ μικροῦ δακτύλου διαμηκύνων τῶν δακτύλων ἕως τ ἀντίχειρ λέγεται σπιθαμὴ παρὰ τὸ ἀποσπᾶν ποιεῖν ἀπὸ τ ἄκρου τοῦ ἀντίχειρ πρὸς τὸ μικρὸν ἄκρον. Id est. Spithame habet dochmas tres, similiter palæstas tres: digitos uero, duodecim. quod dochme quatuor habeat digitos, similiter palæste. diductis enim digitis spatiũ quod est inter minimum & pollicem dicitur spithame: ab eo quod summam pollicis partem diuellamus à summa minimi digiti parte. Cum his consentit Hesychius. σπιθαμὴ, inquit, τὸ μέτρον τὸ ἀπὸ τοῦ μεγάλου δακτύλου ὡς τὸν μικρὸν διάσημα ἐκτεθέν. hoc est mensura siue interuallum inter pollicem & minimum digitum interiectum. hac mensura non raro utitur Dioscorides. κλωνία, sic scribit de aristolochia, λεπτὰ ὡς σπιθαμῆς τὸ μέγεθος. Id est. Ramulos tenues habet longos ferè dodrantem. hinc deriuatur σπιθαμαῖον

μιαῖος. idem de leontopodio σπιθαμιαῖον ἐστι βοτάνιον. hoc est. dodrantalis est herbula. hinc δισπίθαμος. idem de ambrosia. ἡ δὲ ῥίζα λεπτὴ, δισπίθαμος. id est. Radix autem tenuis, longa duos dodrantes. hinc τρισπίθαμος. idem de eadem ambrosia. θαμνίσκος ἐστι τρισπίθαμος τὸ ὕψος. hoc est. Frutex est altus tres dodrantes. Aetius Amidenus maluit dicere σπιθαμῶν τριῶν. scribit enim lib. XIII. de uipera. μέγεθος δὲ πήχεως, τοῦ δὲ μεγίστης σπιθαμῶν τριῶν. id est. Ei longitudo cubiti, sed maximæ trium dodrantum. etsi quædam exemplaria non emendata habent παλαιστῶν. hinc denique πεντασπίθαμος. Xenophon in libro De uenatione, ubi præcipit de retibus. τὸ δὲ μέγεθος πεντασπίθαμοι. quod est. alta sint quinque dodrãtes. Sed πούς, id est pes, est sedecim digitorum, siue palmorũ quatuor. quod ex Herodoti uerbis perspicuum est. qui sic ait in libro secundo, quem Euterpe inscripsit. αἱ δὲ ἑκατὸν ὀργυιαὶ δίκαιαί εἰσι στάδιον ἑξάπλεθρον. ἑξαπόδου μὲν τοῦ ὀργυιῆς μετρεομένης καὶ τετραπήχεος. τῶν ποδῶν μὲν τετραπαλαίστων ἐόντων. τοῦ δὲ πήχεος ἑξαπαλαίστου. hoc est. Centum autem iusti passus sunt stadiũ unum quod sex sit plethrorum. ut passum sex pedibus metiamur, & quatuor cubitis. pedes uero sint quatuor palmorum: cubitum autem sex palmorum. Suidas quoque scribit. ὁ πούς ἔχει δακτύλους. ις. id est. Pes habet digitos sedecim. hoc utitur Solon in legibus ut est apud Plutarchum. ὥρισε δὲ καὶ φυτειῶν μέτρα μαλ' ἐμπείρως. τοὺς μὲν ἄλλοτι φυτεύοντας ἐν ἀγρῷ πέντε πόδας ἀπέχειν τοῦ γείτονος κελεύσας. τοὺς δὲ συκῆν, ἢ ἐλαίαν, ἐννέα. hoc est. Experientissime autẽ etiam definiuit modos plantationis. ut qui in agro cuiusuis alterius arboris sereret surculos, quinque pedes à fundo uicini abstineret: qui fici uel oleæ, nouem. & Xenophon libro primo de Cyri ascensu ad Babylonẽ. τοῦ δὲ μαρσύου τὸ εὖρος εἴκοσι καὶ πέντε ποδῶν. id est. Marsyæ autem latitudo est pedum quinque & uiginti. & Dioscorides de conyzis. ὕψος δὲ τοῦ καυλοῦ, ἡ μὲν μείζων δύο πήχεων ἔχει, ἡ δ' ἐλάττων ποδός. hoc est. Caulis conyzæ maioris altitudine est duûm cubitorum: minoris, pedis. ex eo formatur ποδιαῖος, id est pedalis. ex eodem componitur ἡμιπόδιον, id est semipes: & δίποδος. id est duos pedes longus uel latus uel altus. unde fit διποδιαῖος, id est bipedalis: & τρίποδος id est tres pedes longus, uel latus, uel altus: ac similia. at δίπους aliud significat, eum scilicet qui habet duos pedes: τρίπους, qui tres: τετράπους, qui quatuor. ex eodẽ etiã cõponitur τριημιπόδιον id est tres semipedes, siue sesquipes: & πεντημιπόδιον, id est quinque semipedes. Hesiodus

ὁλμὸν μὲν τριπόδην τάμνειν, ὕπερον δὲ τρίπηχυν
ἄξοναθ' ἑπταπόδην, μάλα γὰρ νύτοι ἅρμενος οὕτω.
εἰδέκεν ὀκταπόδην, ἀπὸ καὶ σφύρην τε τάμοιο. hoc est
Alta pedes facito ternos mortaria, ternos
Pistillum cubitos: quo non est aptior, axem

Septe

Septenûmq; pedum. uerum ut sit forsitan octo,
Tum pars, quæ superat, mallei resecetur in usum.

Xenophon in œconomico. βοθύνους μὲν γ' οἵους ὀρύττουσι τοῖς φυτοῖς, οἶδ' ὅτι ἑώρακάς φη. καὶ πολλάκις ἔγωγε ἔφην. ἦ δ' ἢ πυὰ ὃν αὐτῶν εἴδες βαθύτερον τριπόδων; ὃ δὲ μὰ δί' ἔγωγ' ἔφη ὡς πεντεπόδων. τὶ δὲ τὸ πλάτος ἦ δ' ἢ πυὰ τριπόδων πλέον εἶδες; ὃ δὲ μὰ δί' ἔφη ἐγὼ διπόδων. ἴθι δὴ ἔφη καὶ τόδε ἀποκρίναι μοι ἦ δ' ἢ πυὰ εἶδες τὸ βάθος ἐλάττονα διποδιαίων. ὃ δὲ μὰ δί' ἔφη ἔγωγε τριημιποδίων. καὶ γὰρ ὀρύττοιτο ἂν σκαπτόμενα ἔφη ἐγὼ τὰ φυτὰ εὐλίαν γε οὕτως ὥστε πολὺ πεφυτεῦσθαι ἐλάττονα εἶη. ὀκοῖ μὲν ἔφη, ὦ σώκρατες ἱκανῶς οἶδα. ὅτι οὔτε βαθύτερον πεντεποδίων ὀρύττουσιν, οὔτε βραχύτερον τριημιποδίων. Id est. Scrobes quales fodiunt stirpibus noui quod uidisti, inquit. sæpe ait. uidisti ne altiorem tribus pedibus? nõ per Iouem altiorem quinq; semipedibus. uidisti ne tribus pedibus latiorem? nõ per Iouem dixi duobus. age, inquit, etiam hoc mihi responde. uidisti ne altitudine minorem duobus pedibus? non per Iouem tribus semipedibus. etenim effodiuntur plantæ, cum fodi solẽt, si in summa seruntur tellure. igitur dixit, o Socrates, satis nosti quod neq; altiorem quinq; semipedibus fodiunt, neq; humiliorem tribus semipedibus. πῆχυς autem, quam mensuram Latini cubitum interpretantur, est pedis unius & dimidij. scribit enim Hesychius. πῆχυς ὁεῖς καὶ ἥμισυ ποὺς. hoc est. Cubitum est pes unus & dimidius. & Suidas. πῆχυς ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος μέχρι τῶν δακτύλων ἡ χειρὸς ἐκτασις. ὁ πῆχυς ἔχει πόδα ἕνα. id est. Cubitum est extensio à cubito usq; ad digitos manus. cubitum uero habet pedem unum & dimidium. Sed reuera cubitum non est interuallum medium inter flexum brachij & digitos, uerum interiectum inter flexum brachij & supremam medij digiti partem. quod ipsum Pollux his uerbis explicat. ἀπὸ δὲ τοῦ ὠλεκράνου πρὸς τὸ μέσου δακτύλου ἄκρον, τὸ διάστημα πῆχυς. hoc est. Interuallum ab interiore flexus brachij parte usq; ad summam medij digiti partem, cubitum. est igitur cubitum quatuor & uiginti digitorũ. hac mensura utitur Xenophon lib. IIII. de Cyri ascẽsu ad Babylonem. ἔχον δὲ καὶ δόρυ ὡς πεντεκαίδεκα πήχεων. id est. Hastam autem habebant, Chalybes scilicet, longam cubita ad quindecim. & Dioscorides scribens de trifolio. θάμνος ἐστὶ πήχεως μείζων. hoc est. Frutex est altior cubito. & de conyzis. quæ uerba paulo ante commemorauimus. hinc deriuatur πηχυαῖος. id est cubitalis. Hippocrates lib. I. de ossiũ fractorum curatione. ξύλον πηχυαῖον ἢ ὀλίγῳ βραχύτερον. hoc est. Lignum cubitale, aut paulo breuius. & Dioscorides de cypero. καυλὸν ἔχει πηχυαῖον ἢ κατὰ μείζονα. id est. Caulem uero habet cubitalem, aut etiam altiorem. ex eodem componitur ἡμιπηχυαῖος, hoc est dimidij cubiti mensura. Dioscorides de ormino satiuo. καυλὸς δὲ τετράγωνος, ἡμιπηχυαῖος. hoc est. Caulis autem eius est quadrangulus, dimidij cubiti

Cubitum.

altitu

altitudine. ex eodem conficitur δίπηχυς id est duorum cubitorum. Xenophon lib. VI. de Cyri disciplina. προσέθηκε καὶ δρέπανα σιδήρεα ὡς διπήχεα πρὸς τοὺς ἄξονας ἔνθεν καὶ ἔνθεν τῶν τροχῶν. hoc est. apposuit etiam falces ferreas, duo cubita longas, utrinq; ad axes rotarum. & Dioscorides de meo herba. δίπηχύ που ἀναβαίνον. id est. Duorum cubitorum altitudine alicubi se attollens. à quo deriuatur διπηχυαϊκή. quo nomine Græci appellant interscalmium, ut autor est Vitruuius libro primo cap. II. quod duûm cubitorum interuallũ sit inter scalmos. ex eodem conflatur τρίπηχυς. id est trium cubitorum mensura. Xenophon lib. IIII. de Cyri ascensu ad Babylonem. ἄριστοι δὲ τοξότζ ἦσαν. εἶχον δὲ τόξα ἔγγυς τριπήχη. τὰ δὲ τοξεύματα πλέον ἢ διπήχη. hoc est. peritissimi autem erant (de Carduchis loquitur) sagittarij. arcus habebant ternûm cubitum: sagittas longiores cubitis duobus. & Dioscorides de medio herba. καυλὸς τρίπηχυς. id est. caulis ipsi est tria cubita altus. ex eodem deniq; componitur ἑξάπηχυς id est sex cubitorum. Xenophon lib. V. de Cyri ascensu ad Babylonem. ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ πέλτον ἑξάπηχυ. hoc est. dextra (de Mosynœcis loquitur) iaculum tenebant cubitum senûm.

Sed quasi decurtata cubita sunt πυγὼν & πυγμή. quales uero sint mensuræ exponit Pollux. εἰ δὲ συγκάμψειας τοὺς δακτύλους ἀπ' ἀγκῶνος ἐπ' αὐτοὺς, πυγὼν τὸ μέτρον. εἰ δὲ συγκλείσειας, πυγμή. id est. Si simul flexeris digitos, à cubito ad ipsos mensura pygon dicitur: si concluseris, pygme. uerum Hesychius pygonis mensuram magis expedite explicat. πυγὼν μέτρον τὸ ἀπὸ τοῦ ὠλεκράνου, ὅπερ ἐστὶν ὁ ἄγκων, ἕως ἔξω τοῦ χειρὸς συγκεκαμμένων δακτύλων. hoc est. Pygon mensura est à cubito usq; ad extremã manus partem cum digiti inflexi fuerint. pygon igitur digitis ferè quatuor, pygme sex breuior est quàm cubitũ, quod à Græcis πῆχυς nominatur. itaq; pygonem licebit Latine reddere cubitum decurtatum maius uel palmipedem: pygmen, minus. utitur pygonis mensura Xenophon in libro De uenatione. τὸ δὲ βάθος τῶν βρόχων πυγόνος. quod est, laqueis autem sit altitudo pygonis. & Aelianus. τετράγωνοι δ' ἄμφω, πυγόνος δὲ τὸ μῆκος id est. ambo sunt quadrati, sed eis pygonis longitudo. ex hoc uocabulo Homerus lib. X Odysseæ formauit πυγούσιος.

βόθρον ὀρύξαι ὅσον τε πυγούσιον ἔνθα καὶ ἔνθα. hoc est
In latum longumq; scrobem fodisse pygonis
Mensura.

Interpres recte exponit πυγονιαῖον. Ex pygme uero Pygmæos nomen inuenisse autor est Eustathius Homeri interpres.

At ὀργυιὰ, quã Latini passum uocãt, qualis sit mensura itẽ explicat Pol. εἰ δ' ἄμφω τὰς χεῖρας ἐκπεία, ςνὼς καὶ τὸ στέρνον αὐταῖς συμμετρεῖν ὀργυιὰ τὸ μέτρον. id est. si uero ambas manus extẽderis ut & pectus una

cum

cum eis metiaris, mensura dicitur orgyia. idem sentit Græcus qui uocabula interpretatur. ὀργυὰ σημαίνει τὴν ἔκτασιν τῶν χειρῶν σὺν τῷ πλάτει τοῦ στήθους. παρὰ τὸ ὀρέγειν καὶ ἐκτείνειν τὰς γυίας. ὅ ἐστι τὰς χεῖρας hoc est. orgyia significat extensionē manuū cū latitudine pectoris. sic appellata à porrigendo & extendēdo mēbra, id est manus. nec ab eis dissentit Hesychius qui sic scribit. ὀργυὰ ἡ τῶν ἀμφοτέρων χειρῶν ἔκτασις, ἢ τὸ μέτρον, ἀπὸ τοῦ τὰς γυῖα μετρεῖν, ἢ πήχεις τεσσαρσί. id est. orgyia est utriusq; manus extensio & mensura. ex eo nominata quod membra metiantur. est autem quatuor cubitum, siue pedum sex ut Herodotus declarat. usurpat hanc mensuram Solon legislator, ut est apud Plutarchum. ἐὰν δ' ὀρύξαντες ὀργυιῶν δέκα βάθος παρ' ἑαυτοῖς μὴ εὕρωσι, τότε λαμβάνειν παρὰ τοῦ γείτονος ἑξάχοα ὑδρίαν, δὶς ἑκάστης ἡμέρας πληροῦν τοὺς. hoc est. sin autem fodientes altitudine decem passuum in proprijs fundis non inuenerint aquam, tunc licebit à uicino accipere hydriā sex congiorū capacem: eamq; bis singulis diebus implere. & Xenophon lib. i. de Cyri ascensu ad Babylonem. κατὰ γὰρ μέσον τὸν σταθμὸν τοῦτον τὸν φρούριον ἦν ὀρυκτὴ βαθεῖα. τὸ μὲν εὖρος, ὀργυιαὶ πέντε. τὸ δὲ βάθος, ὀργυαὶ τρεῖς. id est. in medijs castris erat fossa quinq; passus lata, tres alta. ex hoc uerbo fit ὀργυιαῖος. id est mensura passus. ex eodem conficitur τριόργυιος. hoc est trium passuum mensura. Xenophon lib. vi. de disciplina Cyri. ἦν δὲ τὸ τριόργυιον μάλιστα ἀπὸ τῆς γῆς σὺν τροχοῖς. hoc est. erat autem hoc (domicilium scilicet) à terra una cum rotis altum tres passus. ex eodem componitur τετραόργυιον. id est quatuor passuum mensura. Hactenus de mensuris dixi quæ declarant modū, quem habet humani alicuius membri mēbrorum' ue latitudo, uel longitudo uel extensio: nunc de alijs dicam quæ ex pede multiplicato solent oriri. τὸ μὲν δὴ πλέθρον ἔχει ποδῶν ς. τὸ δὲ στάδιον, χ. ὁ δὲ δίαυλος στάδια. β. τὸ δὲ ἱππικόν. δ. τὸ δὲ μίλιον. η. ὁ δὲ δολιχός. ιβ. id est. Plethron igitur habet pedes centum: stadium uero, sexcentos. diaulos autem, stadia duo: hippicon, quatuor: milliare, octo: dolichos, duodecim.

πλέθρον, quod caret Latino nomine, centum esse pedum affirmat Suidas. ἔχει ἦ, inquit, τὸ πλέθρον ποδῶν ς. hoc est. habet aūt plethrū pedes centū. idem colligitur ex Herodoti uerbis supra citatis. si enim stadiū est sexcentū pedū, sex uero plethrorū, necesse est plethrū pedū esse centū. at Homeri interpres Odysseæ lib. v. scribit. πλέθρον μέτρον γῆς ἔχον πήχεις ξς. id est. plethrū mensura terræ habens cubita sex & sexaginta. tot quidē habet cubita, sed unū præterea pedē, atq; sic etiam Suidæ uerba, quæ postea afferā, sunt intelligenda. utitur hac uoce Xenophon, maxime cum latitudinem amnium solet explicare. ut lib. ii. de Cyri ascensu ad Babylonem. τὸ εὖρος πλέθρου. hoc est latitudo plethri. loquitur uero de Physco fluuio. & τὸ εὖρος τετταράκοντα πλέθρων. id est. latitudo quatuor plethrorum. nimirum Zabati fluuij. & lib. iii. παρὰ τὸν

τὸν

τὴν τὴν πόλιν ἦν πυραμὶς λιθίνη. τὸ μὲν εὖρος, ἑνὸς πλέθρου. τὸ δ' ὕψος, δύο πλέθρων. hoc est. ad eandẽ urbem erat pyramis lapidea lata plethrum unum, duo alta. hinc fit πλεθριαῖος, id est plethri mensura. idem Xenophon de Cyri ascensu ad Babylonem lib. I. sic scribit de Masca fluuio. τὸ εὖρος πλεθριαῖον. hoc est. latitudo plethri. ex eodẽ uerbo componitur ἡμίπλεθρον. id est. dimidium plethrum. Xenophon ibidem lib. IIII. τὸ δὲ χωρίον, ὡς καὶ σὺ ὁρᾷς, σχεδὸν τρία ἡμίπλεθρα· hoc est. locus, ut & tu uides, ferme trium dimidiorum plethrorum est longus. ex eodem conficitur δίπλεθρος. id est duorum plethrorum mensura. Xenophon ibidem de Centrite fluuio. εὖρος ὡς δίπλεθρον. hoc est. latus ad duo plethra. Sequitur στάδιον, quod etiam στάδιος dicitur. huic mensuræ similiter nomen non posuerunt Latini, sed retinet Græcum. stadium uero esse pedum sexcentûm ex Herodoto intelligitur. atq; etiam ex Suida qui scribit. στάδιον ἔχει πόδας. χ. id est. Stadium habet pedes sexcentos. qui autem stadiũ currũt, σταδιεῖς & σταδιοδρόμοι à Pindaro dicuntur. quales fuerunt Xenophon Corinthius, Asopichus Orchomenius, Thrasideas Thebanus, Dinias filius Megæ. ad quod cursorum certamen respiciens Aristophanes in nubibus inquit. τῶν ἑλλήνων εἶναι μὲ λέγειν ἑκατὸν σταδίοισι ἄριστον. hoc est

Stadium.

Existere Græcis dicito me centum stadijs meliorem. hac mensura Græci, ut Latini passu, locorum interualla solent explicare. itaq; Strabo sæpius utitur stadio in geographia & Xenophon in libris rerum Græcarum. uerbi gratia. Strabo lib. III. εἶθ' ὕστατον τε ἱερὸν ἀκρωτήριον διέχον τῶν γαδείρων ἔλαττον ἢ δισχιλίους σταδίους. id est. ultimũ sacrum promontoriũ distans à Gadibus minus duobus millibus stadiorum. & Xenophon lib. II. rerum Græcarum. προεκαλοῦντο δὲ τῶν μακρῶν τειχῶν ὠθεῖ δέκα σταδίους καθελεῖν ἑκάτερον. hoc est. iubebant autem utrunq; murum longum ad decem dirui stadia. Stadium uero ueteribus dicebatur αὐλὸς, unde δίαυλος duo stadia. quod scribit is qui uocabula interpretatur. στάδιον κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐκαλεῖτο αὐλὸς, ὅθεν δίαυλος τὰ δύο στάδια. id est. Stadium apud ueteres dicebatur aulos, unde diaulos duo stadia. idem ex Polluce percipitur. δίαυλος, scribit, καὶ διαύλου ἀγωνιστὴς, καὶ ἀγωνιζόμενος τὸ διπλοῦν στάδιον. hoc est. diaulos & diauli certator, & certans duplex stadium. stadio enim perfecto reuertebatur. quare Suidas. δίαυλος ὁ διττὸν ἔχων τὸν δρόμον ἐν τῇ πορείᾳ, τὸ πληρῶσαι τὸ στάδιον καὶ ὑποστρέψαι. id est. diaulos habet duplex curriculum. cursor enim decurso stadio ad carceres recurrit. id uero διαυλοδρομεῖν Græci nominant. quod uerbum Aristoteles in secundo libro De ortu animantium ponit. Hippocleus Thessalus ut nobilis διαυλοδρόμος laudatur à Pindaro in Pythijs. ἱππικὸν autem quod ex cursu equorum nomen inuenit, est quatuor stadiorum. quod his uerbis declarat Plutarchus in Solone. ὅπου μέν ἐστι δημόσιον φρέαρ

Hippicum.

ἐν τῷ ἱππικῷ χρῆσθαι τούτῳ. τόδ' ἱππικὸν διάστημα τεσσάρων ἦν σταδίων.
hoc est. ubi publicus est puteus eo intra hippicũ uti licet. est uero hippicum spatium quatuor stadiorum. At μίλιον, quod Latini à quibus Græci hoc nomen mensuramq; sumpserũt, milliare uocant, est pedum Græcorum IIII DCCC. siue, ut Hero tradit, stadiorum octo. Græci hac mensura, cum Latinorũ scripta cõmemorant, utuntur. ut Strabo lib. III. τινὲς δ' ἀπὸ μὲν τοῦ ἱερῶ ἀκρωτηρίου ὠθὶ τὸ τοῦ ἄνα στόμα ἑξήκοντα μίλια φασί. id est. quidam à sacro promontorio usq; ad os Anæ fluuij sexaginta milliaria esse dicunt. & lib. VI. αὐτὸς δ' ὁ κόλπος ἔχει περίπλουν ἀξιόλογον μιλίων διακοσίων. μ. hoc est. ipse autẽ sinus insignem habet nauigandi circuitum: nimirum milliarium ducentorum quadraginta. Δολιχὸν uero esse duodecim stadiorũ ex Heronis uerbis potest intelligi, qui sic scribit. στάδιον κατὰ μῆκος ἔχει πόδας. χ. δίαυλος. αβ. μίλιον στάδια. η. δολιχὸς στάδια ιβ. id est. stadium in longitudine habet pedes DC. diaulus MCC. milliare stadia VIII. dolichus stadia XII. Xenophon lib. IIII. de Cyri ascensu ad Babylonem. ἠγωνίζοντο δὲ παῖδες μὲν στάδιον τῶν αἰχμαλώτων οἱ πλεῖστοι. δολιχὸν δὲ κρῆτες πλείους ἢ ἑξήκοντα ἔθεον. hoc est. Pueri plurimi captiui stadium decurrerũt: dolichum autem Cretenses plures quàm sexaginta. in Olympijs celebratur à Pindaro Ergoteles Himeræus, ut ex hoc genere certaminis nobilis & clarus. Hæ igitur sunt mẽsuræ Græcæ, quibus uarij scriptores, ut ex iam dictis perspicuum est, utuntur. etenim herbarijs in usu sunt δάκτυλος, παλαιστὴ, ποὺς, πῆχυς, ut Dioscoridis uerba supra citata declarant. architectis uero eædem. quod ex Vitruuio liquet, qui Græcorum scripta citat. nam Græci qui de architectura scripserũt non extant. at geographi usurpant πόδα, ὀργυιὰν, πλέθρον, στάδιον, μίλιον, ut ex Xenophõte, Strabone, Arriano, Hannone Carthaginiẽsi potest intelligi. rei uero rusticæ scriptoribus in usu sunt δάκτυλος, παλαιστὴ, ποὺς, πῆχυς, ὀργυιὰ, ἄρουρα, πλέθρον, κλίμα, quod declarãt hi quorũ scripta cõgessit nescio quis & γεωπονικὰ inscripsit. apud quẽ Diophanes his partim utitur, partim Florentinus. etenim Diophanes. καὶ μετὰ ἡμέρας. κη. βλάστους φύσει τετραπαλαιστιαίους. οὓς μεταφύτευσον μὴ εἰς βάθος πλέον παλαιστῶν. δ. καὶ ἐν τῷ δύο μηνῶν ὑπὲρ πηχυαῖον μέγεθος φυήσονται. id est. & post dies octo & uiginti producent germina palmos quatuor alta. quæ transplanta non altius quatuor palmis. & intra duos mẽses supra quàm sit cubitalis altitudo crescent. Florentinus uero. ἐμοὶ δοκεῖ μὴ ἧττον τεσσάρων ποδῶν ποιεῖν τοὺς βόθρους τῶν ἀμπέλων. hoc est. ut mihi uidetur scrobes uitium non humiliores faciendi sunt quatuor pedibus. Orgyiam autẽ usurpat Solon in legibus, ut est apud Plutarchum. nam lex supra citata ad agricolas pertinet. At plethrum ponit lib. II. γεωπονικῶν Florentinus. καὶ πλέθρον δὲ τῶν παλαιῶν ἀμπέλων ἐν τῇ εὐέργῳ καὶ βοτάνας μὴ ἐχούσῃ καὶ πλαγίᾳ γῇ ὑπὸ τριῶν πολλάκις

Milliare

Dolichus

κις ἐργάζεσθαι. id est. plethrum uero ueterum uitium in tractabili & herbas non habente & decliui terra sæpe à tribus operarijs excoli. Idem à poetis potissimum dicitur πέλεθρον. Sed in georgicis quæ eius latitudo fuerit in dubium uocatur. etenim Suidas dicit quoquo uersus esse pedum octo & triginta, alij centum. quomodo Suidæ plethrũ efficit pedes mille quadringentos quadraginta quatuor: aliorum, pedum decem millia. scribit enim Suidas. πλέθρον τὸ τοῦ σταδίου ἕκτον μέρος. ὅπερ ἐστὶ πηχῶν ξς. ὅλον γὰρ τὸ στάδιόν ἐστι τετρηκοσίων. ἢ πανταχόθεν ἔχον πόδας. λη. hoc est. Plethrum, sexta stadij pars, est cubitorum sex & sexaginta. nam integrum stadium est cubitorum quadringentorum. aut quoquouersus habens pedes octo & triginta. Aliorum sententiam explicant hæc Hesychij uerba. πέλεθρον μέτρον γῆς. ὅ φασι μυρίους πόδας ἔχειν. τινὲς δὲ σταδίου ἕκτον. id est. plethrum mensura terræ. quam dicũt decem mille pedes habere. quidam uero sextam stadij partem. Alteri quidem longitudinem & latitudinem plethri, ut solent rei rusticæ scriptores, considerauerunt: alteri longitudinem tantum, ut consueuerũt geographi. Sed ex rei rusticæ scriptoribus Græcis qui extant, uidetur colligi posse totum etiam plethrũ georgicum ex centum tantũmodo pedibus constare. id quod ex sequentibus perspicuum fiet. Plethri autem dimidiũ est ἄρουρα. scribit enim Suidas. ἡ ἄρουρα πόδας ἔχει. ν. hoc est. arura pedes habet quinquaginta. κλίμα uero quod quoquouersus pedum esse sexaginta Columella tradit, etiam in numero modorum ruris fuisse Græcis nomen uidetur indicare. Restat ut coarguam errores, quos scriptoribus aut interpretibus inscitia mensurarum attulit. Primo δοχμὴν falso interpretatur σπιθαμὴν Manuel Moschopulus in libro περὶ σχεδῶν. nam παλαιστὴν significat. Deinde in errore uersatur Omnibonus Leonicenus, qui in Xenophontis libro De uenatione παλαιστὴν uertit ulnam, quod hæc mensura sextuplo maior sit quàm illa. Tum per errorem etiam lapsi sunt hi qui δῶρον quinq; digitorum esse tradiderunt: cum quatuor tantum sit. quorum sententiam affert Robertus Senalis episcopus pius atq; doctus.

Plinius autem σπιθαμὴν recte interpretatur dodrantẽ. etenim σπιθαμὴ digitorum est duodecim, dodrans nouem unciarum, quæ item duodecim efficiunt digitos. uerba Plinij sunt in libro septimo capite 11. Super hos extrema in parte montium Pygmæi narrantur ternas spithamas longitudine, hoc est ternos dodrantes non excedentes. at idem Plinius, ubi in chamæleonte nigro & in polio σπιθαμὴ legitur, non bene reddit palmum. nisi quis ea non de Dioscoride, sed de alio quodam Græco expressa dicat. uerum istius defensioni rerum natura reclamat. nam id genus herbarum caules alti tres palmos esse solent. Nec Hermolaus Barbarus apud Dioscoridem in narcisso σπιθαμὴν recte uertit semipedem: quod palmo sit longior quàm semipes. Sed

magis errat Merula qui ſuper hoc Iuuenalis ſat. XIII. de Pygmæis,

Tota cohors pede non eſt altior uno. ſic ſcribit, hæc menſura Græce ὠιθαμὴ dicitur, hoc eſt dodrãtes tres. non ſatis memoria tenuit Plinij uerba. Quin etiam errore ducitur Raphael Volaterranus cum in œconomico Xenophontis ϖϖτημιπόδιον quadrapedaneum & ſemis conuertit, & τριημιπόδιον bipedaneum & ſemis: cum ϖϖτημιπόδιον ſignificet quinq; ſemipedes, & τριημιπόδιον tres. ſi Xenophon reliquiſſet ſcriptum πέμπτον ἡμιπόδιον & τρίτον ἡμιπόδιον, recte ita reddidiſſet Volaterranus. etenim τρίτον ἡμιτάλαντον Græcis ſignificat duo talenta & dimidium, & πέμπτον ἡμιτάλαντον quatuor talenta & dimidium. ſed τρία ἡμιτάλαντα & τριημιτάλαντον ſignificant tria ſemitalenta: & πέντε ἡμιτάλαντα atq; πεντημιτάλαντον quinq; ſemitalenta. itaq; prima loquendi conſuetudo, cuius tunc ipſi uenit in mentem, eum induxit in hunc errorem. In maiori autem errore uerſatur Lapus Florentinus, qui in Plutarchi Solone ὀργυιὰν palmam conuertit. nam palma menſura non eſt, ſed palmus, nec ὀργυιὰ Latinis ſignificat palmum, ſed paſſum, atq; ὀργυιὰ conſtat ex palmis quatuor & uiginti. Nec Laurentius Valla, cum Herodoti hiſtorias de Græcis expreſsit, πλέθρον recte uertit iugerum: nec quiſquam eorum qui eum ſequuntur. etenim cum ſtadium ſit ſex plethrorum, ut ipſe Herodotus aſſerit, erit plethrũ centum pedum, quod ſtadiũ ſit ſexcentum. ſi igitur plethrum eſt centum pedum, ut ſanè eſt, qui poteſt eſſe iugerũ? cum id ſit pedum XXVIIIDCCC? quod ſi etiã ſola iugeri longitudo conſideranda fuerit, quoniã ea eſt pedum CCXL. plethrum ne dimidium quidem iugerum erit, quod tantũmodo centum pedes ſit longum. deinde quia plethrum milij ſeminis non plus, quàm manus capere poſſit, recipit ex Florentini ſententia, quæ eſt in ſecũdo libro γεωπονικῶν: & eiuſdem milij, ut Columella tradit libro II. cap. IX. ſextarijs ferè quatuor iugerum implent, quis non intelligit etiam georgicum plethrum iugerum eſſe non poſſe? Sed opponat mihi quiſpiam poetas Latinos, qui πλέθρον reddere ſolent iugerum. Homerus lib. XI. Odyſſeæ ſcribit de Tityo.

καὶ Τιτυὸν εἶδον γαίης ἐρικυδέος υἱόν
κείμενον ἐν δαπέδῳ, ὅς ῥ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα.

Id Virgilius in ſexto Æneidos ſic conuertit.

Nec non & Tityon terræ omnipotentis alumnum
Cernere erat: per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur.

Nec ab eo diſsidet Tibullus lib. I. ele. III. nec Propertius lib. III. ad amicam iratã: nec Ouidius lib. quarto metamorphoſeon, ut omittam Lucretium & cæteros. Tibulli uerſus ſunt.

Porrectusq; nouem Tityus per iugera terræ,

Aſsiduas

Aſsiduas atro uiſcere paſcit aues.

Propertij,

Num tribus infernum cuſtodit faucibus antrum
Cerberus, an Tityo iugera pauca nouem.

Ouidij,

Viſcera præbebat Tityus lanianda: nouemq́
Iugeribus diſtractus erat.

Verum his teſtibus nemo me conuincet. nam poetis, ut ego arbitror, licuit in locū plethri ſubſtituere iugerū, etiamſi eadem ſpacia non ſint: his qui uel hiſtoriam, uel loci deſcriptionem, uel rei ruſticæ ſcriptorum præcepta ad uerbum de Græcis exprimunt, non licet. etenim imitator aliud ſcribendi ius habet, aliud interpres. illi nihil neceſſe eſt ſemper dicere idem, quod is dicit quem ſolet imitari. huic de ſententia ſcriptoris, quem uertit, diſcedere non licet: ut non neceſſe habeat uerbum è uerbo exprimere. aliud denicq́ ius habet qui fabulas fingit, aliud qui res ipſas perſequitur. alteri quodāmodo licet dicere mendacium, ab altero exigitur ueritas. Cum igitur poetæ & imitati ſint Homerum & fabulas confecerint, eam habuerunt exaggerandi licentiam, cæteri non habent. Poſtremo μίλιον, ut Hero ſcribit, eſt ſtadiorū octo. cum quo conſentit Plinius. tradit enim ſtadium CXXV. paſſus efficere. is uero numerus octies multiplicatus mille paſſus efficit. quā menſuram milliare uocāt Latini. quare Suidæ, ſiue eius ſcriptoris quem ſequitur, uerba ſibi conſentanea non ſunt. ἑπτὰ ἡμισυ στάδια ποιοῦσι μίλιον ἕν. καὶ τὰ δύο μίλια ἔχουσι στάδια π. τὸ δὲ στάδιον ἔχει πόδας χ. τὸ δὲ μίλιον πόδας ͵δ ω. id eſt. ſtadia ſeptem & dimidium faciūt milliarium unum. & decem milliaria habent ſtadia octoginta. ſtadium uero habet pedes DC. milliarium IIIIDCCC. primum enim falſum eſt, alterum uerum: ut etiam cætera, modo Græcos pedes intelligas.

Abſolui menſuras Græcas, uenio nunc ad Latinas. quæ item magnam partem ex membris humanis ſunt nominatę. ſunt uero digitus, uncia, palmus, pes, palmipes, cubitum, gradus, paſſus, milliariū. Atq́ iterum digitus minima menſura eſt. uncia uero eſt digiti unius & tertiæ digiti partis: palmus, quatuor digitorum, unciarum autem trium: pes, quatuor palmorum: palmipes, quinq́ palmorum: cubitum, pedis unius & dimidij: gradus, pedum duorum & dimidij: paſſus, pedum quinq́: milliarium, paſſuum mille, pedum uero quinq́ millium.

Digitus.

Primo autem digitum Latini, ut etiam Græci, intelligunt latum ſiue trāſuerſum. quod modo planiſsime explicant, modo non explicāt. Plauti hæc uerba quæ ſunt in Aul. id aperte indicant.

Si hercle tu ex iſthoc loco
Digitum tranſuerſum, aut unguem latum exceſſeris,
Aut ſi reſpexis, donicum ego te iuſſero.

Et hæc Ciceronis uerba, quæ ſunt in ſecundo Academicarum quæſtionum. Habeo enim regulam, ut talia uiſa uera iudicem, qualia falſa eſſe non poſſunt. ab hac mihi non licet tranſuerſum, ut aiunt, digitum diſcedere. Idem libro ſexto in Verrem non explicauit. Pueri autem Siſennæ, credo qui audiuiſſent, quę in iſtum teſtimonia eſſent dicta, oculos de iſto nuſquam deiicere: neq; ab argento digitum diſcedere. Item Plinius lib. VIII. cap. XXI. Eadem & baſiliſci ſerpentis eſt uis. Cyrenaica hunc generat prouincia XII. non amplius digitorum magnitudine.

Ex digito fit digitalis, quo utitur idem Plinius lib XXII. cap. XX. Et anchuſæ radix in uſu eſt digitali craſsitudine. Digitus præterea, ut Frõtinus de aquæ ductibus ſcribit, aut eſt quadratus, aut rotundus. quadratus in longitudine & latitudine eſt æqualis, tribus quartis decimis rotũdo maior. rotundus tribus quartis decimis ſuis quadrato minor, quia anguli deteruntur. Vnciam uero eſſe digiti unius & tertiæ digiti partis ex Frontino de limitibus percipitur. ait enim, palmus habet digitos IIII. uncias III. idem de aquæ ductibus. eſt autem digitus ſextadecima pars pedis: uncia uero duodecima. Vnciam ſic uſurpat Plinius lib. XXXIII. cap. VIII. ubi de coticulis lapidibus ſcribit. Sunt autem modici, quaternas uncias longitudine, binasq; latitudine nõ excedentes. Hinc fit uncialis, quo utitur D. Hieronymus in prologo in Iobum. Habeant qui uolunt ueteres libros uel in membranis purpureis auro argentoq; deſcriptos: uel uncialibus, ut uulgo aiunt, literis onera magis exarata quàm codices. Similiter à ſeſcuncia, quod uerbum unciam & dimidiam ſignificat, ſeſcuncialis deducitur. quod ponit Plinius lib. XIII. cap. XV. cum de cedrina Tiberij principis mẽſa ſcribit. tota uero, inquit, craſsitudine ſeſcunciali. id eſt unciæ unius & dimidiæ. Vnciæ autem pedis, ut etiã unciæ aſsis, quarta pars eſt ſicilicus. quo pro menſura utitur Plinius lib. XIII. cap. XV. cum item loquitur de cedrina Tiberij principis menſa. quam dicit quatuor pedes ſextante & ſicilico excedere. Et ibidem de cedrina Nomij Tiberij principis liberti menſa. tribus, inquit, ſicilicis infra quatuor pedes, totidemq; infra ſemipedem craſsitudinis. itaq; tres ſicilicos dixit tres pedalis unciæ partes. nã uncia pedis, ut aſsis uncia, poteſt diuidi in duas ſemuncias, in tres binas ſextulas, in IIII. ſicilicos, in ſex ſextulas, in duodecim dimidias ſextulas, in quatuor & uiginti ſcripula. Sed ut hę partes uncię ſcriptoribus non oẽs ſint in uſu, ſicuti ſicilicus eſt Plinio: cum tamẽ res poſtulat ſic Romano more loqui poſſumus. At Seuerinus Boetius Græco, & qui dẽ geometrico, unciã minutiſsime diuidit. Veteres igitur, inquit, geometricę artis indagatores ſubtiliſsimi maximeq; Pythagorici cum omnia certis menſurarum diuidentes rationibus ad ea, quæ natura renueret diuidi & ſecari, uſq; peruenerunt: ingenio præſignante ea quæ naturaliter erant indiuiſibilia, poſitis notis nominibus, æque datis diſpar

tiere

tiere. Cuius uero agros per actus, per perticas, per passus, per gradus, per cubitos, per pedes, per semipedes, per palmos dispertiti essent, nõ habentes palmum per quod diuiderent, id quod palmo esset minus, digito autem maius, unciam uocare maluerunt. in secundo uero loco digitum subscripserunt: in tertio, staterem: in quarto, quadrantem: in quinto, drachmam: in sexto, scripulũ: in septimo, obolum: in octauo, semiobolum: in nono, siliquam: in decimo, punctum: in undecimo, minutum: in duodecimo momentum nominando posuerunt. hæc ille. Itaq; palmus distribuitur in uncias quidem tres, in digitos uero quatuor. at uncia rursus diuiditur æqualiter in duas partes, quas Græci ϛατῆρας, Latini semuncias nominant: in quatuor quartas, quas ijdem δίδραχμας, Boetius quadrantes uocat. quod proprie esset dictum, si liceret unciam, tanquam assem, in minores uncias duodecim diuidere: ut licet pedem, iugerum, horam, hæreditatem. sed nõ uidetur licere, quod quarta unciæ pars apud Latinos sit sicilicus. deinde uncia diuiditur in octo octauas, quas Græci δραχμὰς appellãt. Hanc drachmam ijdem Græci partiuntur in tria scripula, γράμματα ipsi nuncupant: scripulũ uero, in duos obolos: obolum, in duos semiobolos: obolum rursus in tres siliquas, quas κεράτια uocant: siliquam uero, ut uidetur, in duo puncta, quæ κεντρα dicunt: punctum, in duo minuta, quæ λεπτα: minutum, in duo momenta, quæ ϛιγμὰς. Vncia igitur hac geometrica ratione diuiditur in semuncias duas: in sicilicos, IIII. in drachmas VIII. in scripula, XXIIII. in obolos, XLVIII: in semiobolos, XCVI in siliquas, CXLIIII. in puncta, CCLXXXVIII. in minuta, DLXXVI. in momenta, MCLII, quas minutas uncię pedalis partes geometræ in animo ac memoria distributas & comprehensas habere, oculis cernere non possunt: nedum radio diuidere. Nec tamen ignoro Diodorum obolum, ut pondus, in sex æreola, æreolum rursus in septem minuta partiri. qua ratione uncia complectitur CCLXXXVIII. æreola, quæ respondent istis punctis. minutorum uero MMXVI. quæ non modo minutis Boetij, sed etiam momentis sunt minora. Palmus autem quatuor digitorum est. etenim præter Frontinum, cuius uerba supra citaui, Vitruuius lib. III. de architectura scriptum reliquit. E cubito enim cum dempti sunt palmi duo relinquitur pes quatuor palmorũ. palmus autem habet quatuor digitos, ita efficitur uti habeat pes sedecim digitos, & totidem asses æreos denarius. Vsurpat hanc mensuram Plinius lib. XVII. cap. X. ubi de satione baccarum lauri loquitur. In sulco repastinato palmi altitudine uicenæ ferè aceruatim mense Martio. Ex eo formatur palmarius, id est palmi mensura. quo utitur Columella lib. XI. Per spacia palmaria modicis seruntur cauis. Et lib. XII. Spicæ ulpici inter palmaria spacia deponendæ sunt. At pes est quatuor palmorũ, unciarũ duodecim, digitorum sedecim. quod partim ex Vitruuij uer-

Palmus.

Pes.

bis iam citatis intelligitur: partim ex his Columellæ, quæ sunt in primo quinti libri capite. Modus omnis areę pedali mensura comprehenditur, quæ digitorū est sedecim. Sed planius hæc omnia explicat Frontinus. Pes, inquit, habet palmos quatuor: uncias, duodecim: digitos, sedecim. utitur sic pede Cicero ad Atticum. Pedem in Italia uideo nullum esse qui non in istius potestate sit. sæpius uero Plinius & Cato. Hinc fit pedalis. quomodo scribit Plinius lib. XVII. cap. XI. interuallo pedali: Columella, ut supra citaui, pedali mensura. Hinc etiam formatur pedaneus, idem significans quod pedalis. Columella lib. V. Et ideo in maritandis arboribus nemo minorē pedanea scrobem uitibus comparat. Ex pede quoq; componitur semipes. quo usus est Cato. cuius uerba sunt apud Plinium in lib. XVII. cap. XI. Si neq; eæ sunt, sarmentis ita ut in altitudinem semipedem trahantur. A quo deriuatur semipedalis. quod ponit Columella lib. XII. cap. L. asserculos inter se distantes semipedalibus spacijs supra solum ponito. Ex eodē conficitur sesquipes, qui est pedis unius & dimidij, hoc est cubiti mensura. quod ponit Persius satyra prima,

nugaris, cum tibi Calue

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extet. Ex eo fit sesquipedalis. sic Cæsar sesquipedalia tigna dicit, id est crassa pedem & semipedem. Et Horatius in arte poetica

Proijcit ampullas & sesquipedalia uerba.

Vtitur etiam eo Columella lib. IX. cap. XV. Duobus ferramētis ad hunc usum opus est, sesquipedali uel paulo amplius mensura factis. Et si uero bipes significat eum cui duo sunt pedes, tamen quod ex eo formatur bipedalis declarat etiam rem cui est longitudo uel latitudo uel altitudo duorum pedum. hoc uero usurpat Vitruuius lib. VII. cap. IIII. tegulas enim bipedales dicit. Et Tranquillus in Augusto. Postea nihil sanè præterquam adolescentulum Lucium honeste natum exhibuit, tantum ut ostenderet. quod erat bipedali minor, librarum XVII. ac uocis immensæ. Pes autem triplex est, porrectus, contractus, quadratus. in pede porrecto, ut Iulius Frontinus scribit, sunt duo semipedes: in contracto, quatuor: in quadrato, octo. eorum uero unusquisq; ex re ipsa nomen inuenit. etenim porrectus est mensura longa pedem: contractus, longa & lata semipedem: quadratus, longa & lata pedem. itaque contractus fit ex duobus pedibus porrectis, quorum dimidia pars in longum ducitur, dimidia in latum reflectitur: quadratus uero ex quatuor pedibus porrectis, tanquam lineis. quorum duo in longum, duo in latum ducuntur. Ex quibus intelligimus pedem contractum reuera esse semipedem quadratum. Quoniam uero pes, tanquā as, in duodecim distribuitur uncias, scriptores ut his ipsis utuntur, ita etiā reliquis eius partibus, in quas non secus ac idem as diuiditur, itaque duas id

genus

genus uncias ſextantem nominant. ut Plinius lib. XIII. cap. XV. cum ſcribit de mēſis cedrinis. Qua in re non omittendum uidetur, Tiberio principi menſam quatuor pedes ſextante & ſicilico excedentem: tota uero craſsitudine ſeſcunciali, operimento conchilij laminæ per mediū ueſtitam fuiſſe. Tres autem uncias quadrantem uocat Gellius lib. IX. cap. III. Pygmęos quoq; haud longe ab ijs naſci, quorum qui longiſſimi ſunt non longiores eſſe quàm pedes duos & quadrantem. ab hoc deducitur quadrātalis. quod uſurpat Plinius ibidem. Magnitudo ampliſsima adhuc fuit unius cōmiſſæ ex orbibus dimidiatis duobus à rege Mauritaniæ Ptolemæo quatuor pedum & ſemipedis per medium ambitum craſsitudine quadrantali. maiusq; miraculum in ea eſt artis latente iunctura, quàm potuiſſet eſſe natura ſolidæ. craſsitudinem igitur quadrantalem dixit eam quæ erat trium pedis unciarum. Quadrās autem pedis & palmus eadem menſura ſunt. ſed in hoc reputamus digitos, in illo uncias. Deinde quatuor uncias trientē nuncupant. à quo deriuatur trientalis. quod uerbum ponit Plinius lib. XXVII. cap. V. Aſsplenum ſunt qui Hemionium uocāt foliis trientalibus multis. hoc eſt quatuor pedis unciarum. Tum quincuncē appellant uncias quinq; ex quo fit quincuncialis. quo etiam utitur Plinius lib. XXVII. cap. XI. Inter omnes herbas lithoſpermo nihil eſt mirabilius. aliqui ægonychon uocant, alij dioſpyron, alij heracleon. herba quincuncialis ferè. id eſt quinq; pedis unciarum. At ſex uncias ueterum ſcriptorū quidam nominant ſemiſſem, quidam ſemipedem. ſemiſſem quidē Vitruuius lib. V. cap. I. Columnæ altitudinibus perpetuis cum capitulis pedū quinquaginta, craſsitudinibus quinū. habentes poſt ſe paraſtatas altas pedes XX. latas pedes duos ſemiſſem, craſſas pedē I. ſemiſſem. Et Columella lib. III. Ab ipſo arboris crure pedale ſpaciū intermittito, deinde ſulcū in quatuor pedes longū: in tres altū: in dupondiū ſemiſſem latū cum feceris, patiere minime duobus menſibus eum tempeſtatibus uerberari. dupondium enim & ſemiſſem dixit pedes duos & dimidium. Semipedem uero nominat Cato, cuius uerba quæ ſupra citaui, affert Plinius. Et idem Plinius lib. XIII. cap. XV. item à Nomio Tiberij Cæſaris liberto cognomen trahentis, tribus ſicilicis infra quatuor pedes, totidemq; infra ſemipedem craſsitudinis. Quanquā uero recte ſeptem pedis unciæ ſeptunx & undecim deunx dici poſſunt, tamen nullum ſcriptorē hactenus inueni, qui his uocabulis ſic uſus fuiſſet. Beſſem autem uocāt uncias octo. quod ponit Sex. Feſtus Pompeius lib. XVIII. Qua conſuetudine hodieq; utimur, cum lignum bes alterum dicimus. id eſt pedem & beſſem latitudinis habens. à quo deducitur beſſalis. quod uerbum uſurpat Vitruuius lib. VII. cap. III. deinde tegulæ bipedales ex una parte ſupra marginem canalis imponantur: ex altera parte beſſalibus laterculis pilæ ſubſtruantur. Poſtea dodrantem nouem

uncias

uncias appellant.ut Columella lib. IIII. Auarius quidam dupondio & dodrante altum ſulcum,latum pedum quinq; faciunt. Nec uero Plinius cum ſcribit Pygmæos longitudine ternos dodrantes non excedere diſsidet à Gellio. nam tres dodrantes efficiunt pedes duos & quadrantem.Poſtremo dextantem uocant uncias decem.ut Vitruuius libro tertio cap. III. Craſsitudines autem eorum graduum ita finiendas cenſeo,ut neq; craſsiores dextante, neq; tenuiores dodrante ſint collocatæ.ſic enim durus non erit aſcenſus. Quin etiam,quia pes ut as ſe habet,dupondio pro duobus pedibus, ut ex his, quæ dixi,perſpicuū eſt, ſcriptores utuntur. Paucis nunc uerbis dicam de more & conſuetudine Romæ ſeruata.de qua ſic ſcribit Horatius lib. I. ſerm.ſat. VIII.

Dextans

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat,hæredes monumentum ne ſequeretur.

Solebat enim, ut Porphyrio interpretatur, priuatis inſcribi monumentis,quot pedes in fronte,quot in agro haberent:item ſingularibus literis notari H. M. H. N. S. uidelicet ne reliquiæ aliorum mortuorum inferrentur. In fronte autem, ut Acron explanat, eſt in latitudine:in agro, in longitudine. Sed ut aliorum cipporū pars lata fuerit in fronte, longa in agro, huius certe Horatiani pars longa eſt in fronte, lata in agro.nam illius pedes mille ſunt, huius trecenti. literæ uero hæ ſignificant. HOC MONVMENTVM HAEREDES NON SEQVITVR. Perinde autem ut libra principale quoddam pondus uidetur eſſe,& ſextarius princeps quædam alterius generis menſura,ita huius pes. etenim ex libra multiplicata perficiūtur pondera maiora: ex diſtributa in partes, minora. ſimiliter ex ſextario uel pede multiplicato, maiores mēſuræ:ex diſtributo in partes, minores. At palmipes ex palmo & pede componitur. ex quo fit palmipedalis. id eſt cui menſura palmi & pedis,hoc eſt digitorum uiginti.quo utitur Columella lib. III. cap. XIX ſic enim ſcribit de malleolo. nam in cliuoſis, ubi terra decurrit, poteſt palmipedalis deponi. Cubitum autem, quod etiam cubitus dicitur, à Græco fluxit. etenim ἀγκῶνα Hippocrates appellat κύβιτον. ſcribit enim Galenus in explanatione difficiliū uerborum Hippocratis. κύβιτον τὸ ὠλέκρανον, ὅπερ καὶ ἄγκων. διοσκορίδης δὲ τὸν κύνδυλον τὸ βραχίονος οὕτως ὀνομάζει φησί. id uero habere pedem unum & dimidium, ſiue palmos ſex,quod idem eſt, ex his Vitruuij uerbis, quæ etiam ſupra cōmemorauimus,intelligitur.E cubito enim cum dempti ſunt palmi duo, relinquitur pes quatuor palmorum. Cubitum igitur & ſeſquipes idem ſunt. Vtitur hoc Cicero lib. II. de Legibus.nam ſuper terræ tumulum nolunt quid ſtatui, niſi columellam tribus cubitis non altiorem.Et in epiſtolis ad Atticum. Biennium præteriit cum ille καλλιππίδης aſsiduo curſu cubitum nullum proceſſerit. Vnde etiam Suetonius in Tiberio ſcribit,ut uulgo iam per iocum Callipides uocaretur

Cubitum

rētur. quem curſitare ac ne cubiti quidem menſuram progredi prouer bio Græco notatum eſt. Ex eo formatur cubitalis. quod uſurpat idem Suetonius in Galba. Simulacrum æneum deæ cubitali maius.

Gradus

At gradum eſſe duorum pedum et dimidij declarat Boetius his uer bis. Decempeda pedes x. colligit: paſſus, v. gradus, IIS. Gradum uero Græci βῆμα nominant. Vt autem uerum ſit, quod ſcribit Boetius, gra dum efficere pedes duos & dimidium, tamen nullum ſcriptorem his duobus uocabulis pro menſura uſum inuenio. Nec enim apud Cice ronem gradus, nec apud Xenophontem βῆμα menſura eſt, ſed utrun que progreſſum quendam ſignificat. Verba Ciceronis ſunt in lib. III. de finibus. Vt enim obſcuratur & offunditur luce ſolis lumē lucernæ: & ut interit magnitudine maris Aegei ſtilla muriæ: & ut in diuitijs Crœſi teruncij acceſsio: & gradus unus in ea uia, quæ eſt hinc in Indi am: ſic cum ſit is bonorum finis, quem Stoici dicūt, omnis iſta rerum in corpore harum æſtimatio ſplendore uirtutis & magnitudine obſcu retur & obruatur atque intereat neceſſe eſt. Xenophontis uero uerba ſunt in lib. IIII. de Cyri aſcenſu ad Babylonē. ἔνθα δὴ καὶ καλλίμαχος μαχαιρᾶται προτείχισμα ἀπὸ τοῦ δένδρου, ὑφ' ὧ ἦν αὐτὸς δύο ἢ τρία βήματα. id eſt. Vbi ſanè Callimachus excogitat rationem ultra procurrēdi: ab arbore enim, ſub qua erat ipſe, faciebat gradus duos aut tres.

Paſſus.

Sequitur paſſus. qui ex paſsis, hoc eſt diductis manibus, nomē hoc duxit. eum quinq; pedum eſſe Columella lib. v. cap. I. ſcribit. Paſſus, inquit, pedes habet quinq;. idem ſentit Seuerinus Boetius. utūtur hac menſura ſæpe geographi & interdum Cicero: ut lib. I. de legibus. Et qui me ex noſtris pene conuellit hortulis, deduxitq; in Academiā per pauculis paſsibus.

Milliare

Poſtremo eſt milliare. quod ex mille paſsibus, è quibus conſtat, nomen inuenit. hoc uſurpat Cicero in epiſtolis ad Atticum. Accepi literas tuas ad quintum milliare. Idem dicitur mil liarium. quod etiam ponit Cicero in libro De claris oratoribus. Cum plebes prope ripam Anienis ad III. milliarium conſediſſet. Sed idem Cicero maluit dicere mille paſſus. uerbi cauſa pro Seſtio. Edixitq; ut ab urbe abeſſet mille paſſus. Ciceronem autem in hoc ſequuntur geo graphi. Quia uero milliaria quondā lapidibus ſignabantur, legimus ad ſecundum, ad tertium, ad quartū lapidem. quomodo ueteres etiam dixiſſe ad tertium cippum Valerius Probus autor eſt. nam cippus & lapidem terminalem & terminum ſignificat.

Sed cum breues mēſuræ tam Græcæ quàm Latinæ ex membris hu manis fuerunt nominatæ, nunc conſiderabimus utrum æquales ſint nec ne: & ſi fuerint inæquales utrum Græcæ an Romanæ ſint longio res. Plinius ſcribit lib. II. cap. XXII. Stadium CXXV. noſtros efficit paſſus, hoc eſt pedes DCXXV. Et Columella lib. v. cap. I. Stadium de inde habet paſſus CXXV. id eſt pedes DCXXV. quæ ſumma octies mul

tiplicata

tiplicata efficit mille paſſus. ſic ueniunt. v̄. pedum. Quoniam uero ſtadium, ut dixi Græcis c. eſt paſſuū, & dc. pedum, ſatis intelligimus menſuras Græcas & Latinas eſſe inæquales: atque paſſum Græcum, quem ὀργυιὰν uocant, paſſu Romano, & pedem Græcum pede Romano eſſe longiorem. etenim paſſus Græcus habet pedes, Romanos ſex & quartã pedis partem: paſſus uero Romanus tantum quinq; pedes Romanos. paſſus igitur Græcus pede uno & quarta pedis parte longior eſt quàm Romanus. Pes autem Græcus habet pedem unum Romanum & eius ſemunciam. ſemuncia igitur quàm Romanus eſt longior. Quod diſcrimen inter pedem Romanum & Græcum aliquo modo licet uidere Romæ: ut etiã id animaduertit B. Marlianus. quanquam uir ille doctus, qui uetuſta urbis monimenta diligenter ſcrutatus eſt: neſcit ex duobus, quos in mediũ affert, breuiorem eſſe Romanum: Græcum, longiorem. Pes Romanus in ſaxo uel in marmore in ciſus reperitur Romæ cum alijs quibuſdam in locis, tum in hortis Angeli Colocij. Græcus uero quantus ſit percipi poteſt ex columna quæ eſt in æde duodecim apoſtolorũ. ea autem eſt in Vaticano prope obeliſcũ. in ſuprema enim parte eius columnę, quę, ut mihi uidetur, quondam ex Græcia fuit translata Romam, quod etiam indicat Græca hæc inſcriptio. ποδῶν. θ. id eſt pedum nouem. cuius columnæ longitudinẽ ſi in nouem partes diſtribueris, quæq; efficiet Greci pedis menſuram.

Pes Romanus in XVI digitos diuiſus.



Pes Romanus in XII uncias diuiſus.



Pes Græcus in XVI digitos diuiſus.



Itaq; cum pes Græcus ſemuncia, id eſt quarta & uiceſima parte longior ſit quàm Romanus, ſequitur ut etiam cubitum Græcum tribus quartis unciæ partibus longius exiſtat quàm cubitum Romanum. ſimiliter ut palmus Græcus quarta ſemũciæ parte, quam Boetius drachmam nominat, longior extet quam palmus Romanus. pari modo ut digitus Græcus decima ſexta ſemunciæ parte, quam Boetius ſeſquiobolum diceret, longior ſit quàm digitus Romanus. Architecti autem Romani uſurpant digitum, palmum, pedem. quod iterum ex Vitruuio percipitur. Et Cato De re ruſtica cap. XVIII. ſcribit. Torcularium ſi ædificare uoles quadrarijs uaſis, uti contractiora fiant, ad hunc modum uaſa componito. arbores craſſas pedes duos, altas pedes nouem cum cardinibus. foramina longa pedes tres ſemiſſem. & excalpta digitos ſex. Quanquam uero Cato eſt rei ruſticæ ſcriptor, tamen torcularij eiusq; uaſorum fabrica ad architectos pertinet.

Geographi autẽ utuntur paſſu & milliari, quod ex Pomponio Mela, & Caio Plinio ſecundo perſpicuum eſt. At rei ruſticæ ſcriptoribus in uſu ſunt pes, paſſus, actus, clima, uerſus, actus quadratus, iugerum. quod liquet ex Catone, Varrone, Columella, Palladio. De pede & paſſu iam ante dixi, nunc reliquorum modum exponam.

Actus

Itaq; actus minimus eſt pedum CCCCLXXX. etenim longus pedes CXX. latus IIII. ſcribit enim Columella. Actus minimus, ut ait M. Varro, latitudinis pedes quatuor, longitudinis habet pedes CXX.

Clima

At clima eſt IIIIDC, pedũ. nam longum pedes LX. & latum totidem. idem enim Columella inquit. Clima quoquouerſus pedum eſt LX.

Verſus

Verſus uero eſt pedum X̄. longus enim C. pedes, & latus totidem, de quo Varro in primo libro De re ruſtica. Verſum dicunt C. pedes quoquo uerſus quadratos. Actus aũt quadratus eſt pedũ XIIIICCCC nã latus æque ac longus pedes CXX. de quo idẽ Varro Actus quadratus, q̃ et latus pedes CXX. & longus totidẽ. is modus & mina Latine appellat. de eodẽ Plinius lib. XVIII. cap. III. Actus in quo boues agerent, cum aratur uno impetu iuſto. hic erat CXX. pedũ: duplicatusq; in longitudinem iugerũ faciebat.

Iugerum

Ergo iugerum eſt pedũ XXVIIIDCCC. longum enim CCXL. latum CXX. etenim Varro ait. Iugerum quod quadratos duos actus habeat. Et Columella. Duo actus iugerum efficiũt longitudine pedum CCXL. latitudine pedum CXX. Quæ utræq; ſummæ inter ſe multiplicatæ quadratorum faciunt pedum XXVIIIDCCC. Ac uero etiã Fabius Quintilianus lib. I. Iugeri menſurã ducẽtos & quadraginta longitudinis pedes eſſe, dimidioq; in latitudine patêre, nõ ferè quiſq; eſt qui ignoret. Iugerum aũt, ut Plinius aſſerit, uocabat quod uno iugo boũ in die exarari poſſet. Etenim Varro ante Pliniũ ſcripſit, Iugerũ uocant quod iuncti boues uno die exarare poſsint. Diuiditur autẽ iugerũ, tanq; as Libraue, in ſcripula CCLXXXVIII. nã iugeri pars

minima

minima,ut Varro, dicitur ſcripulū, id eſt decem pedes in longitudine & latitudine quadrati. qui ſunt pedes c. Vt uero Columella tradit iugeri minima pars eſt dimidium ſcripulum,hoc eſt pedes L.at duo ſcripula ſunt pedes CC. ſextula, CCCC. ſicilicus, DC. ſemuncia. ICC. uncia IICCCC. ſextans, IIIIDCCC. quadrans, VIICC: triens, IXDC. quincunx, XII. ſemis XIIIICCCC. ſeptunx,XVIDCCC.bes, XIXCC.dodrans,XXIDC. dextans, XXIIII. deunx, XXVICCCC. iugerum tandem XXVIIIDCCC. Dimidium certe iugerum Plinius lib. XVIII, cap. XIX. dixit ſemiſſem: & integrum, aſſem. Iuſtum eſt proſcindi ſulco dodrantali iugerū uno die: iterari ſeſquijugerum, ſi ſit facultas ſoli: ſi minus, proſcindi ſemiſſem, iterari aſſem. quando & animalium labori natura leges ſtatuit. Quo ſanè modo Liuius ſeptunces dixit ſeptem iugeri partes:dodrantem, nouem:quadrantem, tres. ſcribit enim libro quinto ab urbe condita. Terna iugera & ſeptunces uiritim diuiſerunt. Et libro octauo. Latinus ager & Falernus, qui populi Campani fuerat,uſq; ad Vulturnum flumen plebi Romanæ diuiduntur: bina in Latio iugera, ita ut dodrantem ex Priuernati complerent data:terna in falerno, quadrantibus etiam pro longinquitate adiectis.

Quia hic etiam duas partes è diuiſione tripartita abſolui, mihi neceſſe eſt reſtare tertiam. itaque qui digitum ex quatuor granis ordei, quorum conſideres latitudinem, non longitudinem, conſtare dicunt, hi non aduertunt grano granum multo latius eſſe:nec primo digitum ſic eſſe conſtitutum, ſed artificioſum in tot grana fuiſſe diuiſum. quod inter multa grana ſine controuerſia inueniantur quatuor, quæ digiti latitudinem ſua latitudine exæquare poſsint. Quod etiam ad digitum pertinet Iulius Capitolinus Cordi uerba,ut mihi uidetur, non intellexit. ſcribit enim in Maximinis duobus de patre. Erat præterea, ut refert Cordus, magnitudine tanta,ut octo pedes digito uideretur egreſſus. Poſtea ſcribit. Nam cum eſſet Maximinus pedum, ut diximus, octo & prope ſemis. Cordus enim,ni etiam illum improprie locutum putemus, latum digitum intellexit: ipſe uero Capitolinus accipit longum, & quidem maximum, qui circiter ſex digitos latos longus eſt. atque hi certe minus duobus digitis ſemipedem efficiunt.

Vt autem Galli, quod Budæus tradit, ſuum pedem diſtribuant in duodecim pollices non aliter ac Romani ſuum partiuntur in duodecim uncias: utq; pollicis latitudo non multum ab uncia differat,nemo tamen ueterum ſcriptorum unciam nominari pollicem memoriæ prodidit. ſed eadem menſura non eſt. nam pollex tametſi aliquanto latior ſit q̄ alius digitus, tamē tres pollices ſuæ cuiuſq; manus nondum efficiunt palmū. uncia igit̄ latior eſt pollice. hoc utitur Cato De re ruſtica capite decimonono. Lingulam cum facies de medio prælo collibrato,

ut inter arbores bene conueniat digitum pollicem laxamenti facito. Et Plinius lib. XV. cap. XXIIII. ubi loquitur de siliquis. Digitorum hominis longitudo illis & interim falcata, pollicari latitudine. Hoc in loco Plinius digitos, non transuersos, intelligit. quod res ipsa demonstrat, ac uero etiam eius uerba. At cubiti mensura & ulnæ, quam Græci ὠλένην appellant, est eadẽ. ijsdem enim nominibus idem membrum appellatur. namq; scribit Pollux. τὸν δὲ πῆχυν καὶ ὠλένην καλοῦσιν. hoc est. Cubitum uero & ulnam nominant. Vlnam autem uocat Virgilius in egloga tertia.

Dic quibus in terris & eris mihi magnus Apollo
Tres pateat cæli spacium non amplius ulnas.

Quocirca errat Seruius cum inquit. Vlna spacium est in quantum utraq; extenditur manus. dicta ulna ἀπὸ τῶν ὠλένων. id est à brachijs. hinc λευκώλενος ἥρη dicitur. licet Suetonius unum cubitum esse uelit tantũmodo. hæc ille. Et recte quidẽ sentit Suetonius. nam utriusq; manus extensionem Græci ὀργυάν Latini passum uocant, non ulnam. etsi ulna interdum uidetur significare totum membrum, brachium scilicet, ac cubitum, manumq;. ut cum Ouidius in VIII. metamorphoseon canit de quercu.

Sæpe etiam manibus nexis ex ordine, trunci
Circumiere modum: mensuraq; roboris ulnas
Quinq; ter implebat.

Et cum Plinius scribit lib. XVI. cap. XL. Arboris eius crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat. Attamen ulna in neutro loco declarat passum. cuius ne dimidia quidem pars est. etenim passus ex duabus eiusmodi ulnis & latitudine pectoris constat. Errat etiam Nicolaus Perotus qui cubitum duorum palmorum esse tradit. quanquam recte sentit cubitum ulnam dici. Nec minus in errore uersantur qui passum putant significare gradum. quos Romulus Amasæus uir doctus & in primis facundus secutus in Xenophonte βῆμα passum interpretatur. Atq; ita se habent mensuræ Romanæ. sequuntur iam externæ. quæ partim sunt Græcis literis celebratæ, ut cubitum regium, parasanga, schœnos: partim Hebraicis. sed de illis primo dicam. Regium cubitum Persarũ tribus digitis maius esse quàm iustum cubitum Herodotus in primo libro, qui inscribitur Clio literis mandauit. ὁ δὲ βασιλήϊος, inquit, πῆχυς τοῦ μετρίου ἐστὶ πήχεως μείζων τρισὶ δακτύλοισι. hoc est. Regium uero cubitum tribus digitis maius est quàm mediocre. Est igitur digitorum septem & uiginti. Illius cubiti cum Gellio uenisset in mentem scripsit lib. tertio capite decimo. Præter hæc modum esse dicit summũ adolescendi humani corporis septem pedes. quod magis esse uerum arbitror, quàm quod Herodotus homo fabulator in primo historiarum inuentum esse sub ter-

ra

ra ſcripſit Oreſtis corpus cubita longitudinis habẽs ſeptem. quæ faciunt pedes XIS. & quadrantem. Septem enim regia cubita efficiunt undecim pedes, & tredecim digitos. tot autem digiti ſemipedem & quadrantem ac digitum unum. quem non adnumerauit Gellius; ut etiam cæteri ſcriptores interdum numeros minutos non ſolent percenſere. Etſi uero Herodotus in eodem libro explicat menſuram regij cubiti, tamẽ faber ærarius Tegeates, pace Gellij dixerim, mediocre cubitum, quale erat Græcum, intellexit: non regium, quod erat Perſicum & fabro ignotum. Paraſanga autem etiam menſura eſt Perſica. ſchœnos uero Ægyptia. illa quidem eſt triginta ſtadiorum: hæc, ſexaginta. Verum paraſangam Perſicam menſuram eſſe & triginta ſtadiorũ Herodotus tradit in libro ſexto, qui inſcribitur Erato his uerbis. καὶ τὰς χώρας σφέων μετρήσας κατὰ παρασάγγας, τοὺς καλέουσι οἱ πέρσαι τὰ τριάκοντα στάδια. id eſt. Regiones ipſorum paraſangis, quas uocant Perſę triginta ſtadia, dimenſus. Idem intelligitur ex his Xenophontis uerbis, quæ ſunt in libro quinto De Cyri aſcenſu ad Babylonem. πλῆθος τῆς καταβάσεως τῆς ὁδοῦ ἀπὸ τῆς ἐν βαβυλῶνι μάχης ἄχρι εἰς κοτύωρα σταθμοὶ ἑκατὸν εἴκοσι δύο, παρασάγγαι ἑξακόσιοι εἴκοσι. στάδιοι μύριοι ὀκτακισχίλιοι ἑξακόσιοι. χρόνου πλῆθος ὀκτὼ μῆνες. hoc eſt. In illo itinere quod fecimus cum rurſus deſcenderemus de prælio, ad Babylonem facto, uſq; ad Cotyora centies uicies bis poſuimus caſtra, fuitq; longum paraſangas ſexcentas uiginti: ſtadiorum decem & octo millia atq; ſexcenta: ac in eo menſes octo conſumpſimus. Quia enim ſi dixerimus tricies ſexcentas uiginti paraſangas, fiunt ſtadiorum decem millia atq; ſexcenta, paraſanga eſt ſtadiorum triginta. Idem deniq; percipitur ex eiuſdem Xenophontis uerbis quæ ſunt in fine libri ſeptimi. ἀριθμὸς συμπάσης τῆς ὁδοῦ τῆς ἀναβάσεως καὶ καταβάσεως σταθμοὶ διακόσιοι δεκαπέντε. παρασάγγαι χίλιοι ἑκατὸν πεντήκοντα. στάδια τρισμύρια τετρακισχίλια πεντηκόσια. χρόνου πλῆθος ἐνιαυτὸς, τρεῖς μῆνες. id eſt. In toto itinere quod fecimus cum aſcenderemus ad Babylonem & rurſus deſcenderemus, ducenties quindecies poſuimus caſtra. fuitq; paraſangarum mille centum quinquaginta: ſtadiorum quater & tricies millium ac quingentorum. Rurſus quoniã ſi multiplicaueris paraſangas cum ſtadijs, tricies mille centum quinquaginta paraſangæ fiunt ſtadiorum quater & tricies millia atq; quingenta, ſequitur paraſangam eſſe ſtadiorum triginta. Sępius autem paraſanga utitur Xenophon. At Herodotus in ſecundo libro, qui inſcribitur Euterpe, declarat ſchœnon eſſe Ægyptiam menſuram & ſtadiorum ſexaginta. ὅσοι μὲν ἦν, inquit, γεωπεῖναί εἰσι ἀνθρώπων, ὀργυίησι μεμετρήκασι τὴν χώρην. ὅσοι δὲ ἧσσον γεωπεῖναι, σταδίοισι. οἱ δὲ πολλὴν ἔχουσι, παρασάγγησι. οἱ δὲ ἄφθονον λίην, σχοίνοισι. δύναται δὲ ὁ μὲν παρασάγγης τριάκοντα στάδια. ὁ δὲ σχοῖνος ἕκαστος,

Paraſanga.

Schœnos.

μέτρον ἐὼν αἰγύπτιον, ἑξήκοντα σταδία. hoc eſt. Qui homines terræ ino pes ſunt, quod exiguam poſsideant, paſsibus dimetiuntur: qui minus inopes, ſtadijs: quibus terra multa eſt, paraſangis: quib. copioſa, ſchœ nis. conſtat autem paraſanga ex triginta ſtadijs: ſchœnos, quæ menſu ra eſt Ægyptia, ex ſexaginta. Hermogenes etiam ſcribit. παρασάγγης ἐθνικόν ἐστι καὶ πόρσινον μέτρον, οἱ τριάκοντα στάδιοι. οἷον ἡ αἰγύπτιον, οἱ ἑξήκοντα στάδιοι. qđ eſt. Paraſanga gētilis eſt & Perſica itineris men ſura, triginta ſcilicet ſtadiorū: ſchœnos uero Ægyptia, ſexaginta. Tan ta autem menſura cur Ægyptijs dicta ſit funiculus declarare uideri po teſt D. Hieronymus in commentarijs in Ioelem prophetam. In Ni lo, inquit, flumine, ſiue in riuis eius ſolent naues funibus trahere certa habentes ſpacia, quæ appellant funiculos: ut labori defeſſorum recen tia trahentium colla ſuccedant. Reſtat hic etiam tertia pars. Stra bo lib. XI. ait: τὴν δὲ παρασάγγην τὴν πόρσινον οἱ μὲν ἑξήκοντα σταδίων φασίν, οἱ δὲ τριάκοντα. id eſt. Paraſangam autem Perſicam alij ſexagin ta ſtadiorum eſſe dicunt, alij triginta. Qui paraſangam ſexaginta ſta diorum dixerunt eſſe, ſchœnum mihi ita uidentur nominaſſe. ut con trà paraſangam hi qui dixerunt ſchœnum eſſe ſtadiorū triginta. quem ſchœnum intellígit Ptolemæus lib. I. geographiæ cap. XI. loquitur ue ro de ſententia Marini. τὸν ἀφ' ἑκατέρου τοῦ εὐφράτου διάβασεως μέχρι τοῦ λιθίνου πύργου διάστασιν σωμαγομένην κατ' αὐτὴν οἰκοδο μησίων ἑβδομήκοντα ἑξ. σταδίων δὲ μυριάδων ἑξακισχιλίων διακοσίων ὀγδοήκοντα. hoc eſt. Interuallum quod eſt inter expoſitum Euphratis tranſitum & lapideam turrim, ut ipſe ſentit, eſt ſchœnorum octingen torum ſeptuaginta ſex. ſtadiorum uero ſex & uiginti millium ducen torum octoginta. Idem ex ſequēti capite intellígitur. Quanquam non ignoro ea quæ Plinius ſcribit lib. VI. cap. XXVI. Inconſtantiam menſu ræ diuerſitas autorum facit, cum Perſæ quoq; ſchœnos & paraſangas alij alia menſura determinent. At Hebraicæ menſuræ ſunt hæ טֶפַח זֶרֶת אַמָּה quæ uerba Latinis literis de Hebraicis ſic exprimi poſ ſunt. thopah, zereth, amah. id eſt, palmus, dodrans, cubitum. Tho pah uero ſignificare palmum ex LXX. interpretibus & Ioſepho intelli gimus. etenim ipſi uerbum hoc Hebraicum Græce reddunt παλαι στήν. nam ubi in Hebræo eſt lib. III. Regum cap. VII. וְעֹבִי טֶפַח hoc eſt. Et craſsitudo palmi: loquitur uero de labro, ſiue, ut Hebræi nomi nant, de mari fuſili, LXX. Græce uertunt. καὶ ὁ πάχος αὐτοῦ παλαι στή. id eſt. Et craſsitudo eius palmus. Sic etiam παλαιστὴν reddit Io ſephus lib. VIII. Iudaicarum antiquitatum cap. II. ἦν γὰρ ὁ λουτὴρ τὸν διάμετρον ὢν πηχῶν δέκα, καὶ ὠδὶ παλαιστιαῖον πάχος κεχωνευμένον. hoc eſt. Erat autem labrum per circuitum decem cubitorum & ad pal mi craſsitudinem conflatum. Similiter ubi Ezechielis cap. XL. in He

Thopah

bræo

bræo legitur. וְהַשְּׂפָתַיִם טֹפַח אֶחָד id est. Et labia palmi unius. LXX. rursus conuertunt thopah παλαιστὴν, scribunt enim. καὶ παλαιστὴν ἕξουσι γεῖσσα λελαξευμένα ἔσωθεν κίκλῳ. hoc est. Et palmum habebũt labia, pinnarum instar eminentia, intrinsecus reflexa per circuitum. Apud eundem prophetam cap. XLIII. legitur וְאֵלֶּה מִדּוֹת הַמִּזְבֵּחַ בָּאַמּוֹת אַמָּה אַמָּה וָטֹפַח id est. Et istæ mensuræ altaris per cubita, cubitum, palmicubitum scilicet. LXX. iterum thopah παλαιστὴν uertunt. καὶ ταῦτα τὰ μέτρα θυσιαστηρίου ἐν πήχει τοῦ πήχεως καὶ παλαιστῆς. hoc est. Istæ sunt mensuræ altaris in cubito palmicubiti. Vt enim mensura quę habet pedem & palmum dicitur palmipes, sicut indicat palmipedalis inde deriuatum, ita nobis eam, quæ habet cubitum & palmum, licebit palmicubitum nominare. Ex dictis igitur perspicuum est thopah Hebræis eam esse mensuram quam Græci παλαιστὴν, Latini palmum solent uocare. Zereth autem esse dodrantem declarant ijdem LXX interpretes. ubi enim in capite libri egressus ex Ægypto XXVIII. legitur in Hebræo. רָבוּעַ יִהְיֶה כָּפוּל זֶרֶת אָרְכּוֹ וְזֶרֶת רָחְבּוֹ id est. Quadrangulum erit, duplicatum, dodrantem longum, & dodrantẽ latum. LXX. σπιθαμὴν Græce reddunt, quæ Latinis, ut dixi, dodrantem significat. τετράγωνον ἔσται, διπλοῦν. σπιθαμῆς τὸ μῆκος, καὶ σπιθαμῆς τὸ εὖρος. hoc est. Quadrangulum erit, duplex, dodrantem habẽs in longitudine, et dodrantẽ in latitudine. Atq; apud Ezechielem prophetã cap. XLIII. וּגְבוּלָהּ אֶל שְׂפָתָהּ סָבִיב זֶרֶת הָאֶחָד id est. Et terminus eius usq; ad labium eius per circuitum dodrantem. LXX. iterum transferunt σπιθαμὴν. καὶ γεῖσσα ὠθεῖ τοῦ χείλους αὐτοῦ κυκλόθεν σπιθαμῆς. hoc est. Et pinnæ labij ipsius per circuitum dodrantis mensuram (habebant scilicet.)

Amah uero esse cubitũ ex LXX. interpretibus & Iosepho, qui conuertunt πῆχυν, perspicuum est. Sacræ autem Hebræorum literæ frequenter hac mensura utuntur. sed hi duo loci nunc sufficiunt. In libro ortus mundi cap. VI. scriptum est de arca. וְזֶה אֲשֶׁר תַּעֲשֶׂה אֹתָהּ שְׁלֹשׁ מֵאוֹת אַמָּה אֹרֶךְ הַתֵּבָה חֲמִשִּׁים אַמָּה רָחְבָּהּ וּשְׁלֹשִׁים אַמָּה קוֹמָתָהּ id est. Et hac figura facies eam. trecentorum cubitorũ erit longitudo arcæ: quinquaginta cubitorum latitudo eius: & triginta cubitorũ altitudo eius. LXX. hunc locũ sic Græce reddũt. τριακοσίων πήχεων τὸ μῆκος τῆς κιβωτοῦ, καὶ πεντήκοντα πήχεων τὸ πλάτος, καὶ τριάκοντα πήχεων τὸ ὕψος αὐτῆς. hoc est. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, & quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo ipsius. Eodem modo locum hunc de Hebraicis expressit Iosephus lib. I. Iudaicarum antiquitatum. cap. IIII. λάρνακα τετράστεγον κατασκευάσας, τὸ μῆκος πηχῶν τριακοσίων, πεντήκοντα δὲ τὸ πλάτος, καὶ τριάκοντα βάθος. id est. Arcam facies quatuor interstitijs distinctam. cuius longitudo sit cubitorum trecentorum, quinquaginta uero latitudo, & trigin

ta profunditas. Et libro tertio Regum capite sexto. וְהַבַּיִת אֲשֶׁר בָּנָה חַמֶּלֶךְ שְׁלֹמֹה לַיהוָה שִׁשִּׁים אַמָּה אָרְכּוֹ וְעֶשְׂרִים רָחְבּוֹ וְשָׁלֹשִׁים אַמָּה קוֹמָתוֹ hoc est. & domus, quam ædificauit rex Salomo domino, habuit sexaginta cubita in longitudine: & uiginti in latitudine sua: & triginta cubita in altitudine sua. LXX. interpretes rursus πῆχυν uertunt. ἡ οἰκος ὃν ὠκοδόμησεν ὁ βασιλεὺς σολομὼν τῷ κυρίῳ τεσσαράκοντα πήχεων τὸ μῆκος αὐτοῦ, καὶ εἴκοσι πήχεων τὸ πλάτος αὐτοῦ, καὶ τριάκοντα καὶ εἴκοσι πήχεων τὸ ὕψος αὐτοῦ. id est. Et domus, quam ædificauit rex Solomon domino, quadraginta cubitorum erat longitudo eius: & uiginti cubitorum latitudo eius: & quinq; & uiginti cubitorum altitudo eius. Pari modo Iosephus libro VIII. Iudaicarum antiquitatum cap. II. πῆχυν reddit. ἀνήγαγον δ' αὐτὸν ἄχρι τῆς ὀροφῆς ἐκ λίθου λίθος τετοιημένον, τὸ μὲν ὕψος ἓξ καὶ τριάκοντα πηχῶν, τῶν δ' αὐτῶν τὸ μῆκος, εὖρος δὲ εἴκοσι. hoc est. Extruxit autem ipsam usq; ad tectum ex albo lapide, altitudo eius erat sexaginta cubitorum, & totidem longitudo: latitudo autem uiginti. In numero autem cubitorū latitudinis omnes cōsentiunt: sed in numero cubitorum altitudinis LXX. interpretes & Iosephus tam ab Hebraicis dissentiunt quam ipsi inter se. rursus in numero cubitorum longitudinis Iosephus consentit cum Hebraicis, sed ab eis LXX. interpretes dissentiunt. Cubitum autem Hebræis fuit duplex: alterum sex palmorum, quod simpliciter אַמָּה id est cubitum nominant: alterū septem palmorum, atq; ita uno digito longius quàm Regium cubitum, de quo scribit Herodotus, quod iccirco אַמָּה וָטֶפַח id est cubitum & palmum, siue palmi cubitū uocant. LXX. interpretes πῆχυς καὶ παλαιστὴ conuertunt. D. Hieronymus & uerissimum cubitum interpretatur, & perfectum cubitum appellat. de hoc loquitur Ezechiel propheta cap. XL. & XLIII. huius capitis uerba supra citaui: illius paulo post de arundine dicturus afferam. Ita se habent Hebraicę mensuræ. Vtrum uero thopah Hebraicum prorsus eiusdem longitudinis fuerit, cuius παλαιστὴ Græca, uel palmus Latinus, an diuersæ nescimus. similiter ignoramus proportionem, quam zereth Hebraicum habuit ad σπιθαμὴν Græcam, uel dodrantem Latinum: quam amah Hebraicum ad πῆχυν Græcum, uel cubitum Latinum. Hebraicæ tamen mensuræ, si non fuerunt eiusdem longitudinis, cuius Græcæ, propius ad eas uidentur accessisse. Hic etiam tertia pars supereſt rationis institutæ. D. Hieronymus qui thopah Hebraicum modo reddit Latine quatuor digitos, modo tres uncias, nunc uero palmum, non errat. nam palmus habet tres uncias, quatuor autem digitos. copiosus igitur ad nomen Hebraicum uertendum eandem mensuram diuersis uerbis Latinis, idem declarantibus, explicat. Quatuor digitos conuertit cap. XXV. libri egressus ex Ægypto, ubi de mari æneo loquuntur sacræ literæ

teræ. Facies illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam in terra Silem, altam quatuor digitis. Tres uero uncias transfert lib. III. Regum, cap. VII. Crassitudo autem trium unciarum erat. at palmum uertit lib. II. annalium cap. IIII. Porrò uastitas eius habebat mensuram palmi. loquuntur uero sacrę literæ de eodem mari æneo. Sed idem Hieronymus Psalmo XXXVIII. non satis proprie reddit. Ecce mensurabiles posuisti dies meos. etenim Hebræis est חֲנֹת טְפָחוֹת נָתַתָּ יָמָי hoc est. Ecce palmos posuisti dies meos. id est tam breues quã palmi sunt. LXX. recte conuerterunt. ἰδοὺ παλαισὰς ἔθου τὰς ἡμέρας μου. Perperam uero quidam mensuram pugillorum, qui comprimit digitos, pugnum facit. sed is mensura non est: atq; multo minus pugillus.

Nec etiam D. Hieronymus zereth recte uertit palmum cap. XXVIII libri egressus ex Ægypto. Quadrangulũ erit & duplex. mensurã palmi habebit tã in longitudine q̃ latitudine. Et Ezechielis cap. XLIII. Et definitio eius usq; ad labiũ eius: & in circuitu palmus unus. LXX uero interpretes recte transferũt σπιθαμήν. quod dodrantẽ significat, non palmum, sicuti putauit Hieronymus. qui in lib. XII. cõmentariorum in Ezechielem prophetam sic scribit. Sed & calamum tenebat in manu, cuius supra mensura tacita est. & nunc ponitur cubitorum sex & palmi. qui rectius Græce dicitur παλαισὴ: & est sexta pars cubiti. alioqui palmus σπιθαμὴ sonat. quam nonnulli pro distinctione palmam, porro παλαισὴν palmum appellare consueuerunt, hæc ille. Quinetiam hi qui σπιθαμὴν conuerterunt palmam, ut distinguerent ab ea mensura, quam Græci παλαισὴν dicunt, ipsi recte palmum reddiderunt, in errore uersati sunt. nam palma, ut etiam iam ante dixi, mensura non est, sed plana illa, & partim caua, manus pars, quæ in digitos desinit. Nec minus errant qui duplicem palmum esse dicunt: maiorem, qui XII. sit digitorum, & Græce σπιθαμὴ uocetur: minorem, qui quatuor, & Græce παλαισὴ nominetur. palmus enim Romanis unus est ex quatuor digitis uel tribus uncijs constans. Hos autem errores genuerunt non nulli interpretes qui parum considerate zereth & σπιθαμὴν æque ac thopah & παλαισὴν uerterunt palmum. Qui præterea cubitum dicunt esse quinq; palmorũ, in eius longitudine lapsi deflectunt de uia. etenim uulgare siue cõmune cubitum Hebraicum pariter cum Græco & Romano fuit sex palmorum: augustum uero illud & perfectum, septem. quod ex Hieronymi uerbis, quę cõmemoraui, intelligitur. & ex his sequentibus, quæ sunt in lib. XIII. cõmentariorum in eundem Ezechielem prophetã. Hic uero recedens à sensibus quinq; tendit ad unionem. in qua cubitus perfectus siue ueriss imus ponitur. cui iungitur palmus, id est παλαισὴ, sextam, ut supra diximus, habens partem cubiti. At geometricum cubitum, ut hoc non omittamus, sex habere cubita

Cubitum geometricũ.

scribit

ſcribit Origenes in ſermonibus, quibus librū ortus mundi explanat: & D. Aurelius Auguſtinus lib. I. quæſtionum ſuper geneſim. Quam quæſtionem, inquit, cubito geometrico ſoluit Origenes, aſſerens non fruſtra ſcripturā dixiſſe quod Moyſes omni ſapientia Ægyptiorum fuerit eruditus, qui geometricam dilexerunt. cubitum autem geometricum dicit tantum ualere quantum noſtra cubita ſex. Hoc certe geometricum cubitum, ſi ad quodcȝ cōmune cubitum adieceris palmum, fiet Hebraica menſorum arundo, de qua paulo poſt dicam.

Tzaad. Poſtremo צַעַד Hebræis non eſt menſura. quare interpretes non recte uertunt paſſum lib. II. Regū cap. VI. וַיְהִי כִּי צָעֲדוּ נֹשְׂאֵי אֲרוֹן יְהוָה שִׁשָּׁה צְעָדִים id eſt. Et factum eſt cum progreſsi eſſent qui portabant arcam domini ſex paſſus. Nam quia paſſus ſui generis menſurā ſignificat, tzaad uero Hebraicū id quod Græce βῆμα, Latine gradus, ſic locus ille Latine debet reddi. Et factum eſt cum progreſsi eſſent qui portabant arcam domini ſex gradus. Etenim ut βῆμα Græcis non uidetur eſſe mēſura, nec gradus Latinis, tametſi à nobis diſſentiat Boetius, ita nec Hebræis tzaad. Atcȝ Hebraicarum menſurarum hæc ferè ratio eſt: nunc de inſtrumentis, quibus ueteres dimenſi ſunt interualla, dicam. Viarum & agrorum metatores apud Græcos & Romanos uſi ſunt pertica, ut etiam his temporibus in Europa utuntur: apud Perſas & Ægyptios funiculo: apud Hebræos uero etiam arundine. Eiuſmodi uero perticam Græci κάλαμον uocant, quam decem pedum eſſe Suidas ſcribit. κάλαμος, inquit, μέτρον δεκάπουν hoc eſt. Acæna menſura decem pedum. atcȝ Plato eam ex numero decem pedum δεκάποδα nominauit: & eum ſecutus Cicero ac alij Latini decempedam. ſcribit enim in primo Academicarum quæſtionum libro. Solis magnitudinem quaſi decēpeda metiri. Idem in oratione pro Milone. Qui cum architectis & decempedis uillas multorum hortos'que peragrauit. & Suetonius in Auguſto de centurionibus. Pro cætero delictorum genere uarijs ignominijs affecit, ut ſtare per totum diem iuberet ante prętorium interdum tunicatos diſcinctoſcȝ: nonnunquam cum decempedis uel etiam ceſpitem portantes. Hinc metator dicitur decempedator. Cicero in Antoniū Philippica tertia. Cauebat etiam L. Antonio, qui fuerat æquiſsimus agri priuati & publici decempedator Nucula & Lentone collega. Idem metator à Plauto in Penulo & à Cicerone pro lege agraria dicitur finitor. Boetius uero eiuſmodi inſtrumentum tantūmodo perticam appellat. At funiculus, ut dixi, Ptolemæo, ſiue potius Marino, fuit triginta ſtadiorum: Ægyptijs, ſexaginta. Sed סַנֶּה quam LXX. κάλαμον, Latini interpretes etiam calamū uertunt, cum Latine arundo dici poſsit, eſt cubitorum ſex perfectorum uel ſeptem communium, quod Ezechiel propheta cap. XL. declarat his uerbis.

Pertica

Decempeda

Funiculus.

Arundo.

וּבְיַד

וּבְיַד אִישׁ קָנֵה מִדַּת שֵׁשׁ אַמּוֹת בָּאַמָּה וְטֹפַח Id est. Et in manu uiri arũdo mẽsoris sex cubitorũ: in cubito & palmo. Quẽ locũ LXX. interpretes sic reddunt. ἡ δὲ χειρὶ τοῦ ἀνδρὸς ἡ κάλαμος τοῦ μέτρου πηχῶν ἓξ, ὧν πήχεως καὶ παλαιστῆς. hoc est. Et in manu uiri arundo. quæ mensura est sex cubitorũ in cubito & palmo. id est cane siue arundo existit cubitorũ sex perfectorũ in quorũ unoquoq; est cubitũ et palmus. quapropter supra palmicubitũ sum interpretatus. In eadem sentẽtia est Nicolaus Lyra in libro differentiarũ. qui tamen cubitum nominauit ulnam, & recte quidem. Errat igitur Isidorus Hispalensis cum ait. sola pertica portatur. est enim decem pedum ad instar calami in Ezechiele templum mensurantis. Perticis autem, item funiculis & arundinibus usi sunt uiarũ, agrorum, & aliarum rerum metatores, sed funiculis tantum spacia geographi explicauerunt. etenim decempedarum loco Græci usi sunt stadio: Romani, passu & milliari: Hebræi, cubito. Hactenus de mensuris certis & instrumẽtis quibus uias & agros ac reliquas res dimensi sunt ueteres, nunc de alijs quibusdam dicam. Cum aliquis, maxime uero exercitus, itinere unius diei, uel etiam, si ita fors tulerit, noctis facto in aliquo loco consistit uel castra ponit, Græce σαθμὸς dicitur. quod percipitur ex Herodoti libro quinto, quem Terpsichoren inscripsit: & ex Xenophontis libris De Cyri ascensu ad Babylonẽ. Sed eiusmodi iter nõ eiusdem longitudinis solet esse. quod non minus ex iam dictis scriptoribus intelligitur. Quo sanè modo Latini exercitum secundis aut tertijs pluribus ue castris ad aliquem locum uenisse scribũt. Vt autem Græcis cum quis itinere unius diei confecto in loco cõsistit σαθμὸς dicitur, ita Hebræis in libro ortus mundi cap. XXXVI. ipsum iter unius diei, ut autor est magister Abrahamus, בִּבְרַת הָאָרֶץ Id est prandiũ terræ nuncupatur. quod itinere unius diei perfecto prandere, uel potius cœnare, consueuissent Hebræi. At Germani milites cum aliquo itinere perfecto humi strati cõquiescunt, ut ex lassitudine recreati mox rursus iter facere possint, rastam nominant. hoc uerbũ castrense, si D. Hieronymo credimus, certum uiæ spatium uniuersæ significabat Germaniæ, quod si cõcedimus id quidẽ spatiũ significabat quod nunc millia re Latino uocabulo appellamus: cum efficiat quatuor millia passuum, atq; ita duobus stadijs superet parasangã Persicã. quanq; milliare Germanicũ maius quinq; millia passuũ in se continet. Similiter Galli non mille passibus, sed leucis, ut autor est Ammianus Marcellinus libro XV. itinera metiũtur. quæ mensura Gallica est mille & quingentorum passuũ. scribit enim idem Marcellinus lib. XVI. Et cum à loco unde Romana promota sunt signa, aduso; uallum barbaricum quarta leuca signabatur & decima, id est unum & uiginti millia passuum. Attamen Galli hodie leucam duobus ferè millibus passuum definiunt.

GEORGII AGRI-COLAE DE RESTITVENDIS PONDERIBVS ATQVE MENsuris Liber unus.

Auicenna

Cleopatra

Fannius

Galenus

Græcus ignotus

Nicandri interpres

Paulus Ægineta

Serapio

Theophraſtus

CLARO ET DOCTO VIRO D.
HIERONYMO KISVVETTERO VTRIVSQVE IVRIS doctori & Cancellario illustris. Saxonum ducis Augusti Georgius Agricola
S. D.



Eres quondam, uir clarissime, ut nunc immansuetas gentes, quæ desertas Lybiæ solitudines & ultimas Scandiæ terras incolunt, nullas merces appendisse, sed ex aspectus iudicio rerum omnium precia æstimasse, ac Albanos exquisitorum ponderum atque mensurarum ignaros fuisse, memoriæ traditum est. Simplices quidem hi homines iam adulto mundo fuerunt, aut iam prope senescente sunt, sed omnino similes illorum primorum hominum, qui mundo paucis ante annis procreato extiterunt. etsi ipsis non diu fuit mos ita faciendi. nam Cainus Adæ filius primo, ut Iosephus scriptum reliquit, mensuras & pondera inuenit. deinde diuersos eorundem inuentores nobis Græci & Latini scriptores prodiderunt. etenim maior Gellius, Palamedem: Strabo & Plinius, Phidonem Argiuum: Diogenes Laertius, Pythagoram. Iusticiæ autem causa olim mensuræ & pondera fuerunt constituta: nimirum ut emptor à uenditore fraudolento sibi cauere posset. neutra tamen incorrupta manserunt, sed homines per fraudem & maliciam finxerunt & formarunt tam pondera quàm mensuras iniquas. quocirca sæpenumero Moses & prophetæ, quorum animos diuinum numen incitauit, iustis uti iubent, prohibent contrarijs, atq; certe deus huius iniquitatis, ut aliorum criminum, ulciscendæ causa Iudæis malum minatur & supplicium de eis se sumpturum asserit. Diodorus autem Siculus scribit Ægyptios ei, qui mensuras & pondera mutasset, ambas manus amputasse. Athenienses quoq;, ne cui facere fraudem hanc impune liceret, xv uiris eum mandarunt magistratum, cuius proprium munus esset curare ut uendentibus legitima essent pondera legitimæq; mēsuræ. quos iccirco μετρονόμους nominauerunt. eorum decem magistratum illum habebant in Piræo, in urbe quinq;. Romæ uero & in Italiæ oppidis hoc officium fuit ædilium. ait enim Persius

Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Arreti ædilis iniquas.

Similiter Venetijs, quæ urbs omnium totius Europæ est pulcherrima, florentissima, potētissima hodie ueteris iusticiæ ædiles uocati funguntur hoc munere. hi omnibus qui immutarunt pondera & mensuras irrogant mulctam. Nulla denicq; ex omni regno terrarum ciuitas est, in qua magistratus, quantum fieri possit, nō caueat ne quid de mo-

do menſurarum uel de grauitate ponderum minuatur. Vt uero quælibet reſp. habeat ſuas mẽſuras ſuaſq; pondera, ita literæ quoq; tam Græcæ quàm Latinæ: ſed in primis ars medica. quæ quia à barbaris medicis multum immutata ſunt, qui medicamenta ueterum his uſus confecerit, manifeſto comperiet multa eas facultates, quibus prædita eſſe dicuntur, non habere. qui medici ſi ignoratione Latinarũ & Græcarum literarum in his non peccaſſent, eo maiore pœna afficiendi erant, quo magis bona corporis, cuius temperationem animi mores ſequuntur, id genus bonis, quæ uel appenſa uel demenſa emimus, præſtant. Nos pluribus libris proportionem, quam maiores menſuræ habent ad minores & Græcæ ad Romanas, ac utræq; ad externas: item quam pondera inter ſe habent comparationem declarauimus. nunc in hoc ſeparatim elaborabo, ut uetera pondera & mẽſuras in integrum reſtituam. quem tibi, uir optime, conſecraui: & quia ſocero tuo Georgio Cõmerſtadio homini prudentiſsimo & clariſsimo tantum debeo, quantũ uix poſsim perſoluere: & quia mihi maxime opus eſt patrono, qui me meaq; ſtudia in ſuam recipiat fidem: & ſi aduerſarios habuero pro eis propugnet. quod tu potes, qui es Græcis & Latinis literis eruditus iuriſq; ualde peritus. Vale Kempnicij Hermundurorum ſiue Miſenorum III. Calend. Iulij anno

M. D. XLIX.

GEORGII AGRICOLAE DE RESTITVENDIS PONDERIBVS ATQVE MENSURIS Liber.



Vi salutaria ueterum tam Romanorũ quàm Græcorum medicamenta studeant parare, ij necesse habent non modo ad eam rem conquirere materiam ueram & lectam, siue ea decerpta sit ex stirpibus, siue ex animantibus sumpta, aut ex terræ canalibus effossa; sed etiam mensurarum capacitatem & ponderum grauitatem habere definitam. quæ autem ueterũ sint mensuræ, & item pondera, & quam proportionem utriusq; generis minora habeant ad maiora, & Græca ad Romana, atq; externa ad eadem, quinq; libris, De mensuris & ponderibus tam Græcorum, quàm Romanorum, & duobus De externis inscriptis, explicaui. Verum quia quæ sit per se cuiusq; mensuræ capacitas, quæ cuiusq; ponderis grauitas, prius certo sciri ac plane percipi non potest, quàm ratio restituendorum ponderum & mensurarum diligenter fuerit explicata, operæ precium est eius rei laborem necessariũ medicinæ deditis, reliquarum artium studiosis utilem suscipere. Quanquam autem uiri quidam docti proximis superioribus annis ad eam explicationem studio non mediocri contenderunt, tamen eorum quisq; in eo multum operæ posuit ut suis mensuris ueterum mensurarum modum declararet: suis ponderibus priscorũ ponderum momentum. cum ipsi quidem illi nondum nobis satis probauerint quod sentiunt: nempe suæ ciuitatis pondera eam, quam dicunt, habere proportionem ad pondera antiqua: similiter suæ ciuitatis mensuras ad priscas mensuras. in qua re uidentur secuti rationem quorundam qui laborarunt quemadmodum suis monetis nos docerent quanti precij fuerint Græcorum & Romanorum monetæ: cum nec dum satis explicarint neq; ueterum neq; suarum monetarum pondera & temperaturas. illorum autem studium, etiamsi quod inuestigarunt, ista ratione sunt assecuti, nec approbare possum, nec improbare. quia enim libellos, in quibus hæc scribunt, in lucem protulerunt, nec eam rationem, quæ ipsis cõmunis esse potest cum cæteris, satis explicauerunt, id non possum approbare. nam cum non solum plerunq; separatim sint aliæ cuiusq; regionis & inter se maxime diuersæ mensuræ & pondera, sed unius eiusdemq; regionis urbes in ijsdem inter se uarient: atq; etiam non ra-

ro unius oppidi multũ differant, iſti paucis prodeſſe poſſunt. ut enim multorum uulgarium ponderum & menſurarũ cognitio magnos uſus afferat ad merces emendas & uendẽdas cum quæſtu compendioque, non ſequitur ut ſi ea mercatoribus, optimarum artium ſtudio deditis accõmodata ſit atq; utilis. quod ſi iſtam ſcribendi rationem Græcis & Latinis literis eruditis ubicunq; terrarum fuerint probabunt, quem modum & finem libris facient? Quia uero ut prodeſſent ſuis ciuibus induſtria ſingulari elaborauerunt, eorum ſtudium omnino improbare nõ poſſum: & mea quidem ſententia comprobarẽ, ſi nullos, ut iam dixi, ea de re edidiſſent libellos. Attamen qui unũ aliquod pondus ciuibus ſuis uſitatum ac tritum & quod proxime accedere uidetur ad aliquod uetus eligit, atq; reliqua pondera, ſeruata proportione quã illud habet ad ea, confecerit, itemq; menſuras: is ſi eo modo præparat medicamenta, quod ad conficiendi rationem attinet, hoc uidetur conſecutus, ut ſimplices medicinæ ſeruent proportionem. in medicamentis uero parum aut nihil refert utrum maior eorum moles, quæ oritur à maioribus menſuris & ponderibus quàm uetera fuerunt: an minor, quæ à minoribus, conficiatur quàm ille, qui medicamenta primo conpoſuit, ſolitus ſit conficere. nam certe multum an parum medicinæ purgantis dandum ſit ægroto medicus utriuſq; uires conſiderans perpendit. at idem ea pondera eaſq; menſuras eſſe Romanas aut Græcas doctis uiris non probabit. hi enim iuſtam ueterum ponderũ grauitatem, & legitimam priſcarum menſurarum capacitatem requirunt. Itaq; perſequenda eſt, quo ad fieri poteſt, uia compendiaria & certa: atq; quærenda ratio quæ nobis cum multis alijs ſit futura cõmunis. Cum autem res planè cognitæ, quæ nos adiuuare poſſe uidentẽ ad reſtituendã ueterum pondera incognita, itemq; menſuras, partim naturales ſint, partim artificioſæ, utraſq; primo conſiderabimus quot & quæ ſint: deinde ſingulas expendemus quantæ & quales ſint: ut inter cæteras omnes eluceat una, uel etiam plures, per quas id aſſequi poſsimus, quod deſideramus. Ordiamur igitur à rebus naturalibus. hæ uero ſunt uel grana frumenti, uel ſemina leguminum, uel ſemina fructuum, uel fructus ipſi, uel deniq; oua. grana certe trium generum frumenti, hordei ſcilicet, tritici, zeæ: ſemina quatuor leguminum, nempe lentis, erui, lupini, fabæ: ſemen unius fructus, uidelicet ſiliquæ: fructus tres, glans, nux pontica, nux iuglans: poſtremo liquor ouorũ: & quidem gallinarum. res ergo naturales duodecim ſunt numero. artificioſæ uero tres, priſcæ monetæ, uetus libra Romana, antiquus pes Romanus. quindecim igitur ſunt omnes res collectæ, quibus potiſsimum eò, quo contendimus, poſſumus, ut uidetur, peruenire: hoc eſt pondera & menſuras reſtituere in integrum: uel illorum grauitatẽ, harum capacitatem explicare. Quarum rerum fere omnium pondus ut examinemus ſtate

ra

ra, ipſa ratio poſtulat: ordo ut primo expendamus grana frumenti. Quidam ex Græcis, qui locum de menſuris & ponderibus tractant, ſcribit ſiliquam pendere quatuor frumenti grana. inquit enim τόδε κεράτιον ἔχει σιτάρια δ'. Etſi uero hæc uerba in Paulo Ægineta nō ſunt, tamen ea etiam habet Græcus Nicādri interpres, & Serapio Maurus. cuius ſcripta pleraq; expreſſa ſunt de Græcis. σῖτος certe ſignificat frumentum. à quo manat σιτάριον. quod uocabulum, ſicut mihi uidetur, declarat frumenti ſemen ſiue granum. quod Græci dicunt ἢ τὸ σίτου καρπὸν ἢ κόκκον. Sed cum frumenti genera Græcis nota ſint plura, triticum, zea, olyra, hordeum, tragus, auena, typha, oryza, milium, panicum, & Græcus ipſe non explicarit cuius frumenti quatuor grana pendant ſiliquæ ſemen, hoc alius in aliam partem accepit, & Mauri à quibuſdam Italis diſſident uerbi interpretatione. nam id interpretantur de hordei granis ſcriptum eſſe. drachma, ſcribit Auicenna, pendit obolos ſex: obolus, tres ſiliquas: ſiliqua, quatuor grana hordei. Verum tamen nō ſum neſcius apud Serapionem ſcriptum eſſe, ſiliqua pendit quatuor grana, & eum non aliter ac Græcum, à quo ſua ſumpſit, quod nam eſſet frumentum non explicaſſe. At Itali inter ſe diſſentiunt. etenim Maurorum inſtitutionibus eruditi partim Auicennam ſequūtur, partim tritici ſemen intelligunt. quia enim triticum omnibus frumenti generibus pondere ac bonitate præſtat, temere & nulla ratione uerbum ambiguum in hanc ſententiam accepiſſe non poſſunt uideri. Qui igitur eunt in ſententiam Maurorum, exiſtimāt pondera & menſuras ueteres, ſi hordei grana legantur in integrum reſtitui poſſe: qui in alteram, ſi tritici. Sed ut aliqua tritici grana eiuſdem ſint ponderis, cuius grana hordei, ut hinc æqualia pondera, atq; ſic etiam menſuras æquales facere & conſtituere poſsint, primo quia hordeum diſtichum hexaſticho pondere præſtat, & utrunq; mature ſatum plerunq; trimeſtri, eius, qui hexaſtichi ſemina accipiet, pondera nō erunt tanta, quanta eius qui diſtichi ſemina. nec eius qui alterutrius trimeſtris grana ſumet erunt tanta, quāta eius qui mature ſati. ſimiliter quia triticū, quod robus nominatur magis eſt ponderoſum quàm ſiligo, et utrūq; matu re ſatum plerunq; trimeſtri, ex eorum etiam granis altera pars efficiet pondera quæ inter ſe grauitate diſtabūt. tum quia cuiuſq; generis hordei uel tritici ſemē grande, minuto: robuſtum & ſolidum, uano & inani: recēs, uetuſto, ut hic omittam mediocre, grauius inuenitur, ex alijs atq; alijs diuerſa fabricabunt pondera. Quæ res cum ſic ſe habeat quis non uidet ſi accipiantur grana hordei uel tritici uetuſta pondera in integrum reſtitui non poſſe? Attamen his iam reſtitutis forte inuenientur quatuor hordei uel tritici grana, quæ ſextam ueteris ſcripuli partem pendant. quo ſanè modo nunc alij medicamentarij eligunt uiginti ſemina hordei, quorum pondus ſcripulum colligat: alij uiginti

grana tritici: alij totidem semina fructus balsami. sed hi omnes in errore uersantur. nam, ut Græci & Mauri tradunt, scripulum pendit grana frumenti quatuor & uiginti. Verum pharmacopolæ in hac re imitantur eos medicos qui à Græcis & Mauris dissidentes statuunt scripulum uiginti granorum esse. quo errore ducuntur Nicolaus & Salernitæ eum secuti, Veneti, Neapolitani. Sed hi omnes libram ueterum more partiuntur in duodecim uncias, et drachmam in tria scripula: uerum de numero drachmarum, quas complectitur uncia, dissentiũt. etenim Nicolaus & Salernitę dicunt ipsam unciam nouem esse drachmarum: Veneti, octo: Neapolitani, decem. Huius autem erroris primus autor extitit Nicolaus. nam cum inscitia ductus uel gloriæ cupidus constituisset de scripulo, id esse granorũ uiginti, ac uideret se inde multo leuiorem libram efficere quàm esset uetus, hanc leuitatem uoluit compensare maiori drachmarũ numero. quoniã em̃ uetus libra pendit granorũ VIDCCCCXII. si unciam octo tantum drachmarũ esse decreuisset, eius libra solum ex granorum VDCCLX. constitisset: nunc cum eam nouem drachmarum esse decernat, ex granorum VICCCCLXXX. constat. Verumetiam hac ratione CCCCXXXII. granis leuior est quàm uetus. Veneti autem cum, quod ad numerum granorum, ex quibus constat scripulum, attinet, Nicolao assentiantur, tamẽ, quod ad unciæ diuisionem in octo drachmas distributam pertinet, de sententia ueterũ non discedunt. itaq; multo minorem quam uel ueteres uel Nicolaus conficiunt libram. nimirum ex granorum VDCCLX. At Neapolitani quia aduerterunt libram Nicolai leuiorem esse quàm ueterem, dixerunt unciam drachmarum esse decem: atq; ita libram granorum VIICC. qui cum uoluerint uitare charybdim, ut est in prouerbio, inciderũt in scyllam. hoc est libram CCLXXXVIII. granis grauiorem quàm ueteres fecerunt.

Sed magis quàm Itali per errorem labuntur exteri quidam medici & pharmacopolæ, qui mercatores secuti librã sedecim unciarũ esse dicũt. etenim si eorum scripulum ex uiginti granis constat, libra complectitur granorũ VIIDCLXXX. sin ex granis quatuor & uiginti, granorum IXCCXVI. Tot aũt falsas opiniones erroresq; in Europa genuit ignoratio Latinarũ Gręcarũ ꝑ literarũ, quæ aliquot secula iacuerunt. in medicina certe barbaries usq; ad nostram uiguit ætatẽ: imo hodie etiam in quibusdam ciuitatibus est gratiosa. nec mirum, cum ineptiæ istæ nunc pellantur, si posteritati ridiculum uidebitur tantam habuisse medicos ponderum discrepantiam. Simili modo Hebræi legis interpretes qui aiunt siclum pendere grana hordei CCCLXXXIIII. & aliquid de numero granorum, ut libro secundo De externis mensuris dixi, detrahunt: & parum accuratam & exquisitam rationem in pondere eius nũmi argenti definiendo sequuntur. Ex his igitur, quæ pluribus uerbis disserui, illud perspicuũ est, eos qui grana hordei uel tritici ex hoc

pendunt

pendũt,ut reſtituant uetera pondera,uel eorum grauitatem explicẽt, longe falli opinione. Nunc zeæ ſemen expendamus.Rhemnius Fannius ſcripulum affirmat pendere octo ſemina zeæ, quam ſpeltam nominat,ut etiam in Italia uulgus hoc tempore ,eius uerſus ſunt.

Semina ſex alĩ ſiliquis latitantia curuis
Attribuunt ſcriplo:lentes ueraciter octo
Aut totidem ſpeltas numerant,triſtes'ue lupinos
Bis octo.

Zeæ autem ſemen eſt leuiſsimum, ut Theophraſtus ſcribit:& certe leuius tritico. quod quiſq; ſi utrunq; appenderit, periclitari poteſt. Vt uero zeæ ſemen tam graue ſit quàm tritici granum, quanquam nõ eſt, tamen triplo leuius ſcripulum fieret ex octo zeæ ſeminibus quàm ex quatuor & uiginti granis tritici. ſed cũ duplex ſit zea, ſimplex, cui in ſingulis tunicis unum eſt granum. & δίκοκκος, cui geminum,unde nomen inuenit, & inter ſe differant pondere,iterum erit diſcrimen inter ſcripulum quod efficietur ex ſimplicis zeæ granis,& id quod ex ſeminibus δικόκκου. quin hic etiam utriuſq; generis granum grãde gra uius eſt minuto,robuſtum inani,recens ueteri. Ergo,quia per grana frumenti neminem uideamus aſſequi ut reſtituat pondera uetuſta, abeamus ad legumina. Sex lentis ſemina plerunq; pendunt ſemen unum ſiliquæ. cum autem ſex ſiliquæ ſemina pendant ſcripulum, ſex & triginta lentis ſemina item pondus habent ſcripuli.nam errorem eorum, qui, ut Fannius ſcribit, ſcripulo attribuerunt octo lentis ſemina, coarguit res ipſa. uerum cum duo etiam lentis ſemina reperiantur quę pondere pendunt granum unum tritici, nõ errant qui ſextuplo leuius ſtatuunt lentis ſemen quàm hi de quibus loquitur Fannius. etenim ex illorum ſententia octo & quadraginta lentis ſemina ſcripuli pondus colligunt:ex horũ octo tantum. Eruum uero, ſicut ex Græcis quidam ſcriptum reliquit,pendit duo æreola,at octo æreolis more inſtitutoq; medicorum pondus eſt oboli: ſedecim, ſcripuli, uidetur igitur ex quatuor erui ſeminibus obolus confici poſſe: ex octo,ſcripulum.

Lupini autem tria ſemina pendere ſcripulum Cleopatra & Mauri literis prodiderunt: quatuor Fannius & Græcus interpres Nicandri.

At faba Græca duos obolos pendit: Alexandrina, tres: Ægyptia, quatuor.quod iterum Mauri memoriæ mandarunt.quibus ſcriptoribus ſi qui aſſenſi putabunt ſe per leguminum ſemina aſſequi poſſe ut pondera priſca in integrum reſtituant, nę illi uehementer errant. nam iſtiuſmodi ſemina ęque ac frumenti primum in diuerſis regionibus nata inter ſe differunt pondere.quod ex fabis poteſt intelligi: quanquam Ægyptia alterius generis uidetur eſſe:& Græcus quidam ſcripſit eam pendere obolum & dimidium. deinde eiuſdem regionis grandia ſemina à minutis grauitate diſtant, ut iterum faba hortenſis ab agreſti.hæc

enim

enim multo minor eſt illa. quo modo factum eſt ut tria lupini ſemina quę penderent ſcripulum in manus Cleopatræ uenerint: quatuor quę tantundem penderent in manus Fannij, aut potius eius quem eſt ſequutus, inciderint. tum ſemina robuſta differunt ab inanibus. poſtremo à uetuſtis recentia. Quocirca recte Fannius.

ſed ſi par generandi his pondus ineſſet
Seruarent eadem diuerſæ pondera gentes.
Nunc uariant. etenim non omnia fœdere certo
Naturæ, ſed lege ualent, hominumq; repertis.

Sequuntur tertij generis res naturales. hoc eſt ſemina fructuum, aut fructus ipſi. De pondere quidem ſeminum ſiliquæ ſcriptores omnes ad unum idem ſentiunt. Græci enim, quos alij ſequuntur, nobis affirmant uel tria obolum pendere, uel ſex ſcripulum, ſiue, quod idem eſt, duos obolos. Glans autem, ut ex Græcis quidam ſcribit, pondus habet dimidiæ drachmæ: nux Pontica, integræ: regia, ut Cleopatra, quatuor drachmarum. Qui igitur ex his etiam ſeminibus fructibus ue pondera & menſuras ueteres confici poſſe cenſent, eque ac alij per errorem labuntur. etenim cum ſemina ſiliquæ extrema minora, atque ſic etiam leuiora ſint quàm media, quæ nam accipienda ſunt? mediocria inquiunt. at quia unius ſiliquæ mediocria ſemina cum alterius magnis, cumq; alterius paruis æquari conferriq; poſſunt, hæc ratio reſtituendi pondera lubrica eſſe uidetur & incerta. Deinde quoniã multæ arbores glandem ferunt, ilex nimirum, quercus, robur, eſculus, cerrus, ſuber, fagus, cuius fructũ Græcus intelligat neſcimus, quod eum uerbi interpretatione non explicauit. ſed ut intelligere uideatur quercus glandes, quia & hæ pondere differunt, iterum in eligendo hærebimus. Nec minus quod ad Ponticas nuces attinet. oblongæ enim à rotundis diſtant, & urbanæ ſylueſtribus præſtant pondere. Tum unius ponderis non eſſe nuces regias, quas Latini iuglandes appellãt, ex his ipſis qui ſcripſerunt de menſuris & ponderibus poteſt percipi. nã Greçorũ alius dicit eam pendere drachmas IIII, alius drachmas VII. Nicandri interpres ſeptẽ σάγια, Latini ſextulas nominant, hoc eſt drachmas IX. & ſcripulũ I. Serapio quatuordecim obolos, id eſt drachmas duas & ſcripulum unum. Greçi autem, ut mihi uidetur, appenderunt nuces adhuc extimo illo cortice, aſpectu uiridi & manus nigrore tingente ſi tractetur, quaſi callo quodam obductas: & quidem alius alio grandiorem. Maurus uero cortice nudam, attamen incluſam in bifido putamine ligneo, tanquam in duabus carinis reconditã: & quidem recentem. ueteres enim minus ſunt graues. Iſta autẽ explicatio ponderis rerum naturalium hinc uidetur manaſſe. qui libellos confecerunt de medicamentis, iuſſerunt pharmacopolas unam aliquã ſimplicem medicinam in ea conijcere magnitudine glandis, uel nucis Ponticæ, uel iuglandis,

aut

aut ſeminis erui, uel lupini, uel fabæ, uel ſiliquæ: aut ægrotos tantundē de cōpoſito medicamento delibare. quin noſtris temporibus ſuſcepit conſuetudo medicorum, ut ægrotis dicant de hac medicina tantum, quanta eſt magnitudo erui, aut iuglandis, aut caſtaneæ delibes. itaq; medici, qui illorum libellos legerunt, cuiuſq; ſeminis aut fructus pondus exprimere conati ſunt. atq; hi ipſi quidem incertum harum rerum naturalium pondus recte definierūt certo rei artificioſæ pondere. contra uero non recte ſentiunt qui putant iſtis ſeminibus aut fructibus legitimam ueterum ponderum grauitatem explicari uel reſtitui poſſe.

Sed de rebus naturalibus ſatis. nunc dicam de artificioſis per quas uidemur aſſequi poſſe ut primo reſtituamus uetera pondera, deinde menſuras. quæ ſunt antiqua libra & priſcæ monetæ. Quod ſi ea libra, quam Romæ Angelus Colocius, ut perhibent, inuenit, uetus illa Romana fuerit non mutilata, non attrita, non corroſa, tantis nos in laboribus fruſtra ac ſine cauſa frangimus. iam enim pondus inuentum eſt quod quærimus. de hac libra, cum Romæ eſſem abhinc annos tres & uiginti, nihil audiui: ſed aliquot annis poſt ad me ſcripſerunt amici. quare petij à uiris nobilibus ut eiuſdem ponderis plumbum trutina examinatum ad me mitterent. uerum id nō aſſecutus, quod Colocius eam libram uel peruulgari noluerit, uel non habuerit, ſed nugator aliquis inanem de ea rumorem ſparſerit. Quoniam uero rumor iſte de libra Romana inuenta ſpem noſtram fefellit, perpendamus priſcas monetas. Qui ueteres quoſdam denarios argenteos & aureos appenderunt, quod comperiſſent eos ſuæ ciuitatis drachmā pendere, ſua pondera mirifice ad momentum cum ueteribus ponderibus conuenire putarunt. in quam ſententiā expoſitis rationibus ſtudioſos optimarum artium tres illi uiri docti, Budæus, Portius, Alciatus, eoſq; ſecuti perducere conantur. quibus ſi fuerimus aſſenſi, abiecto omni conſilio reſtituendorum ponderum & menſurarum ab uno aliquo ex his tribus aut eorum ciuibus uel æmulatoribus mutuemur drachmā uel aliquod aliud pondus. nā quodcunq; dederint, per id nos aſſequi poſſe pro certo putamus ut non modo reliqua uetera pondera, ſed etiam menſuras in integrum reſtituamus. ſin in eam ſententiam diſceſsionem non fecerimus, ut certe facere non poſſumus, neceſſe nobis erit eorū argumenta diligenter expendere. Verum quia Ariſtotelem quidam peruellunt quod philoſophorum, contra quos diſputat, uerba interdum nō percenſeat, ſed decreta tantum argumentis refellat, uereor ne in eandem reprehenſionem incurram. itaq; cuiuſq; uerba in medium proferam.

Portius ſic ſcribit: Libra Romana, quam eandem fuiſſe qua nos utimur nedum coniectura, ſed uera computatione puto me reperiſſe, uncias in ſe habuit duodecim, uncia drachmas octo: & ſic libra drachmas nonaginta ſex. unciæ & drachmæ, in numero noſtrę & antiquæ librę

conueniunt

conueniunt: quia totidem libram noſtram conſtituunt. drachmas uero & uncias antiquas noſtris conuenire duplici argumento & utroq; probabili, & quaſi demonſtratiuo puto deprehendiſſe. cum apud antiquos & noſtro æuo drachmam eſſe octauam partem unciæ conſtet. & denarij antiqui, quos frequentiores pondere drachmæ fuiſſe inferius apparebit, nunc diuerſiſsimis in regionibus reperti octo noſtrã, ſicut & antiquam unciam, & nonaginta ſex libram impleant. præterea ſicut uncia noſtri temporis charactos CXLIIII. cõtinet. quo pondere ferè minimo monetarij & aurifices nunc utuntur. drachma uero quæ eſt octaua pars unciæ charactos XVIII. ita antiquam unciam & drachmam totidem ſiliquas ex computatione præmiſſa apparet habuiſſe. ſiliquas uero antiquas noſtris charactis cõuenire & nomine & effectu omnibus, qui experiri curabunt, conſtare poterit. quia pro ſiliqua ſemina illius pomi ſiue fructus, quem Græci ceratium, noſtri uulgo nũc charobam appellant, accipiebant: & inde Græco corrupto uocabulo pro ſiliquis characti nomẽ in uſu eſſe cœpiſſe librando deprehendi. quia eiuſdem ſunt ponderis ſi ſemina pleniora & matura & non flaccida & exhauſta eligantur. Hæc ille. Recte autem ſentit libram Romanam diſtributam fuiſſe in uncias duodecim & unamquanq; unciam in drachmas octo: atq; ita eam ex drachmis ſex & nonaginta conſtitiſſe. quod uero ait libram, qua ipſi uterẽtur, ex totidem uncijs & ex totidem drachmis conſtitutam, atq; eandem eſſe, id nos in aliquas dubitationes adducit. Primo enim neſcimus utrum Venetam libram intelligat, an Vicentinam. ſi Venetã intelligit: iterũ hærebimus. nam multiplex eſt. grauis, leuis, medica, bes argentarius, bes aurarius. Graui aũt libra utũtur Veneti cũ ponderãt carnes recentes & ſalitas, piſces recẽtes & ſalitos, ſeuũ, adipẽ, axungiã, caſeum, butyrũ, oleũ, mel, picem liquidam & ſiccam, reſinam, uiſcum, gallas, linum, canabim, plumas, lanam, dentes balenę, fecem ſiccam, lignum buxi, rubricã fabrilem, ochram, cretam, ſulfur, æreos panes, bracteas æreas, fila ærea, æs factum, orichalcum, laminas orichalceas, fila orichalcea, orichalcũ factum, plumbum candidum factum & non factum, plumbum cinereum, plumbum nigrum, ferrum. quid pluracea utuntur cum grauiſsimæ cuiuſq; rei magnã molem ponderant. Leuem uero libram uſurpãt cum pendunt alumen, amiantum, auripigmentum, ſandaracam, arſenicum facticium, chryſocollam, cæruleum, indicum, halinitrum, puluerem bombardicũ, ſaponem album & nigrum, cæram, ſaccharum, glycyrrhizam, capparim, pineas, piſtacia, palmulas, myxa, amigdalas, oryzam, cuminum, aniſum, cubebas, uuas paſſas, lanam xylinam, lanam bombycum, & eandem in fila formatam, coccon baphicon, cinamomum, piper, & omne genus aromatum. Medica autem utuntur pharmacopolæ, cum medicamenta uel conficiunt, uel uendunt. At argentarium beſſem; quem ipſi noſtro

uoca

uocabulo marcam nominant, adhibent ad ponderandum aurum, argentum, margaritas, gemmas quasdam nondum politas. Eodem bessе utuntur, qui cudunt monetas aureas & argenteas. Aurarium autem bessem Veneti usurpant cum uendunt aurum argentumue in fila tenuatum cum lana bombycina uel sine ea lana. Sed ut proportionem quam hæ libræ & besses inter se habeant magis perspicuam facere possim, in quæ pondera minora distribui soleant primo dicam. Grauem diuidunt æqualiter in duas selibras: selibram uero in duos quadrantes. At leuem partiuntur in duodecim uncias: unciam, in sex sextulas: sextulam, in quatuor & uiginti siliquas: siliquam, in quatuor grana. Sed medicam pharmacopolæ digerũt in duodecim uncias: unciam, in octo drachmas: drachmam, in tria scripula: scripulum, in duo semiscripula: semiscripulum, in decem grana, ut scripulum ex uiginti granis constet. Argentariũ uero bessem distribuunt in octo uncias: unciam, in quatuor sicilicos: sicilicum, in sex & triginta siliquas: siliquam, in quatuor grana. simili modo aurarium bessem diuidunt. Grauis igitur libra pendit leuem unam integram, uncias sex. sextulas quinq;, siliquas decem & octo. id est plus quàm dimidio est ponderosior. Leuis autem libra, si hoc iam mihi nõ excidit, pondus habet medicæ integræ: & præterea duarum eius unciarum, trium drachmarum, dimidij scripuli, duorum granorum. etenim leuis libræ sextula pendit grana XCVI. medicæ quatuor scripula tantummodo LXXX. grana. At bes argentarius pendit nouem leuis libræ uncias & duas sextulas: aurarius uero octo leuis libræ uncias & sextulã unã, ac duas dimidiæ sextulæ tertias. Portius aũt, si sentit de libra Veneta, neq; grauem neq; leuem potest intelligere, quod & neutra in drachmas diuidatur, & neutra utantur cum ponderant monetas: neq; etiam medicam, quod eam pharmacopolæ nunc in siliquas non partiantur, quarum ipse mentionem fecit. bessem igitur intelligit uel argentarium uel aurarium. quorum uterq;, si adijcitur ei triens, efficitur libra. sed de aurario non sentit, quod eo duntaxat aurum & argentum in fila tenuatum uendatur. quod si illis, qui statuũt Portium sentire de argentario besse, concessero, non sequitur ut ideo eiusdem ponderis sit argentarij besis siclicus aut drachma, cuius libræ ueteris siclicus aut drachma, quod aliqui denarij pependerint drachmam: ut postea declarabimus.

Si uero Portius intelligit libram Vicentinam, iterum nobis in dubium ueniet utrum de graui an de leui argentario besse. nam multum inter se differunt pondere. etenim, ut mercatores, quorũ sermones alias sæpe uani solent esse, sed hic ueraces, quod eorum permagni interfit hæc nosse, proportionem obseruando notarunt, libra Vicentina grauis ponderosior est quàm Veneta grauis drachma una, scripulis duobus, siliquis quatuor, granis fere tribus. Leuis uero Vicentina grauior

eſt quàm Veneta leuis uncia una & tribus ſextulis. At contra bes argentarius Venetus grauior eſt quàm bes Vicẽtinus ſiliquis octo. nam ſiliquæ centum quadraginta quatuor Venetijs pendunt unciam. centum autem & quadraginta tres ſiliquæ Venetæ pondus habẽt Vicentinæ unciæ. De medica uero libra nihil dicã amplius. in plurimis enim ciuitatibus pharmacopolæ utuntur libra ſua leui uel Nicolai, qui præpoſitus uocatus eſt, quæ ut cæteræ libræ conſtat ex duodecim uncijs: ſed uncia, ut ſupra dixi, ex nouem drachmis: drachma ex tribus ſcrupulis: ſcripulum ex uiginti granis. Sed ut demus Portium ſentire de argentario beſſe rurſus, ut poſtea explicabo, non ſequitur id quod ipſe contendit. At Alciatus ſic ſcribit. Vncia apud antiquos eadem fuit quæ & nunc eſt, cuius rei duplex eſt argumentum. alterum quod Plinius libro XXXIII. capite III. autor eſt aureos, qui apud ueteres didrachmales erant, XLVIII. in libra fuiſſe. hodie uero cum noſter aureus drachmalis ſit, uidemus XCVI. in ea appẽdi: & pauloplus propter colybum & authorametum principalis monetæ: alterum eſt quod etiamnum reperiuntur uetera numiſmata cum hac ✻ denarij nota eiuſdem ponderis, cuius drachma eſt noſtra. denariũ autem idem quod drachmam fuiſſe ſupra docuimus. quod ſi qui leuiores denarij reperiantur, id ex intertrimento euenit, uel quia aliqui principes propter difficultates nummarias leuiore pondere eos percuſſerunt. Si Alciatus diceret, ut non uidetur dicere, quamlibet unciam pondere non differre ab antiqua, quantum erraret uel ex comparatione ponderum Venetorum cum Vicentinis perſpicuũ eſſet. certe rariſsima quæq; ciuitas Italiæ in ponderibus & menſuris cum altera congruit. ſi uero unciam Mediolanenſem intelligit, libræ Mediolanenſes quoq; tres ſunt inter ſe ponderе differentes. grauis, qua pendant carnes, caſeos, & reliqua eſculenta. Leuis, qua aromata. bes nummarius, quo aurum, argentum, margaritas. de graui nihil dicam. etenim de hac neminem ſentire ex his, quæ dixi, ſatis apparet. Leuis uero libra, ut mercatores obſeruarunt, uncia una grauior eſt quam Veneta leuis. contra Venetus bes argentarius drachma ponderoſior eſt quàm bes nummarius Mediolanenſis. Sed id quoq; conueniat Alciatum ſentire de nummaria uncia & drachma, hoc mihi cum eo non cõuenit, ueterem drachmam eiuſdem ponderis fuiſſe, cuius eſt Mediolanenſis: & denarium legitimi ponderis nõ grauiorem quàm drachmam ueterem fuiſſe. Abeo nunc ad Budæum, qui in libro ſecundo de aſſe & partibus eius poſteaquam multas ueterum monetas recenſuit, ſic ſcribit. Verum, ut quod nunc agitur agamus, cum horum aliorumq; nũmorum pondus ad libellam exigerem, id eſſe uerũ deprehendi quod autore Plinio diximus, drachmam ſcilicet Atticã denarij Romani pondus habere. Quod ut docere poſſim rẽ ad pondera noſtra examinabo, ſed ita ut à nemine nõ intelligar.

libram

libram noſtrates duplicem habent. zygoſtatica libra eſt, quæ regia dici tur. qua negociatores & pigmentarij aromatarijq; utuntur, omnesq; omnino qui appenſas merces uenditant. hæc ſenumdenum unciarum eſt. eius ſemiſſem monetarij & aurifices & uaſcularij libram ſibi fecerunt marcam eam uocantes. Hac libra nunc utemur ad id docendum quod ſuſcepimus. librã igitur Romani in duodecim uncias diſtribuebant, & unciam in octo drachmas. huius libræ beſſem ſelibram noſtram regiam eſſe dico. cuius modus à zygoſtate publico ſtatuitur Pariſiis. huius muneris fit mentio in lege altera de ponderatoribus libro decimo Codicis. hoc beſſe nunc utemur pro libra quam marcam uocitamus: eamq; in uncias octonas diſtribuemus, unciamq; rurſus in totidem drachmas, & drachmas ſingulas in terna ſcripula, ita ut hemidrachmum ſeſquiſcripulum ualeat. Primum hoc dico drachmam Romanam & Atticam à noſtris uocitari groſſum, & ſcripulũ denarium, & ſemigroſſum nobis eſſe ſemidrachmam Atticam. quam drachmam noſtri ſterlinos duos & dimidiatum dictitant. qua ratione pondus noſtrum facile congruet cum antiquo. Hoc modo teneamus, libram noſtram cum libra Latina comparatam ſubſequiplam proportionem habere, quam habet bes ad aſſem. quippe cum libra noſtra (de octonaria ſemper loquor, quam marcam uocitari diximus) quatuor & ſexaginta groſſos capiat: id eſt octies octo. ſi trientem addideris beſsi, id eſt duos & triginta groſſos, ſeu quaternas uncias, libram utiq; efficies plenam antiquam, ſex & nonaginta drachmis cõſtantem, ut antea dictum eſt. qui numerus exit ex unciarũ numero per drachmarũ numerum multiplicato. hoc eſt ex duodenario in octonarium ducto. Verumenimuero cum numiſmata iam dicta cum alijs permultis exquiſita libra penſitarem, deprehendi Tullianũ illud & illud Auguſti capricorno ſignatum aliaq; nõnulla, ita pendere drachmam, id eſt groſſum noſtrum, ut lanx ex æquilibrio facile cum numiſmate uergeret. Hæc Budæus. cuius uerba excutiamus. primo autem denarius Romanus eiuſdem ponderis, cuius drachma Attica nõ fuit, ſed grauior. etenim uncia pependit drachmas octo. denarios uero legitimos ſeptem. in qua re præclara ueterum teſtimonia habeo, ut quarto libro De menſuris & ponderibus, ac libello qui inſcribitur, ad ea, quæ Andreas Alciatus denuo diſputauit De menſuris & ponderibus, breuis defenſio, explicaui. Deinde libra quidem, qua mercatores utuntur nõ modo in Gallia, ſed etiam in Germania & in cæteris regionibus eſt ſedecim unciarum. eius uero dimidia pars, quam monetarij uſurpant, & Germanico nomine, ut dixi, appellant marcam, octo unciarũ. atq; ad hanc ſelibram, ſi unciæ eiuſdem ponderis cuius ueteres eſſent, libra Romana, quæ pendit duodecim uncias, haberet proportionem ſequialteram: illa uero integra libra ad Romanam, ſupertertiam, ἐπιτρίτην Græci uocant. Sed ex qua re didi-

cit Budæus Parisiorum pondera recentia & uetera Romanorum esse inter se æqualia? nempe ex denario appenso. Verum Budæo prędicanti se ueterem denariū habuisse facile credo. sed quia, ut ipse fatetur, ab altera parte eius denarij qui tantundē pependit quantum nūmus Francicus, cui drachmæ pondus est, aliquid erat abrasum, integrum grauiorem fuisse nemo non intelligit. quod si habuisset septem integros denarios iusti ponderis qui pependissent unciam Lutecianam, tunc gloriari potuisset Francicam unciam pariter æqualiterq; grauitate respondere Romanæ. quoniam uero integros denarios non habuit, quos appenderet, non potest affirmare uncias æquales esse, imò ne proportionem quidem scire quam Francica pondera habeant ad Romana.

De proportione autem, quam pondera Venetorum omnia habent ad Luteciana, mihi non est necesse sermonem habere ob eam causam, quam supra dixi, sed satis est argentarium bessem Venetum cum Luteciano cōferre. itaq; argentarius bes Venetus pendit uncias Lutecianas septem & drachmam dimidiam. Atq; hęc pluribus fortasse uerbis, quàm necesse fuit, scripta sunt: nunc expendam drachmas quibus tres uiri illi docti uidentur usi fuisse cum trutina examinarēt denarios. Luteciana quidem, quam usurpauit Budæus siliquis duabus, & tertia grani parte, & quarta tertiæ ac decima sexta item tertiæ parte grauior est Veneta, qua usus est Portius. quod si is usus fuit Vicētina, ea dimidio grano leuior est quàm Veneta. rursus drachma Mediolanensis granis duobus amplius leuior est Veneta. Si igit̄ altera pars denarij, quē Budæus appendit, erat corrosa & tamen pendebat drachmam, quis ex eo de talibus integris denarijs coniecturam non facit, atq; nō uidet septem ad summum unciam Lutecianam pendere: ac talem denarium non paulo grauiorē fuisse drachma Veneta: magis uero Vicentina & Mediolanensi. quod si à Portio & Alciato reperti sunt denarij qui penderent drachmam Venetam, uel Vicentinam, uel Mediolanensem, hi etiam erāt legitimi, sed aut usu frequēti tractandoq; quondam fuerint attriti, nam argento manus sordescunt: aut terra obrutos acris humor nonnihil corrosit: aut imperatores inflāmati auiditate, uel cum impensis, quas facerent in bella, fiscus non sufficeret, inopia & necessitate coacti aliquid de eorum pondere detraxerunt. etenim denarij Romani triplices sunt, graues, mediocres, leues. quam rem cognitam habemus et ex optimis scriptoribus, & ex denarijs ipsis, quos appēdimus partim ipsi, partim alios in Italia & Germania uidimus appendere. Graues aūt pondus habent drachmæ unius & dimidiæ, nō quatuor scripulorū ut Portius asserit: mediocres, drachmæ unius & septimæ eius partis: leues, drachmę. quæ omnia diligēter expositi in libello qui inscribit̄: Ad ea, quæ Andreas Alciatus denuo disputauit De mensuris & ponderibus, breuis defensio. Verum graues nullos uidimus: mediocres extāt,

sed

sed non admodum multi: plures leues reperiũtur, maxime in antiquis ruinis, aurei uero Romanorum ueteres nummi, ut hic omittam semisses, tremisses, & nonnullos alios, sunt triplices. eorum primi pendunt duos denarios legitimi ponderis: alteri, duas drachmas: tertij, quatuor scripula. Sed quibus temporibus quicq; argentei & aurei nummi Romæ fuerunt percussi in libro secundo De precio metallorũ & monetis explicabo. nũc eligam eos nũmos priscos, per quos certius assequi possumus, ut restituamus antiqua pondera. hi autem sunt & denarij mediocres, quos, quia eis iustum est pondus, legitimos soleo nominare, & primi generis aurei nummi. nam non omnibus leuibus denarijs, etiamsi sint integri, est drachmæ pondus. etenim imperatores inferioris ætatis etiam id ipsum imminuisse comperimus, sicut aureorũ quoque secundi generis. at aureorum tertij generis nũc mira paucitas est.

Mediocris uero denarius si fuerit uetus & integer: id est non ad exemplar ueteris factus, non mutilatus, non attritus, non corrosus, pendit duo & septuaginta momenta. Vt autem studiosi literarum, ubicunque terrarum & gentium fuerint, intelligere possint pondus ueterum denariorum, dicam quid sit momentum: & quot momenta aurei nunc usitati pendant: & quo modo bes, qui monetarijs in usu est, diuidatur. Qui aureos nummos appendunt, orichalceas uel æreas formant massulas, quæ eorum pondus exæquant. quarum Rhenanam distribuunt in sexaginta momenta, quæ sunt bracteolæ item orichalceæ uel æreæ. de his momentis nunc loquor. nam aliarum massularum momenta, si in totidem diuiduntur, eiusdem cuius illa, grauitatis non sunt. Ea massula pendit sexaginta momenta, non quilibet aureus Rhenanus: grauiores enim & leuiores reperiuntur. Coronati autem Italici pendunt eiusmodi momenta duo & sexaginta, ac momenti dimidiam partem: Coronati uero Francici, momenta tria & sexaginta, ac duodecim momenti septuagesimas: at ducati, ut appellãt Veneti ac Turcici momenta quinque & sexaginta atque duas momenti octauas & sexagesimas. quod pondus ferè est ducatis Romanis, Bononiensibus, Lucensibus, Mediolanensibus. Grauiores his sunt aurei Vngarici & Hispani: pendunt enim sex & sexaginta momenta.

Bessem autem Noribergium monetarij, qui aurum cudunt, in quatuor & uiginti partiuntur sextulas, quas Græco uocabulo, quod est ὑσράπια, sed corrupto, improprie nominant. binas uero sextulas distribuunt in quatuor bina scripula: bina scripula rursus in tres quaternas siliquas. quæ pondera ipsi suis barbaris nominibus appellant: & eis utuntur cum argentum cũ auro permiscent: ut ex ea massa temperata signent aureos nummos. Eundem denique bessem Noribergium monetarij, qui cudunt argentum, diuidunt in sedecim semuncias, quas lotones uocant: semunciam uero, in quatuor drach-

mas: drachmam, in quatuor nummulos. At noſtri monetarij, qui ſignant argentum, ſuum beſſem item partiuntur in ſedecim ſemuncias: ſemunciam uero unamquanq; in decem & octo quaternas ſiliquas. atque eas nomine ipſis uſitato ſolēt nuncupare. quaternæ autem ſiliquę quatuor & dimidiā efficiunt drachmam. Quoniam uero duo & quinquaginta beſſes Noribergij pendunt noſtros beſſes tres & quinquaginta, ſequitur ut bes Noribergius grauior ſit quam noſter bes, drachma noſtra, ſiue Erphurdana, & duodecim drachmæ ſecundis & quinquageſimis. quinetiam, quia drachma Noribergia pendit momenta nouem & ſexaginta atq; ſex momēti quartas & ſexageſimas, ſequitur ut noſtra drachma habeat pondus ſeptem & ſexaginta momētorum, ac quinquaginta momēti quartas & ſexageſimas. quę paulo plus efficiunt quàm tres momenti quartas. De his autem apertius & planius dixi quod ad ea, de quibus ſcribam in libris de precio metallorū & monetis, intelligenda ualde ſint accōmodata. Sed redeo ad rationem inſtitutam. Ex ſeptem legitimis denarijs conficietur uncia: ex duodecim uncijs libra. dimidius uero denarius mediocris erit uictoriatus: ſexta eius pars, ſextans denarij. Vncia uero, ex ſeptem denarijs confecta diſtribuatur in octo octauas, atq; hæ erunt drachmæ Atticæ. quarum centum efficient minam. Rurſus drachma diuidatur in duas æquales partes, quæ erunt ſcripula: ſcripulum ſimiliter in duas partes æquales, quæ oboli. quorum quenque partiamur in octo octauas: quas Græci χαλκοῦς uocant, Latini æreola poſſunt nominare. Menſuræ autē hoc modo poſſunt reſtitui. In alteram libræ lancem imponantur decem uncię ponderales: in alteram infundatur oleum. ubi neutra propenderit, uaſculum, quod tantum olei capit, erit libra Romana. quod uaſculum in duodecim uncias menſurales diuidatur. quarum decem erunt hemina Romana. ſeruata uero proportione quam menſura habet ad menſuram, tam hæ quæ plus capiunt, q̄ quæ minus fabricari poſſunt.

Verum hac ratione reſtituta eſſe uetera pondera & priſcas menſuras, ex his, quæ ſequuntur, fiet perſpicuum. Abeo nunc ad reliquas duas res, per quas contra uidemur aſſequi poſſe ut primo reſtituamus menſuras, deinde pondera. earum autem altera eſt naturalis, liquor ſcilicet ouorum: altera artificioſa, pes uidelicet antiquus Romanus.

Hebræi aiunt לוג quam menſurā Latini interpretantur ſextarium capere ſex oua. id eſt tantum liquoris quantum in ſe continent ſex ouorum putamina. ea autem tam luteum liquorem quàm candidum continent. ipſi uero non explicant quæ oua intelligant, tamen dubium non uidetur eſſe quin ſentiant de ouis gallinarū. Gallinæ autem, ut de Numidicis, quod alterius generis ſint, nihil dicam, triplices ſunt. magnæ, quas noſtri Italicas nominant: mediocres, quas urbanas: paruæ, quas ruſticas. earū oua multū magnitudine inter ſe differunt, etenim magna

rum

rum gallinarum ferè duplo maiora sunt quàm paruarum: mediocrium medio modo se habent. itaq; cum isti magistri non expediant oua, quę sint accipienda, hæremus. quod si nunc dixerint oua mediocrium gallinarum esse sumenda, iterum incerta pro certis erunt habenda. nam eorum ouorum alia aliis plus minus'ue liquoris capiunt. ut igitur per alias res naturales assequi non possumus ut restituamus ueterum pondera, ita nec per ouorum liquorem, ut mensuras. quocirca referamus animum ad rem artificiosam, & consideremus pedem Romanum.

Quanquam autem ex digitis sedecim pes constat, & ex pede quadrantal uidetur confici posse, tamen per digitos etiam nō assequemur ut restituamus ueterem pedem Romanum. etenim digitorū habitus non est unus: quod res sint naturales, quæ amplitudine ferè semper uariant. nam digitorum alij sunt crassi, alij tenues, mediocres alij. & rursus crassi non parum magnitudine inter se differunt, item tenues mediocres'ue. Portius igitur tametsi decernat ut neq; crassi neq; graciles eligantur, tamen si alius alterius hominis maxime in alia regione & loco digitos mediocres eligat, eadem pedis non constituetur mensura. atq; ex hoc euenit ut in ciuitatibus existant pedes inæquales. sed nō referat magnopere id ipsum cum agros terrasq; metimur, ueteres certe mensuras ut restituamus necesse habemus nobis in promptu esse uetere pedem Romanum. Budæus ergo, qui cum quadrantal cōficeret, pede Luteciano pro norma usus fuit, nobis non probat ipsum illud esse Romanum. quod uero usurpauerit pedem Lutecianum his uerbis declarat. Vulgo pedem metiuntur opifices manibus in pugnos contractis & porrectis pollicibus altrinsecusq; obuersis. nos huiusmodi pedem habuimus, sed ab his petitum qui modum pedis publice statuere solent. Ex quibus satis intelligimus Budæum pedem Lutecianum, & quidem publicū, adhibuisse ad restituendū quadrantal. quem Francicum pedem, etiam in uilla Marliana dedit amicis, qui eum peruulgarunt. quod si Budæus primo demonstrasset pedem Lutecianū unum & eundem esse atq; illum Romanum, ac dein eo usus confecisset quadrantal, frequentes iremus in ipsius sententiam: sed cum id nō fecerit, de ea discedimus. Vetus autē Romanus pes Romæ extat cum in aliis quibusdam locis tum certe in hortis Angeli Colocij. cuius longitudinem posuimus in libro, qui inscribitur: De mensuris quibus interualla metimur. At pedis Luteciani, qui suis proprijs duobus digitis longior est quàm Romanus, hæc est longitudo.

I
II
III
IIII
V
VI
VII
VIII
IX
X
XI
XII
XIII
XIIII
XV
XVI
XVII
Vncia eius
Digitus
Pes Lutecianus

Rationem uero conficiendi quadrantalis ſub nomine amphoræ, quæ tantundem capit, quantum quadrantal, quanquam in eandem figuram non eſt formata, his uerſibus explicat Fannius.

Pes longo ſpacio latoq; notetur in anglo,
Angulus ut par ſit quem claudit linea triplex
Quatuor ex quadris medium cingatur inane,
Amphora fit cubus, quam ne uiolare liceret
Sacrauere Ioui Tarpeio in monte Quirites.

Hoc eſt quadrãtal, ſiue, ut ipſe ſcribit, amphora, ſic formatur ut eius capacitas lineas habeat quatuor rectas, æquales, pedem longas: & quatuor angulos rectos. in quorum quenq; neceſſario tres lineæ, longa ſcilicet, lata, alta conueniunt: efficiaturq; figura quadrata, quam Græci κῦβον appellant. ac quadrantal talem menſurã eſſe Feſtus Pompeius multo uetuſtior quàm Rhemnius Fannius his uerbis explicat. Quadrantal antiqui uocabant amphoram, quod uas pedis quadrati octo & quadraginta ſextarios capit. Itaq; per pedem Romanum aſſequimur ut quadrantal reſtituamus hoc modo. Conficiatur uas cuius capacitas pedem ſit longa, lata, alta, id erit quadrantal Romanum. ſi uero tantundem liquoris capiet atq; in amphorę figuram fuerit formatum, erit amphora Romana. at alterum uas dimidiæ amphoræ capax, erit urna Romana. tertium, quod quartam ſecundi uaſis partem capit, congius Romanus. quartum, quod tertij ſextam partem recipit, ſextarius Romanus. quintum, quod quarti dimidiam partem capit, hemina Romana. ſeruata uero proportione, quam menſura habet ad menſuram, & quæ minus capiunt quàm hemina, & quæ plus quàm amphora fabricari poſſunt. Pondera autem hoc modo reſtitui poſſunt. Cum hemina Romana ex decem uncijs menſuralibus conſtet, ac libra ex duodecim, ſi ad oleum, quod capit hemina, quinta item olei pars adijcitur, Romana olei libra fiet. cuius unciæ duodecim menſurales pendent decem ponderales. in alteram igitur libræ lancem oleum infundatur, in alterã imponat maſſa plũbi. ubi neutra propenderit, illa plumbi maſſa erit decem unciarum ponderaliũ. ad quam ſi additur quinta eius portio, conficietur libra Romana, ponderalis duodecim unciarum.

Itaq; cum & pondera hæc tanta ſint, quanta ea, quæ ex denarijs legitimis confecimus, & menſuræ æque capaces, certi ſumus nos rem, quam quæſiuimus, eſſe conſecutos. Sed, ut finem huic diſputationi faciam, quia legitimi denarij pondus ſunt duo & ſeptuaginta momẽta, ſequitur drachmã ueterem, quæ ſeptima parte leuior eſt denario, pendere tria & ſexaginta momenta. Cum aũt octo & ſexaginta aurei Veneti, quos nominãt ducatos, pendant Noribergium beſſem, quo monetarij utuntur: ſexaginta uero & ſeptem ac dimidius argentarium

beſſem

beſſem Venetum, intelligimus hunc leuiorem eſſe illo momentis triginta & duobus & dimidio: atq; ſic drachmam Venetam dimidio tantum momento ac quarta & ſexageſima dimidij momenti parte leuiorem eſſe quàm Noribergiam, quę pendit momenta nouem & ſexaginta ac ſex momenti quartas & ſexageſimas partes. intelligimus quoq; momentis quinq; & dimidio ac fere undecima momenti parte drachmam Venetã grauiorẽ eſſe drachma ueteri. Ex quo apparet Portium etiam & Alciatum, non ſolum Budæum, ueterem drachmam, ſiue octauam unciæ Romanæ partem conſtituiſſe grauiorem, quàm reuera fuit. Verum quod in Portij manus peruenerint denarij, qui pependerint drachmam Venetam, uel Vicentinam: in Alciati, qui Mediolanenſem, hæc cauſa eſt, quod omnes iſtiuſmodi denarij aliquid, ſed alij plus, alij minus, ex iuſto ſuo pondere perdiderint.

GEORGII AGRICOLAE DE PRECIO METALLORVM ET MONETIS LIbri tres.

AVTORES QVORVM INVENTIS ET TESTIMONIIS
uſus ſum, ſiue extent, ſiue ab alijs teſtes citentur.

Aelius Lampridius
Agloſthenes
Ammonius
Appianus
Ariſtophanes
Ariſtophanis interpres
Ariſtoteles
Arrianus
Athenæus
Aulus Gellius
Baſilius magnus
Cæcilius
Callimachus
Cares
Cicero
Cornelius Nepos
Cornelius Tacitus
Crates comicus
Cteſias
Demoſthenes
Diodorus Siculus
Diogenes Laertius
Dinon
Durides
Ephippus Olynthius
Ephorus
Epicharmus
Euangeliſtæ
Eubulus
Eutropius
Flauius Soſipater
Græcus qui tradit qua de cauſa quod que uerbum ſit nominatum
Harpocratio
Heraclides
Herodotus
Heſychius
D. Hieronymus
Horatius
Ioſephus
Iſocrates
Iulius Pollux
Iulius Capitolinus
Ius Saxonum
Iuſtinianus
Iuſtinus
Iuuenalis
Lucanus
Lucianus
Lyſias
Macrobius
Martialis
Martianus
Menander
Modeſtinus
Nonius Marcellus
Ouidius
Pacuuius
Papinianus
Paulus iuriſconſultus
Pauſanias
Perſius
Plato
Plautus
Plinius maior
Plinius minor
Plutarchus
Pomponius
Propertius
Pub. Vatinius
Sacræ Hebręorum literæ
Salomo Hebræus
Saluſtius
Septuaginta interpretes
Serbidius Sceuola
Sex. Pompeius Feſtus
Sidonius Apollinaris
Siſenna
Strabo
Suetonius Tranquillus
Suidas
Terentius
Thucydides
Titus Liuius
Valerius Maximus
Varro
Virgilius
Vitruuius
Voluſius Metianus
Xenophon

GENEROSO ET NOBILI ET CLARO AC DOCTO VIRO D. GEORGIO COMmerstadio utriusque iuris doctori & consiliario illustriss. Saxonum ducis & Electoris Mauricij Georgius Agric. S. D.



Eteres illi grauissimi uirtutis magistri, uir optime, uniuersum genus bonorum, quod homines tenent ac possidēt in se, uel extra se, distribuunt in tres partes: in bona animi scilicet, corporis, fortunæ. animi autem bonis, quæ uirtutes nominantur, merito ac iure primas tribuunt, quod ea nulla ui possint labefactari. secundas corporis bonis deferunt, quod ea magis propria sint hominis quàm quæ extra corpus in casu sunt. tertias dant caducis istis fortunæ muneribus. Ac multæ quidem res sunt in quas fortunæ potestas est prorogata. sed cum eas, quarum precium quouis modo persoluere possumus, animo & cogitatione complectimur, uidemus primo magni precij esse bestias et cicures & feras, quod earum uel lacte & carnibus uescamur: uel lanis, uillis, pellibus uestiamur: uel uiribus usi onera uehamus, aut ipsi in eis uehamur: uel uigilantia non nihil à furibus & inimicis tuti simus: uel denicq; eas ipsas habeamus in delicijs. Deinde cernimus secundo loco numerari uestes sericas, holosericas, argēteas, aureas, tapetes, pocula & opera ex argēto & auro, gēmas, margaritas, aliascq; res, quæ & per se insignē habent ornatum, & eundē cæteris afferunt. Tū intelligimus maximi æstimari prædia belle ædificata & amœna, oppida munita & pulchra, urbes potentes & florentes, regiones amplas & fertiles. atcq; hæc omnia & similia eò maioris esse precij quo fuerint fructuosiora. Etsi uero hæc fortunæ munera magnam habent dignitatem quod sint precioſa, tamen pecunia eiusdem fortunæ munus, quod eorum precium esse possit, omnium dignitatem exæquat. Verum non modo hæc ipsa emere pecunia possumus, sed ad alias multas res conficiendas est necessaria. nam mercede conducuntur doctores, qui animos præceptis uiuendi & artium liberalium forment: medici, qui ne corpora incidant in morbos præcaueant, aut grauibus morbis affecta in pristinam sanitatem restituant: iurisconsulti, qui munus de iure respondendi, uel disceptationem definiendi, uel defendendi clientes sustineant. quid nunc plura? qui abundat pecunia siue pacem trahat, siue bellum gerat, habet sumptum unde faciat. quare Philemo comicus scite dixit argentū esse cornu amaltheæ. non enim istud poetarum fictum & cōmenticium copiæ cornu, sed pecunia, si homini fuerit plena & copiosa, ei quæcunq; uo-

luerit ſuppeditat. Quæ uero cõtra pecuniam à ſcriptoribus dicta ſunt, contra eos dicta ſunt, qui pecunia abutuntur ad indomitas animi cupi ditates. etenim in utendo ratione opus eſt. Deus autem optimus maximus tibi magnam copiam bonorũ animi, corporis, fortunæ largitus eſt. nam te uidemus primo ornatum his uirtutibus, prudentia, iuſtitia, fide, & bonis ac ingenuis artibus præditũ: deinde figura & ſtatura corporis inſignem: tum ex bonis parentibus prognatũ. mater enim ex antiqua & nobili familia eorũ, qui à Petſwitz nominantur, orta fuit: pater ex bona Cõmerſtadiorũ. ſed & rex Ferdinandus & imperator Carolus quintus potentiſsimi fratres cum te talem uirum cernerẽt, tuam nobilitatẽ ſuis etiam literis confirmare uoluerunt. poſtremo poſsides ruſticos aliquot uicos fructuoſos, & Calcardũ prædiũ, nuper à te belle ædificatum. itaq; mihi uiſum eſt tibi hos libros de precio metallorum & monetis conſecrare. præſertim cum tanta ſint tua in me merita, ut etiamſi nullã eorum partẽ referenda gratia cõſequi poſsim, tamen memorem in te animũ ſemper præſtare maxime debeam. mihi aũt perſpicere nõ uideor, qui ego tenuis maiorẽ meæ uoluntatis erga te, magnis animi bonis & amplis fortunæ muneribus ornatũ, ſignificationẽ dare poſsim, q̃ ut quoties aliquod mearũ uigiliarũ munus in principis noſtri nomine apparebit, toties aliquod opus tibi eodem in codice conſecratum prodeat in lucẽ. Equidẽ ſi ſenſero te etiam his ſtudijs meis delectari, multo alacrior ad alia factus omnibus uiribus enitar ut aliquando magis intelligas me beneficiorum acceptorum memoriam conſeruaſſe. me enim beneuolentiſsimum tibi ſemper fuiſſe et eſſe et fore exiſtimes uelim. In his uero libris non modo Romanæ monetæ pondus & temperaturã, ſed etiam Græcæ & externæ, quoad facere potui, ſum perſecutus. cum eis quoq; monetas, quibus diuerſæ Europæ nationes utuntur, maxime uero aureas contuli: & certum quoddã dedi præſcriptum ac regulam, ad quam quicunq; diriget ſuæ ciuitatis uel regionis monetas, facile intelliget proportionẽ quam habeant ad ueteres, quas uſurparunt rerum humanarũ diuinarumq; ſcriptores. Quanq; autem Budæus in hac re multum operæ & ſtudij poſuit, ac de pleriſq; pecuniæ ſummis ſcripſit, tamen qui utriuſq; noſtrum ſcripta diligenter legerit, mea (pace mortui dixerim) multo inueniet uberiora & magis explicata. atq;, cum ab eo in precio diſſideam, mihi neceſſe fuit, eaſdem ſummas exponere, ut etiam mea æſtimatio eluceſcat. quod ſi præterea in ſcriptoribus quædam difficilia & obſcura reperiuntur, ea commentarijs meis patefacere & illuſtrare decreui. Vale Kempnicij Hermundurorum ſiue Miſenorum XVI. Calend. Septemb. anno M.D.XLIX.

GEORGII AGRI-COLAE DE PRECIO METALLORVM ET MONETIS LIber primus.



Vid ſit metallum: quot & quæ eius ſpecies: quæ cuiuſq; metalli natura: quibus in rebus quodq; nobis uſui: quę eorum temperaturę, uno libro, qui eſt octauus de natura foſsiliū, expoſui. nunc his tribus libris eorundem pretium & monetas explicabo. Metallum autem aliud alio maioris uenit, quod uel pluribus rebus excellat: uel maiores uſus afferat ad ſecandum & alia permulta: uel rarius ſit. Ac multis quidem de cauſis aliquod metallum cæteris antecellit. aut enim quia ignis id non conſumat, non ſolum cum in incendijs arſerit, ſed etiam cum in magno catino uel catillis alternatim cum rebus, quæ ipſum purgant, poſitum coquitur: aut quia ei nihil igni depereat, niſi cum diutius arſerit in eodem catino uel catillis: aut quia acria id nō corrodant, nec alio uitio infeſtetur: aut quia eo manus non ſordeſcant: aut quia dilatetur laxius quàm cętera: aut quia fundi poſsit: aut quia ſit gratum colore: aut denicq; quia propter duriciā magnos uſus afferat. Itaq; ob has cauſas ferè omnes aurū excellit inter metalla. etenim in magno *Aurum.* etiam catino & in catillis durat, nō modo in incendijs: nec ipſum acria corrodunt: nec ullum aliud uitium concipit: nec eo ſordeſcunt manus, laxiſsime dilatatur & fundi poteſt: fuluo etiam colore præſtat cæteris metallis, ut in alia opinione ſit Plinius, ſola duricia ſuperatur ab argento, ære, ferro. Cum igitur aurum in metallorū genere perfectum naturæ opus exiſtat, & chymiſtæ, ut eius ſpeciē imitatione exprimere poſſint, reliqua metalla diutius coquunt ac colorant: & artifices quidam æs, ut auri nōnihil fiat ſimile, cadmia tingunt, in orichalcumq; permutant. Secundas uero tenet argentum. nam & in incendijs perdurat: *Argentū* ac uero etiam in magno catino & in catillis, niſi cum ſæpius & diutius arſerit. acria id corrodunt & in cæruleum uertunt: nullum præterea aliud inſigne uitium cōcipit. laxius quàm cætera metalla, auro excepto, dilatatur. fundi etiam poteſt. color illius albus placet. durius eſt auro, ſed minus durum quam uel æs, uel ferrum. Cum igitur ſoli auro cedat & chymiſtæ etiam ut eius formam poſsint effingere uiliora metalla coquunt & colorant, & alij quidam æs, ut ſpeciem præ ſe argenti ferre poſsit, magnitide tingunt. At tertias fert æs: laxius enim dilatari po- *Aes.* teſt

teſt quam uel ferrum uel aliquod plumbi genus. fundi prę terea poteſt. ſed ignis ipſum conſumit, ſiue diutius arſerit in magno catino, ſiue alternatim cum rebus, quæ aurum & argentum purgant, poſitum fuerit in catillis. quin ei obuenit æruginis uitium. Quartas deferunt ferro. quamuis enim rubigine perit, & nõ facile funditur, tamen ſatis laxe dilatatur, & duricia ſuperat omnia metalla. At plumbi genera retro ponũtur, & quod ignis ipſa in magno catino aut in aliam formam mutet, aut prorſus cõſumat: & quod ea in ceruſſam uertant acria: & quod in aqua locata nigrore inficiantur ea parte qua diutius terram uel lapides attigerint. ſed candidum reliquis duobus præponitur, quod inter ipſum & argentum maxima ſit ſimilitudo in colore. quod cum ſciant chymiſtæ ex nigro candidum conficere conantur. Nigrum autem iccirco antecellit cinereo, quod ex hoc ſolo difficilius opera cõfici poſſint. Poſtremas uero tribuunt argento uiuo. nam quia liquidum, chymiſtis imperfectum metallũ uidetur eſſe. Vtilitatis autem fructum ſi conſideremus, unum ferrum longe præſtat cęteris omnibus. etenim propter duriciam maximos uſus affert ad ſecandum & ad conficienda opera, quæ diutiſsime durant. Ad hanc uero ferri duriciam proxime accedit æs. quocirca ueteres illi opifices ex eo inſtrumenta ſecandi fecerunt, & arma fabricati ſunt. eadem quidam ex argento fecerunt, quod duricia non multum cederet æri, & ad ornatum magis eſſet decorum. at qui quondam aurea caſside, thorace, lorica ſe texerunt, & gladijs aureis uſi ſunt, hi armis magis fuluo illo metallo fulgentibus, quàm duricia robuſtis pugnarunt. quia uero aurum molle eſt Debæ ut minus utile, quod mihi uidetur, triplum, ære ſimplo: duplum, argento ſimplo uicinis uendiderunt. cum enim abundarent auro, inſtrumenta & opera omnia ex eo cõficere potuiſſent, ſed uſus eos docuit aurum minus eſſe accõmodatum ad ſecandum & ad alia, quam uel æs uel argentum. atq; ob hanc ſanè cauſam etiam homines qui inſulas à Luſitanis & cæteris Hiſpanis repertas ac quaſdam Africæ & Indiæ regiones incolunt, aurum magni non æſtimant. quanquã etiam propter alteram cauſam, quod eis ſit multum & copioſum. quin non contendam aduerſus eos, qui eiuſmodi nationes aurum propterea non magni putare dicunt, quod rerum metallicarũ ſint rudes. Plumbi autem genera propter eandem mollitudinẽ, & quidem maiorem, paucis in rebus nobis uſui eſſe poſſunt. etenim ex eis, præter pocula & uaſcula, non multa fiunt opera. Poſtremo argentum uiuum, quia liquidum, etiam in minus multis nobis eſt uſui. argento quidem & æri ſublitum aureas bracteas retinet. Nec uero ſi unum aliquod metallum alteri præſtat, & magis expetitur ad uſus neceſſarios, ſequitur illico id ipſum maioris ueni re. ſed rariſsimum quodq; ferè maximi precij eſt. quam ob rem argentum & plumbum candidum quia rara maiori precio mercamur quàm

uel

uel ferrum uel æs: ut hæc multis rebus excellant, & maiores usus nobis afferant. rerum enim copiam, uilitas: inopiam, caritas consequitur. magna uero copia metalli tunc existit, cum multum uel in aliquo loco effoditur aut inuenitur: uel terra mariq; conquisitum in unam aliquam urbem inuehitur. quæ copia facit ut aliquod metallum uiliori precio uendatur. nihil autem necesse habeo repetere insulas nuper repertas, & Africæ ac Indiæ regiones quasdam, quæ, ut iam dixi, abundant auro, atque id partim iccirco magni non æstimant: certe cum in Tauriscis Noricis auri plurimum in breui esset erutum & Italiæ importatum, tertia parte uilius uenisse autor est Strabo. Et Iulius Cæsar cum in Gallijs fana & templa deorum ac urbes quasdam spoliasset, tantã auri copiam habuit, ut ternis millibus nummûm, quod Trãquillus Suetonius scribit, in libras promercale per Italiam prouinciasq; diuenderet.

At inopia metalli cõtra existit, cum paucũ effoditur, aut in aliquam regionem uel oppidum infertur. utrunq; nostris temporibus accidit. cum enim modicũ plumbum candidum ex Misenæ & Boemiæ montibus erueretur, id mercabamur maiori precio. similiter æs multo pluris fuit, cum ad nos paucum deportaretur ex Carpati metallis. Ex his igitur quæ dixi satis potest intelligi tres potissimũ esse causas cur metallum aliud alio sit carius. Itaq; ut de singulorũ precio dicam, aurum nobilissimæ quæq; nationes semper habuerunt preciosissimum hisce de causis omnibus. etenim natura præstat cæteris, & est rarum. quanquam autem non est utile ad secandũ, tamen rebus omnibus magnum affert ornatũ. Argentum autem precio semper cessit soli auro. nam & naturæ præstantia reliquis excellit metallis, & rarum est, &, ut ad secandum minus sit accõmodatum quàm æs aut ferrum, res ornat splendide. Quoniam uero precium auri plerunq; argento persoluitur, & contra precium argenti auro, quanto argento quondam aurum fuerit emptum, aut nostris temporibus ematur: & quanto auro argentũ uenditum fuerit, aut nunc uendatur, explicabo. Grecos unam auri partem aliquando decem argenti partibus æstimasse ex Menandro intelligi posse, ad Cõmodum Cęsarem scribit Iulius Pollux. Aurum, inquit, quod argenti decuplũ sit liquido quis discere potest ex Menandri Deposito. cum enim primo dixisset ὀλβὴν ταλάντου χρυσίου σοὶ παιδίον ἐστι καρτερῶν. hoc est Auri talenti tibi, beatã, tẽperatus est puer: Postea de eadẽ re loquẽs hæc ipsa subijcit, μακάριος ἐκεῖνος δεκατάλαντον καταφαγὼν. i. beatus ille talenta deuorãs x. Idem T. Liuius lib. XXXVIII uidet̃ dilucidius explicare. loquit̃ uero de conditionibus pacis, ad quas Ætoli conuenerant cũ Romanis. De pecuniæ summa quã penderent, pensionibusq; eius nihil ex eo, quod cũ consule cõuenerat, mutatum. pro argento si aurum dare mallent, dare conuenit, dum pro argenteis decem aureus unus ualeret. At Hipparchus apud Platonem aperte di

cit unam auri portionem esse precium duodecim argenti portionum. Herodotus uero in Thalia, cū cōmemorasset tributa, quæ Darius fere coegit nationes & gentes, quas tenebat in sua potestate, unum auri talentum taxauit tredecim argenti talentis. Romæ etiam Sergij Galbæ temporibus unam auri portionem æstimatam fuisse argēti portionibus duodecim & dimidia, ex Suetonio Tranquillo & Cornelio Tacito uidetur percipi posse. scribit enim Tranquillus in Othone Siluio. Nullo igitur officij aut ambitionis in quenquam genere omisso, quoties cœna principem acciperet, aureos excubanti cohorti uiritim diuidebat. de eadem quoq; largitione ita loquitur Tacitus. Eo paulatim progressus ut per speciem cōuiuij quoties Galba apud Othonem epularetur, cohorti excubias agenti uiritim centenos diuideret. nam cum centum nummi sestertij efficiant quinq; & uiginti denarios, & aureus duorum denariorum pondus habeat, una auri pars argenti partibus duodecim & dimidia æstimata uidetur fuisse. Similiter aliquot annis post, nimirum Vespasiani temporibus, unam auri portionem argenti portionibus XII. tantū Romanos putasse ex Plinij uerbis, quæ sunt libro XIX. cap. I. uidetur intelligi posse. Proximus, inquit, byssino, mulierum maxime delicijs circa Elim in Achaia genito. quaternis denarijs scripula permutata quondā, ut auri. Quorum utrunq; uerum esset si & aureus Romanorum nummus, ut Daricus stater, ex auro puro signatus fuisset, ac denarius argenteus, ut Aryandicus argenteus nummus, ex argento puro. uerum quia uterq;, ut libro secundo dicam, fuit mistus, una auri pars Othonis temporibus plus quàm duodecim & dimidia argenti partibus fuit æstimata: Vespasiani, plus quàm duodecim. Ex his tamen intelligimus priscis illis temporibus idem auri & argenti precium non fuisse, ut nec nostris est. etenim patrum memoria una auri puri pars in præcipuis Germaniæ emporijs primo empta fuit tredecim argenti partibus, & paulo plus quàm duabus unius decimæ tertiæ partis tertijs: deinde ferè duodecim argenti partibus: nunc uero undecim & paulo plus quàm una undecimæ tertia. nam iacet precium auri. Argento autem proximum locum nostris temporibus argentum uiuum & plumbum candidū obtinent. non quod aut natura reliquis antecellant, aut magno usui nobis sint, sed quod rarissima. argentum etiam uiuum iccirco quod Africæ ac quibusdam Asiæ regionibus magnopere expetatur. partes uero centum quadraginta tres plerunq; emuntur una argenti parte. attamen unum aliquod ex his duobus interdum maioris uenit, interdum minoris. sed scriptores de ea re, quanti argentum uiuum & plumbum candidum quondam fuerint, nihil memoriæ ac literis prodiderunt. At æs etsi natura non cedit argento uiuo & plumbo candido, & maiores quàm ea usus afferat, tamen, quia multum & copiosum effoditur, minori precio mercamur

mur. Romæ quidem uilioris precij quondam fuit quam nunc est. etenim unus denarius qui erat argenteus, & tunc pendebat drachmam unam & dimidiam, decem asibus, qui erant ænei librales, fuit æstimatus. hoc est pro sexcentis & quadraginta æris partibus fuit una pars argenti repensa. si modo denarius ex puro argento fuit factus. sed postea pondus cum denariorum, tum maxime asium fuit mutatum: ut suo loco dicam. Hodie uero in nobilibus emporijs nostris æris ducentæ uiginti partes una argenti parte emuntur. paulo autem plures in locis, è quibus effodiuntur metalla. Eius uero precij, cuius æris est plumbum cinereum, quod etiam rarum inuentu. id ueteres scriptores, ut sæpius dixi, ignorarunt. Quoniam autem plumbum nigrum æri bonitatem præstantiamq; concedit, & minus, quàm idem æs nobis usui est, et copiosum eruitur, multo minoris uenit. nã in his locis, in quibus primo ex galena excoquit, eius octingentæ & octoginta partes una argẽti parte uenduntur. in emporijs uero fere sexcentæ una argenti emuntur.

At ferrum, ut maximos usus ad secandũ afferat, & ex eo arma aliaq; opera permulta confici possint, tamen, quia copiosissimum in pluribus locis conflatur, minimi precij est. etenim mille ducentas octoginta duas partes ferri una argenti parte mercamur: quanq; Suedicum & optimum quodq; est carius. Hactenus explicaui causas cur metallum metallo præstet, ac cur maioris sit precij, & quantũ precium quondam habuerint aurum & argentum, quantum eadem ipsa & reliqua metalla habeant nostris temporibus: nunc de monetis differam.

Primo autem in hoc libro dicam de uerbis quæ Græci & Latini posuerunt rei nummariæ. deinde quid sit moneta, qui primo monetas inuenerint, & in qua quisq; regione, & quo tempore: tum utrũ rerum permutatio sit oportunior hominum generi, an monetę rerum precia: quonã modo artifices cudant monetas: quarum rerum effigies quondam in monetis impresserint, & quarum imagines nunc imprimant: ex quibus rebus monetæ traxerint nomina: postremo duplicem esse monetam, puram scilicet, probam, adulterinam: ciuibus expediat ne præstantem an uilem esse monetam, qua utuntur.

Apud Romanos quidem res nummaria tria habet generalia uocabula, quibus nominatur, & totidem apud Græcos. Romana sunt, moneta, pecunia, nũmus: Græca νόμισμα, χρῆμα, κόπμα. quorum unum quodq; declarabo. Monetam à monẽdo appellatã putant. nam signo signis ue, in eam impressis, de aliqua re monemur. & quidẽ uel de eius autore, sicuti de Philippo illius imagine, quam exprimunt Philippici, uel de precio: ueluti denarij nota eum ualuisse decẽ asibus. uel de tempore, quo fuit percussa, ut monetis permultis nostratibus. uel de re gesta: sicuti nummi argentei angulati inscriptione, quæ est P.L. de Papia liberata à periculo obsidionis, quod pro Carolo quinto milites ciuesq; subierunt

ſubierunt.uel denicꝫ de aliqua alia re:ut moneta Theſei, nota bouis ſignata,de Marathonio tauro,aut de Minois duce,aut de agrorum cultura.ad quam, ut quibuſdam uiſum fuit, eo ſigno ciues ſuos hortatus eſt: autor Plutarchus. Pecunia uero à nota pecudum, qua Seruius Tullus rex Romæ æs ſignauit,eſt appellata, ut Plinius ſcribit. uerum Varro pecuniã à pecu dictam putat.à paſtoribus enim,inquit, horum uocabulorum origo. hoc idem ſignificat Sex. Pompeius Feſtus cum ſcribit de uerbis quæ deſcendunt à grege. quorum uerborum frequẽs uſus non mirum ſi ex pecoribus pendet, cum apud antiquos opes & patrimonia ex his præcipue conſtiterint:ut adhuc etiã pecunia & peculia dicimus,quo ſanè modo iuriſperiti interdum uno pecuniæ nomine appellant res tam ſtabiles & fixas,quas ſoli uocant, quàm mobiles. ſcribit enim Paulus.ſignificatio pecunię ad ea refertur,quæ in patrimonio ſunt.à pecunia autem magna fit pecunioſus,ut autor eſt Varro.

At nummus tertium rei pecuniariæ uocabulum eſt. eum hi Græci, qui primo legem tulerunt, ut particulæ metallorum ſignatæ eſſent rerum precia, νόμισμα tanquam legitimum quiddam nominauerunt. quocirca Ariſtoteles in libro quinto De moribus ſcribit nummum ab eo traxiſſe nomen quod non natura,ſed lege factus ſit. ponam Græca quæ magis illud ipſum exprimunt. τὸ νόμισμα ἔχει νόμισμα ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστί. eandem uero legem non modo reliqui Græci acceperunt, ſed etiam cæteræ gentes, imo hominum ferè uniuerſum genus, quod nondum nummis uteretur. nam inter antiquos ſcriptores conſtat alias quaſdã nationes aurum & argentum ſignaſſe, antequã Græci nũmos cuderent. quanꝫ autem νόμισμα Græcum nomẽ eſt,tamen id ipſum una tantum litera immutata Latini poetæ uſurpant. ait enim Horatius.

Rettulit acceptos regale numiſma Philippos

Vt uero numiſma à Græco fonte deductũ eſt,ita etiam nũmus, qui ex eadem,ni fallor,cauſa nomen inuenit,à Græco,quod eſt νόμος, fluxit. etenim νόμος, ut ex Græcis quidam tradit, etſi in hac re nullũ teſtem citat,etiam νόμισμα ſignificat. Verum Iulius Pollux dicit nummum, etiamſi Romanum uocabulũ uideatur, Græcum eſſe:idꝫ uſurpare Græcos,qui in montoſis Italiæ & Siciliæ locis habitant. Epicharmus enim in Ollis ait. ἀλλ' ὅμως ἀγαθοὶ καὶ τοῖοι ἀφνοῦ, εὑρήσουσι δ' ἐμοὶ ἓξ νόμμους. hoc eſt. Agni ſed tamen pingues boniꝫ nũmos adferunt.& rurſus. κῆρυξ' ἰὼν εὐθὺς πρίαμαι δι' ἓξ νόμμων μόσχον καλόν. id eſt.Præco hinc profectus ibo,nũmis uitulam emam pulchram decem. Atque Ariſtoteles in Tarentinorum rep.dicit numiſma uocari ab ipſis nummum,eumꝫ ſignatum eſſe nota Taranti,Neptuni filij,delphino inſidentis. Tametſi uero Pollux nummum dicat eſſe Græcum uerbum, quod eo Siculi & Tarentini uſi ſint, tamen quia idem Ariſtotelis uerbis

bis confirmat Siculos usurpasse libram, unciam, sextantem, quadrantem, quę sine ulla controuersia sunt uocabula Romana, ijdem Siculi & Tarentini nummum etiam à Romanis, ut ferè uicinis, sumpsisse possunt uideri. scribit autem his uerbis Pollux. καὶ μὴν ἐν ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ φησὶν ἀριστοτέλης ζημιοῦσθαί τινα τριάκοντα λίτρας. δύνασθαι δὲ τὴν λίτραν ὀβολὸν αἰγιναῖον. ἀλλὰ μέντοι παρ' αὐτῷ τις ἂν ἐν τῇ ἱμερέων πολιτείᾳ καὶ ἄλλα εὕροι σικελῶν ὀνόματα. οἷον οὐγγίαν ὅπερ δύναται χαλκοῦν ἕνα. καὶ ἕξταντα, ὅπερ ἐστὶ δύο χαλκοῖ. καὶ τετέραντα, ὅπερ τρεῖς. καὶ ἡμίλιτρον, ὅπερ ἕξ. Alterum uocabulum Græcum, quo declaratur res nũmaria, est χρῆμα. ab utendo appellatum. moneta enim utimur ad omnia comparanda, quæ sunt ad uiuendum necessaria. ut autem pecunia iurisconsultis non modo nummos significat, sed omne patrimonium, ita χρήματα Græcis non solum numismata dicuntur, sed, ut Aristoteles scribit, omnia quorum precia nũmis persoluimus. Tertium uocabulum est κέρμα, quo Græci uidentur minuta numismata nominare. De uocabulis rei nũmariæ satis. Moneta autem est bractea aurea, uel argentea, uel ærea, uel orichalcea, uel plumbea, uel deniq; ferrea in rotundam plerunq; uel quadratam figuram formata: & iussu regis, aut principis, aut ciuitatis publice signata. Sed de temporibus, quibus nũmus primo percussus fuit, nihil certum scimus. non enim quia Cainus Adæ filius, ut Iosephus scribit, multitudine χρημάτων cõgregata ex præda & rapinis domũ auxit, sequitur primos illos homines monetis usos fuisse. nam χρημάτων nomine non semper pecunias, ut dixi, sed interdũ supellectilem & alias res appellare solent. Sacræ profecto Hebræorum historiæ in eo libro, in quo persequuntur ortus cœlorum & terrę ac omnis generis animantium & stirpium sic narrãt nobis. Tubalcainus, quem Sella ex Lamecho peperit, fabricator fuit omnis operis ænei & ferrei, sed in eo loco de pecunia nullam faciunt mentionem. non tamen uerisimile est monetam ante diluuium ignoratam fuisse, cum ante id fuerit spacium annorum amplius quàm trium millium. sed post istam uniuersalem inundationem Abrahami temporibus homines pecuniam usurparunt, ut eædem Hebræorum literæ loquuntur. etenim uir ille amantissimus & obseruantissimus dei cum ex Ægypto ascendisset ad australẽ plagam ualde diues fuit auri ac argenti: & Amelechus rex Geraræ ei mille dedit argenteos: ipse uero Ephroni filio Seoris, cum emeret agrum, appendit quadringentos siclos argenteos. At Herodotus, qui historiæ, quam Græci scripserunt, parens iure dici potest, tradit Lydos primos aureum & argenteum nummum percussisse. atq; hi quoq; habitant in Asia. in Europa uero, ut Aglosthenes scribit, Naxij primo nũmum percusserunt, ut autem Strabo memoriæ prodidit, Phido nummum signatum cum alium, tum argenteum inuenit: & quidem in Ægina insula ut Ephorus ait. quidam

tamen

tamen Erichthonium quartum Athenienſium regem primo nūmum tum in Attica regione tum in Lycia ſignaſſe memoriæ prodiderunt. Sed alij ab ijs diſſentiūt, & Ionum Regem Theſſaliæ primum aurum & argentum ſignaſſe dicunt. de qua re Lucanus ſcripſit his uerſibus.

Primus Theſſalicæ rector telluris Ionos
In formam calidæ percuſsit pondera maſſæ,
Fudit & argentum flammis, aurumq; moneta
Fregit, & immenſis coxit fornacibus æra.
Illic quod populos ſcelerata impegit in arma
Diuitias numerare datum eſt.

Vt autem Phido Ægineæ monetæ inuentor dicatur, ut Naxij propriæ, ut Erichthonius Atticæ & Lyciæ, ut Ionos Theſſalicæ, tamen Plinius ſcribit ignorari eum, qui primus ex auro denarium ſignauit. nam inquit. Proximum ſcelus fecit, qui primus ex auro denariū ſignauit. quod & ipſum latet autore incerto. populus Ro. ne argento quidē ſignato ante Pyrrhum regem deuictum uſus eſt. Libralis, unde etiam nunc libella dicitur, & dupondius appendebatur aſsis. quare æris grauis pœna dicta. Ex quibus uerbis intelligimus Romanos æs primum ſignaſſe, deinde argentum, poſtremo aurum. Etſi uero nūmum argenteum, ut Varro in Annali ſcripſit, conflatum primum à Seruio Tullo dicunt, tamen ab eo ſignatum non dixerunt. quare Varro non frangit Plinij ſententiam de tempore, quo Romani argēto ſignato uſi non fuerint. Sed æs in Latio ſignatum fuiſſe longe ante quàm Romulus urbem condidit quidam tradunt memoriæ: & quidem, ut Eutropius prodidit, à Saturno: ut uero Macrobius à Iano, qui Saturnum naui aduectum hoſpitio exceperat. uerum ab eis diſſentit Ouidius, qui ſic alloquitur Ianum in primo Faſtorum.

Multa quidem didici: ſed cur naualis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?
Cui reſpondet Ianus.
Noſcere me duplici poſſes in imagine dixit
Ni uetus ipſa dies extenuaſſet opus.
Cauſa ratis ſupereſt: Thuſcum rate uenit ad amnem
Ante pererrato falcifer orbe deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum.
Cœlitibus regnis à Ioue pulſus erat.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen
Dicta quoq; eſt Latium terra latente deo.
At bona poſteritas puppim formauit in ære,
Hoſpitis aduentum teſtificata dei.

Itaq; his uerbis Ianus hoc poſteritati, non ſibi, non Saturno tribuit. Romæ autem Seruius Tullus æreos nūmos primus percuſsit. de qua re

re sic scribit Plinius. Seruius rex primus signauit æs, antea rudi usos Romæ Remeus tradit. signatum autem est nota pecudum, unde & pecunia appellata. At argentum sero esse signatum Romæ Liuius autor est. quibus uero temporibus id factum sit explicat Plinius his uerbis. Argentum signatum est anno urbis CCCCLXXXIIII. Quinto Fabio consule: quinq; annis ante primum bellum Punicum.

Postremo aureus nummus Romæ signatus est. de quo sic idem Plinius scribit. Aureus nūmus post annum LXII. percussus est quàm argenteus. hoc est anno urbis DXLVI. T. Quintio Crispino & M. Claudio Marcello. V. Cons. Sed Venetos anno à Christi ortu DCCCCXV. primo aurum & argentum signare cœpisse, eamq; potestatem illorum duci Vrso secundo, qui Particiachus uocitatus est, dedisse imperatorē Cunradum primum Philippus Bergomensis in annalibus scriptū relinquit. Genuenses item primū moneta usos fuisse cum Papiensibus communi: postea nūmos & aureos & argenteos percusisse, qui altera parte crucem reip. insigne, exprimebant, altera imaginē imperatoris Cunradi secundi: quod ille eam signandi potestatem ipsis anno M. C. XLV. tradiderit. Sed ante inuentam pecuniam res cum rebus cōmutatas fuisse, ut etiam nunc in quibusdā regionibus cōmutantur, est proditum memoriæ ac literis. scribit enim Plinius. Quantum feliciore æuo cum res ipsæ permutabantur inter se: sicut & Troianis temporibus factitatum Homero credi par est. ita enim, ut opinor, cōmercia uictus gratia inuenta, alios corijs boum, alios ferro captiuisq; rebus emptitasse tradit. quanq; & ipse miratus aurum, æstimationes rerum ita fecit, ut centum boum arma aurea permutasse Glaucum diceret cum Diomedis armis nouem boum. Quam ueterem consuetudinem in emendis uendendis ue rebus Lacedæmones seruarunt. etenim, ut Pausanias in Laconicis scriptum reliquit, Booneta Lacedæmonibus uocata, Polydori regis aliquando domus fuerunt, quo mortuo ab eius uxore Lacedæmones ipsam emerunt datis bobus. nam neq; argenteus neq; aureus nummus unquam illis fuit. more autem prisco retribuerunt boues & seruos atq; rude argentum & aurum. quin etiam in Indiam nauigantes aiunt Indos cum Grecis mercibus aduectis res alias adductas commutare: & nūmum ignorare, cum abundent auro & ære. Hispanos quoq; qui in Bastetania habitarunt nummi loco permutatione rerum adductarum usos fuisse, aut argenteā bracteam resectam dedisse Strabo bonus autor in primis scribit. Nostris etiam temporibus homines syluestres & omnis humanitatis expertes nō utuntur pecunia, sed res cum rebus cōmutant: sicuti Caroli & Vuildelappi. quorū hi nobiles mustelarum & aliarum quarundam animantium pelles regioni Fennorum, illi Gronlandiæ important. Similiter hic est mos patrius eorum hominum, qui incolunt nōnullas regiones & insulas nuper à Lu

ſitanis & cæteris Hiſpanis repertas, res rebus permutare. Cum autem ſe res ſic habeat in ea conſideratur utrum rerū permutatio ſit opportunior hominum generi, an moneta earum precium. nam alijs hanc, alijs illam rationem in emendo & uendēdo habere placet. qui malunt res cum rebus cōmutare quàm nummis uti, hi pro odio, quod habent in aurum, minus recte iudicant. nec enim argumentis, quare rerum inter ſe permutatio monetæ præſtet, docent & diſputant, ſed aut optant ut aurum ad perniciem uitæ, ut aiunt, repertum è uita totū abdicetur, aut id ipſum magnis conuitijs conſectantur: & felicius æuum appellant cum res ipſę permutabantur inter ſe. Contra qui magis probāt monetam quàm rerum inter ſe permutationem, rident iſtos quod non intelligant cōmoditatem quam ex pecunijs percipimus. Tribus autem de cauſis potiſsimum moneta oportunior eſt hominum generi q̄ rerum inter ſe permutatio: & quod ad precia rerum adæquanda magis accōmodata ſit quàm res ipſæ: & quod minoribus plerunq̄ impenſis pecuniæ paucæ & paruæ portari & uehi poſsint quàm merces multæ & magnæ: & quod nonnullæ gentes noſtrarum mercium non indigeant, nos uero earum mercibus carere non poſsimus. nec tamen moneta obſtat, quo minus interdum res cum rebus cōmutare poſsint, modo uelint, mercatores. Ac mihi uideor etiam ſatis & quid ſit moneta, & qui primo eam inuenerint, & cōmodiorem eſſe quàm rerum permutationem explicaſſe, proximum eſt ut dicam quo nam modo artifices cudant monetas. Monetarius metallum purum ſiue aurum, ſiue argentum, ſiue æs, ſiue aliquod aliud fuerit, in catinos, in trianguli figuram formatos, inijcit. & quidem ad aurum adijcit argenti tantum, ad argentum æris tantum, quantum ex decreto regis aut principis aut ciuitatis licet adijcere. catinos autem in fornaculam, foris munitam ferreis circulis & cōllocatam ſuper cratem ferream imponit. cui fornaculæ ſubijcit candentes carbones, quibus metallum coquit uſq̄ dum liqueſcat. um in ferreum inſtrumentum, cui ſunt aliquot canales, infundit liquidum ut fiant bacilli. quos ex inſtrumento exemptos ducit in bracteas latas aut ſtrictas, craſſas aut tenues, prout ratio monetæ cudendæ poſtulat. eas bracteas deinde in plures particulas ſecat, & aureas omnes, item argenteas maiores appendit, ut nummos aureos & argenteos iuſti ponderis poſsit cudere. ſed argētei minores ut æque graues ſint, nec facile fieri poteſt, nec magni refert, eorum modo numerus ſit integer, alium alio grauiorem eſſe: cum eis paululum ad legitimū pondus deeſſe uel ſupereſſe poſsit. mox bracteas laxius dilatat: & forcipe, quę utrinq̄ capit, prehenſas ac malleo percuſſas, & toties calefactas, quoties opus fuerit, facit plerunq̄ rotundas, raro quadratas, rarius oblongas, & eas ut albeſcant addito ſale atq̄ fece uini ſicca coquit. Poſtremo in ferreum inſtrumentum, in quo hominum & aliarum rerum imagi-

nes

nes inciſæ ſunt, impoſitas & percuſſas inprimit in eis ſpecies eaſdem. tum inuerſas & in alterum ferreum inſtrumentum, in quo notæ literarum aliarum'ue rerum inſculptæ ſunt, impoſitas & percuſſas iterum ſignat. quia uero monetarij percutiunt bracteas à Græcis qui ſignat argentum ἀργυροκόπος & ἀργυρηλάτης nominatur, officina uero in qua ſignatur argentum ἀργυροκοπεῖον. eadem de cauſa ijdem Græci κόπειρ & νόμισμα χρυσᾶ ἢ χαλκοῦ κόπειρ, & χρυσὸν ἢ ἄργυρον ἢ χαλκὸν κόπειρ dicunt. Latini eos imitati monetam cudere, pecuniam ferire, nummū percutere. quia monetarij eaſdem bracteas ſignāt, Græci dicunt νόμισμα κεχαραγμένον, νόμισμα ἐσημειώσαντο. τυπῶσαι, ἢ τυπῶσαι Latini ex auro uel argento nummum denarium'ue ſignare. Græci præterea, ut eſt apud Pollucem & alios ſcriptores, dicunt ἀργύριον εὔτυπον, παρατετυπωμένον, παρακεχαραγμένον. παρεγγεγραμμένον, παράσημον, παρασεσημασμένον: Latini argentum, aurum, æs ſignatum. Hoc autem peruetus eſt, & maiorum exemplo in omnibus fere regionibus uſitatum. etenim Theſeus decimus Athenienſium rex, ut à Græcis ordiar, nummum percuſsit nota bouis ſignatum. quem Iulius Pollux didrachmum tradit fuiſſe. tetradrachmum uero, ut eidem Polluci uidetur, Mineruæ facie ſignarunt, in altera uero dioboli parte expreſſerunt noctuam, in altera Iouis faciem. in tetroboli parte altera item Iouis faciem: in altera duas noctuas, quod dioboli duplum eſſet. At nūmus Peloponneſius nota teſtudinis erat ſignatus. Trœzenius uero uetus fuit nūmus, cuius, ut Pauſanias in Corinthiacis ſcriptum reliquit, notæ erant tridens & facies Mineruæ. Sed in nummo Corinthij impreſſerunt pegaſum: Mitylenæi Sappho poetriā: Chij, Homerum: Troiani porcum: Aſis, puerum delphino inuehentem: Dardanis, gallorū pugnam: Aſpendij, luctatores: Rhegini, leporem: Cephalenenſes, equum: Cyziceni leonem: Delij bouem: Argiui, murem. Perſæ, ſagittarium, Thaſii, Perſen, aut Herculem: & quidem in altera eius nummi parte totum illius corpus una cum claua & leonis exuuijs cernimus, in altera uero eiuſdem imberbis tantūmodo caput ornatum corona populea. At in una Tenedij nūmi parte erat ſecuris, in altera duo capita ex una ceruice orta: quod eius inſulæ rex quondam legem de adulterio ſanciuerit, ut & uiro & fœminæ in eo deprehenſis caput ſecuri præcideretur. Ex quibus intelligimus, Græcos & cæteros in nummis imagines rerum, ſed in primis beſtiarum, & hominum illuſtrium & deorum dearumq; impreſsiſſe. Apud Latinos uero Seruius Tullus ſextus Romanorum rex Theſeum ſecutus æs nota pecudum primus ſignauit. poſtea altera æris pars exprimebat Ianum geminum, altera roſtrum nauis. at trientis & quadrantis, rates. Argentum ijdem Romani ſignarunt quadrigis & bigis, Octauius autem Auguſtus, ut ſcribit Suetonius, nummum argenteum nota ſideris capricorni, quo natus

erat,percusit:Nero Claudius, citharœdico habitu. Sed Augusti insuper temporibus senatus Romanus decreuit ut aureus nũmus signaretur: in cuius altera parte erat ara,& hic titulus PROVIDENTIA: in altera Augusti imago. & hæc inscriptio. DIVVS AVGVSTVS PATER. quam respexisse uidetur Horatius lib. I, carminum, odæ II. Hic ames dici pater atq; princeps.

Romani etiam imperatores similiter atq; Græci deorum dearumq; imagines imprimendas in altera nummorũ parte curarunt:Nero quidem,Iouis custodis imaginẽ: Antoninus Pius,itemq; Gordianus,Iouis Statoris:Diocletianus, Iouis Conseruatoris: Septimius Seuerus, Martis: Augustus,Prouidentiæ:Domitianus,Reducis Fortunæ: Hadrianus, Spei: Gordianus & Numerianus, Virtutis: idem Numerianus, Veneris Victricis: Iulia Mammea, Felicitatis. Romæ præterea IIIIuiri monetæ cudendæ in nũmis quibusdam impresserũt has notas. AAAFF. hoc est,ut Valerius Probus interpretat, auro,argento, ære, flando,feriundo. Verum de Romanis iccirco plura non dicam,quod amici mihi partim narrarint, partim scripserint uiros quosdã doctos hunc locum cœpisse tractare:ac Leonardum Calamitium Neapolitanum iam confeciſſe librum, sed nondum in chartis impressum, cuius hæc sit inscriptio:De uiris illustribus à primordio ac demum florentis urbis imperio ad intelligenda signa & notas ueterum numismatum. Quin Afri Batto grãtificari uolentes, quod Cyrenen cõdidisset, nummum percusserunt cuius altera pars exprimebat regnum, herbam sylphium altera.quam rem Aristoteles memoriæ mandauit libro, quem De Cyrenensium rep.inscripsit. Veteres uero Germanos serratis & bigatis usos fuisse autor est Cornelius Tacitus.Hodie in signando auro & argento & ære omnes ferè nationes imitantur priscorum consuetudinem. exprimunt autem plerunq; in altera nummorum parte regum uel principum, uel ciuitatum insignia: in altera imaginem eorundem: sed ciuitates diui,in cuius tutela sunt. uerbi causa.Liberæ Germanorũ urbes pleræq; aquilam imprimunt:Boemi,leonem: Veneti quoq;,sed librum tenentem, quo significãt Marcum euangelistam: Mediolanenses serpentem, quæ puerum deuorat: Neapolitani in quodam argenteo,mustelam: æreo,caballum: Vrbinates in æreo,ciconiam. Atq; id genus nouorum nũmûm inscriptione nominis autoris & anni interdum non caret. Ex notis certe quondam multi nummi nomen traxerunt.etenim Athenienses didrachmum, quod nota bouis signatum esset,bouem nominauerunt.ex quo illud bos in lingua factum fuit tritum Græcorum sermone prouerbium,si quis argento corruptus,cum loquendum esset,taceret. Tetradrachmum uero, quod exprimeret faciem Mineruæ, Hyperides puellam: Euripides in Scyrone uirginẽ: Eubulus in Anchise Palladis pullum appellauit. Idem Athenienses

diobo

diobolum eandem ob cauſam uocarunt noctuam: tetrobolum uero noctuas. ex quibus rurſus natum eſt tritum uetuſtate prouerbium noctuæ Laurioticæ. quod dicitur de his qui multam rem pecuniariam habent. erant enim Athenienſium argenti metalla in Laurio monte, ut ſecundo libro De ueteribus & nouis metallis explicaui. At Peloponneſius nūmus teſtudo fuit dictus, quod nota eius animalis eſſet percuſſus. unde illud acute dictum

τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν σοφίαν νικᾶντι χελῶναι id eſt

Vincitur & ſapientia & à teſtudine uirtus

Ex nota autem uictoriæ quinarius uictoriati nomen inuenit, ſimiliter ex bigis & quadrigis bigati & quadrigati, item nūmi argentei. quo ſanè modo noſtris temporibus aurei Gallici ex nota coronę nominantur coronati: argentei quidam Miſeni ex angeli ſimulacro, angelici: argentei Rhetici ex imagine crucis crucigeri. Quinetiam nummi ex regibus reginis ue nomen duxerunt. ut ex Crœſo, ſtateres Crœſii: ex Dario, Darici: ex Philippo, Philippij: ex Alexandro, nummus Alexandrius: ex Ptolemæo, Ptolemaicus: ex regina Berenice, Berenicius: ex Demarete uxore Gelonis, Demaretius. cum enim Gelo bellum cōtra Libyam intuliſſet, ac eum pecuniæ deficerent, ipſa cum proprium ornatum, tum eum quem à mulieribus petijt, concedens nummos ex ea nominatos percuſſit. eadem ratione Venetorum nummi quidam argentei nomen à ducibus traxerunt: Throni quidem, à Nicolao Throno: Marcelli, à Nicolao Marcello: Mocenici, à Petro Mocenico. quomodo etiam nummi quidam argentei Miſeni à Wilhelmo principe Wilhelmici ſunt appellati. At figura quoq; monetæ inter ſe differunt. etenim etiam olim quædam erant rotundæ, quædam quadratæ. quocirca apud Lucianum quidam negat ſe prorſus noſſe quadrata ne ſit an rotunda drachma. Sed obolus oblongus in mucronē deſinebat. & quia ſimilis eſſet ueru, quod Græce dicitur ὀβελὸς, ab eo nomen eſt mutuatus. Noſtris quoq; temporibus quanquā nummi plerique ſunt rotundi, quidam tamē inueniuntur angulati, ut argentei quos percuſſit Antonius Leua Papiæ, cum ea urbs obſeſſa eſſet à Galliarum rege Franciſco. quidā quadranguli, ut quos ſignauit Mauricius dux Saxoniæ & ſacri imperij elector in hoc magno bello, quod Carolus v. imperator, cui ille auxiliū ferebat, geſſit cum fœderatis Smalcaldianis. quin Moſcouitæ argenteam monetam quadrangulam, ſed oblongam cudunt: & quidem duplicem maiorem & minorem. Iam quod ad materiam, ex qua fiunt nummi, pertinet, aut ex puro auro argento ue formantur. quos Latini puros appellare poſſunt. aut aurei quidem effinguntur ex multa & legitima auri portione, cum qua exigua quędam argenti portio ſit permiſta: argentei uero ex multa & iuſta argenti portione, quę ſit ære modico temperata. quos Latini bonos & probos nominant

minãt: tametsi puri maxime sint & dici possint boni, aut aurei ex auro quidem formantur in quo argenti portio maior inest quàm per leges liceat. similiter argẽtei ex argẽto, sed cum quo plus æris sit permistum quàm leges permittunt. utroscꝫ Latini adulterinos consueuerunt nuncupare. Verum ut nummi boni dicantur non satis est ut ex proba constent materia uel ex legitima temperatura, sed etiam requiritur iustum pondus, itacꝫ adulterini non tantum sunt argentei inaurati, uel nummi ex auro cum orichalco permisto formati, uel in quibus minus auri insit quàm per leges licet, cum pro aureis accipiuntur aut soluuntur: sed etiam hi, quibus aliquid detractum est de pondere. similiter adulterini sunt non solum ex ære albo uel plumbo candido facti, uel in quibus minor sit argenti portio quàm leges permittunt, cum pro argenteis accipiuntur aut soluuntur, sed etiam hi quibus non est iustum pondus. quanquam autem nummi aurei, qui ex puro constant auro, uel ex legitima mistura, boni sint: item argentei facti ex puro argento, uel legitima temperatura, tamen, ne improbi fraudent bonos & simplices uiros, expedit aurum & argentum nota regis uel principis uel ciuitatis signare, itacꝫ cum puri nummi dicantur, qui conficiuntur ex auro puro uel argento, aurei certe tales quondam fuerunt Darici: argentei, Aryandici. nam Darius rex Persarum cum cuperet tale monimentum sui relinquere, quale nullus rex reliquisset, ex auro, quod quàm fieri potuit purissimum excoxit, nummos percussit. Ex argento autem Aryandes, quem Cambyses Ægypto præfecerat, Darium imitatus. quare Herodoti etiam temporibus argentũ Aryãdicum fuit purissimum. sed Darius eũ iccirco interfecit. quin Tiberius imperator Hilpericum regem Francorũ aliquot puris aureis, ad eum missis, donauit. quorum quiscꝫ pendebat libram: & altera cuiuscꝫ pars exprimebat imaginem imperatoris cum hac inscriptione: Tiberij Constantini perpetui Augusti. altera currum cui insidebat auriga cum hac præclara inscriptione: Gloria Romanorum. Argentei etiam Moscouitarum nummi puri esse perhibentur. Nuper in Misena Hieronymus ciuis Fribergius, cognomento Magdeburgius, permissu principum non paucas argenteas monetas puras cudebat. quæ exprimebant partim imagines nostrorum principum & hominum illustriũ cum ueterum, tum eorum, qui proximis annis nobiscum egerunt æuum, aut nunc etiam agunt. Tametsi autem puri nummi aurei & argentei boni, imò optimi, sint & dicantur, hi tamen etiã boni dicunt, qui & ex legitima temperatura cõstiterint, et iusti fuerint põderis, et nota regis uel principis uel ciuitatis signati fuerint. nã aureis argentũ, argẽteis æs iccirco ueteres illi primo uidentur miscuisse, ut monetarijs ob cudendi laborem precium darẽt. quod si rex uel princeps uel senatus cum diutina & grauia bella gerẽs impensis non sufficit, aut ære alieno oppressus eo se liberare cupit, argenti

genti plus quàm cõsueuerit, cum auro permiscet, aut plus æris cum argento, is quia necessitate coactus & inuitus illud facit, facile se æquis iudicibus excusat, & tales nũmi semper habiti sunt boni. etenim cum Liuius Drusus in tribunatu plebis octauã partem æris argento miscuit, nummi, quos ex ea mistura signauit, non erant falsi, sed boni, etsi uiliores fuerint. Similiter si rex uel princeps uel senatus eisdẽ de causis pondus nummorũ imminuit, hi ipsi semper habiti sunt boni. nam senatus Romanus nec cum bello Punico primo constituit, ut asses sextantario pondere ferirentur, ut æs alienum posset dissoluere: nec cum bello Punico secundo Q. Fabio Maximo dictatore, quod Romanos urgeret Annibal, asses fecit unciales, malos, sed bonos, etiamsi leuiores, per cussit. atq; illo quidem modo resp. ut autor est Plinius, quinq; partes, hoc dimidiam lucrata est. Sed quæritur utrum moneta ex auro puro, aut cum quo paucum argentum sit permistum, aut ex auro, in quo multum argentum insit, signata sit utilior regioni uel ciuitati. simili modo de argentea moneta quęritur, utrum ex argento puro, aut cum quo modicum æs sit permistum, an in quo plurimum æris insit, signata, sit magis accõmodata regioni uel ciuitati. Est autem in hac causa inter homines multarum rerum peritos summa dissensio: quod alij monetam precioſiorẽ, alij uiliorẽ regioni uel ciuitati multis in rebus magis usui esse contendant. hi igitur quibus aurei & argentei nummi puri, aut ferè puri probantur, his argumẽtis utuntur. moneta pura thesaurus est. qui enim id genus nummos aureos & argenteos possidet, scit quid habeat: & quod habet ubiq; tantum ualet. At moneta aurea uel argentea cum uiliori metallo permista in regione, in qua cuditur, multũ, in alijs parum ualet. itaq; magna ex parte possessorem fortunis & bonis spoliat. tantum enim auri & argenti, quantum ualet moneta, nõ possidet. pura ergo, inquiunt, moneta & preciosa magis ex usu est quàm mista & uilis. deinde cui regioni uel ciuitati sunt boni nummi, in eam omnes res, quas ad usus uitæ necessarios expetimus, aut externi mercatores sua sponte inuehunt, aut domestici, qui eas, quia gratam habent pecuniam, facile de incolis aliarum regionum mercantur. contra cui regioni uel ciuitati uiles nũmi sunt, ei nec externi mercatores tot res important, nec domestici, quod eorum moneta aliarum regionũ incolis non sit accepta. itaq; cum homines mercaturas non facient, iacebit uectigal & portorium, quod externis rebus est impositũ. multitudo hominum à regione, cuius isto modo fortunæ sunt afflictæ, transfugiet, & ad florentem aliam deuolabit. quorũ utroq; res regis uel principis uel ciuitatis damnum facient. alterum præterea causa erit cur merces & ad cultum & ad uictũ necessariæ, quas regio suppeditat, uiliori emantur precio. quare incolæ amplam & copiosam pecuniam facere non possunt. tum denicq; etsi merces in regionem uel oppidum inferantur, tamẽ rex

uel princeps uel ciuitas quod nummi, qui in res uectigalis ac portorij nomine exiguntur, minus sint boni, detrimentum accipiet. idem ei accidet cum tributa conferentur: aut aurum uel argentum, quia ipse incurrit in magnam aliquam difficultatem, de publicis exactionibus bonorum atq; capitum cogetur. ergo cum plus in uectigali, portorio, tributo, exactione detrimẽti sit, quàm in uiliori moneta cudenda emolumenti, non conuenit uel regem uel principem uel senatum præsenti, sed exiguo quæstu & lucro duci, uerum cauere à magno damno, quod non modo regnum, uel regio, uel oppidum, sed etiam ipse contrahet.

Contra horũ acerrimi aduersarij, quibus dñi monetã purã aut ferè purã cudentes reip. cõsulere nõ uidentur, aiunt. cui regioni uel ciuitati est moneta tam bona, in eã mercatores undiq; merces inuehunt: & inter eas multas uiles et fucosas atq; fallaces. quibus æque ac speciosis eliciunt nummos. quos collectos è regione euehunt & exportant. si uero rerum, quibus eadem regio fertilis est, indigent, eas emunt non bonis illis, sed uilioribus nummis, quos secum apportarũt. bonos autem monetarijs uendunt, qui eos cupide appetunt. nã minoris emere possunt quàm uel aurum uel argentum purum nondum signatũ, aut promercale. monetarij uero ad aureos nummos argentũ, ad argenteos æs adijcientes, uiliores percutiunt. itaq;, inquiunt, cum pauci quidam homines parci & nimium tenaces, qui pecuniam in mercibus non collocãt, bonos nummos retineant: & mercatores cum uectigal & portorium exigitur, incolæ cum tributum, soluant uiles nũmos, qui rex uel princeps, uel resp. bonam monetam cudit, non sibi & eis, in quos dominatur, sed externis prodest. at nummos uiles quia nemo ex mercatoribus è regione exportat, sed res, quas ea gignit, emptas, semper usitatæ ac tritæ monetæ copia erit. deinde tot fucatæ merces in eam regionẽ non inuehuntur, quæ uili utitur moneta. tum nummis minus bonis uilius emitur cibus, uilius potio, uilius cæteræ res. Cum autem hæc à uiris, item multarum rerum peritis, sæpe summa cõtentione contra illos disputata sint atq; disputentur, rationes explicandæ sunt, quibus resp. quæq; sibi ab his, quæ isti timent, cauere possit. Primũ leges sumptuariæ sunt rogandæ, ne incolæ extra modum sumptibus, quos faciunt in res externas, prodeant. etenim si tales sumptus fuerint necessarij & legitimi, non effusi & immoderati, maximam pecuniæ partem ipsi retinebunt atq; conseruabunt. deinde fraudare non poterimus mercatores. nam si nummi nobis erunt boni, paucis merces uendent: si minus boni, multis. atq; ita per utranq; uendendi rationem idem auri uel argenti puri pondus consequentur. tum ne mercatores nummos minus bonos, quos secum apportarũt, incolis aut ciuibus soluant pro bonis: ne'ue ijdẽ ab alijs regioni uel ciuitati importatos accipiãt, rex uel princeps uel resp. facile cauere atque prouidere potest. designet modo uiros

ros iuratos, qui quanꝯ pecuniam externam probent, & quanti preciꝯ sit ipsi significent. mox eã minoris æstimet quàm ualeat, & ferat legem, ne moneta pluris ualeat quàm ipse decreuerit. deinde si ueretur ne imperitum uulgus minutulos nummos externos non satis cognitos pro bonis accipiat, alteram ferat legem, quæ prohibeat uulgus tales nummulos accipere. sint tamen homines, qui nummos cum nummis permutent. quos Græci ex argenti cõmutatione ἀργυραμοιβοὺς nominauerunt. quod genus hominum callidum & uersutum, quia externos nũmos habet exploratos, & minoris quàm ualent æstimatos accipit, ut ex eis faciat lucrum: & mercium emendarum causa quoscꝯ in regionem, in qua primum percussi sunt, remittit, quod ibi plurimũ ualeant. neutro autem modo pecunia uilis detrimentũ aliquod afferet incolis: neutro regi uel principi uel reip. siue uectigal, siue portoriũ, siue tributũ exigat. quoniã uero mercatores etiã, qui ut duplex lucrũ faciãt, merces plerunꝯ consueuerũt emere in regione, in quam suas inuexerunt, damnum faciũt si uili pecunia importata eas mercentur de incolis, bonam, quam uendentes acceperunt, ementes rursus numerabũt, nec ullam euehent è regione, quam monetariis uendant. postremo quia dicunt nummis minus bonis uilius emi cibum & potionem ac reliquas res, percutiantur nummuli argentei, qualis Romanis fuit teruncius: tum enim eædem res magno non ementur. aut si placet ærei percutiantur nummuli, quales hodie sunt Venetis à soluendo appellati. nam ꝯs purum signatũ incolis minorem fraudem feret, quàm eius portio cum argento permista. Hoc igitur optimum est ut nummi puri percutiantur: aut, quia reges & principes & ciuitates auro argentum, argento ꝯs suo quodam iure admiscent, boni saltem. At nummos adulterinos qui hodie percutit, fraudem capitalem admittit. etenim ius Saxonum falsarum monetarum autores, uiuos comburit. quondam in Ægypto, ut Diodorus Siculus tradit, ei qui monetam circumcideret: aut adulterinã cuderet: aut de eius pondere detraheret: aut signum immutaret: aut ei literas alias inscriberet: aut aliquid demeret de inscriptiõe, ambæ manus amputabantur: ut quæ corporis pars peccasset, quamdiu homo maneret in uita, lueret pœnas. Adulterinorũ autem nummûm septem sunt genera. primũ est eorum, qui ex proba materia non constant, cum legitimum habeant pondus & inscriptionem, id in multas partes distribuitur. etenim, quod ad aureos nummos attinet, aut argentei nummi uel ærei uel orichalcei inaurantur, quos qui pro aureis soluit, eum qui accipit improbe fraudat. aut aurei ex auro fiunt, cũ quo orichalcum uel æs sit permistum. aut aurei ex auro fiunt, in quo plus argenti inest, quàm leges permittunt. uerbi gratia, si auri Vngarici formentur ex auro, cui insit quarta pars argenti: Rhenani ex mistura, cuius pars dimidia sit aurum, dimidia argentum. Quod uero ad argenteos

teos nūmos pertinet, aut ex ſolo ære candido formantur: aut ex plumbo candido: aut ex ære candido cum quo exigua argenti portio ſit permiſta: aut ex argento quidem, ſed in quo æris plus ineſt quàm per leges liceat: aut ex argento, cui miſtum ſit ferrum, quales denarios trium uir Antonius percuſsit, ut autor eſt Plinius.

Quod autem ad æreos nummos attinet, adulterini ſunt, qui ſignantur ex ære, cum quo permiſtum ſit ferrum, quales iterum triumuir Antonius percuſsit, ut idem Plinius ſcribit.

Alterum genus eſt eorum adulterinorum nummûm, qui ex proba quidem conſtant materia, & legitimam habent inſcriptionem, ſed iuſto carent pondere. uerbi cauſa, ſi ex beſſe auri Rhenani ſignentur LXXX. aurei, cum iuſtum ſit LXX. ſignari: quanquam nunc LXXIII. & paulo plus quam duæ unius tertiæ ſignentur. quos tres & duas tertias partim ſoluunt his, qui in monetam cudendam operas ſolent dare. quin Romæ fuerunt, quod Plinius memoriæ prodidit, qui aliquid de pondere denarij detraherent, cum eſſet iuſtum LXXXIIII. è libris ſignari. Tertium genus eſt eorum falſorum nummûm, qui etiamſi ex proba conſtent materia, & pondus eorum non ſit imminutum, tamen aut ſignum eſt immutatum, uel inſcriptio: aut aliquid de ſigno uel de inſcriptione eſt ademptum. qui enim monetarij tales nummos percutiunt, ut reip. nullum detrimentum afferant, maieſtatem regis uel principis uel ſenatus minuunt. Quartum genus eſt eorum adulterinorum nummûm qui ex proba quidem conſtant materia, ſed nec iuſtum habent pondus, nec legitimam notam & inſcriptionem. Quintum eſt eorum quibus iuſtum eſt pondus, ſed nec ex proba conſtant materia, nec legitimam habent notam & inſcriptionem. Sextum eſt eorum, quibus legitima eſt nota & inſcriptio, ſed nec ex proba materia conſtant, nec iuſtum habent pondus. Septimum eorum, qui nec ex proba conſtant materia, nec iuſtum habent pondus, nec legitimam notam & inſcriptionem.

GEORGII AGRICOLAE DE PONDERE ET TEMPERATVRA MONETARVM LIber secundus.



IN primo libro metallorũ precium expoſui, & multa dixi de monetis: nunc hoc ſecundo primum earundem monetarum pondus explicabo. attamen pondus ueterum omnium explicare non poſſum: quod ſcriptores multarum tantum nomina protulerint. deinde dicam de puris monetis & temperatis, ac ſeorſum quidem aureas ab argenteis, & argenteas ab æreis tractabo: atque in unoquoq; horum trium generum Græcas, Romanas, externas. nec ueteres illas modo externas ſcriptis celebratas, ſed nouas etiam pleraſq;. ordiar autem ab aureis nũmis, & quidem Græcis. qui ſunt χρυσοῦς & ἡμιχρύσους, hoc eſt aureus & ſemiaureus. χρυσοῦς etiam σατὴρ dicitur: ut Philippi & Alexandri ſtateres. qui erant aurei. ſed cum dicitur χρυσοῦς, ut autor eſt Pollux, auditoris tacitæ cogitationi ſubiicitur σατὴρ: cum uero σατὴρ non omnino χρυσοῦς. nam res plures ſignificat. etenim & argenteum nũmum & pondus quatuor drachmarum uel minæ, ut alias explicaui. qua de cauſa idem nummus his duobus nominibus ſimul iunctis appellatur σατὴρ χρυσοῦς. quo ſanè modo apud Ariſtophanem in Pluto inquit Cario.

σατῆρσι δ' οἱ θεράποντες ἀρτιάζομεν
χρυσοῖς. id eſt.

Stateribus famuli par impar ludimus
Aureis.

Aureum uero ſtatera duarum drachmarũ Atticarum fuiſſe in quarto libro ſcribit Pollux. at ἡμιχρύσους, quod uocabulum Alexandrides in Anchiſe uſurpauit, etiam ἡμισατήριον dicitur, quod Ariſtoteles in Cyrenenſium rep. poſuit, & δραχμὴ χρυσίς. quod Heſychius. At ſtateres Macedonici, & regũ, qui Alexandro magno ſucceſſerũt in Aſia & Syria grauiores ſunt. nam ferè pendunt Atticas duas drachmas, & duos obolos, ac ſiliquas duas. extãt quos percuſsit Philippus, Alexander magnus, Demetrius, Pruſias, & alij. Romę aũt diuerſis tẽporibus diuerſi ponderis aurei nũmi ſunt percuſsi. etenim cũ conſules rẽp. adminiſtrarẽt, qui penderẽt duos denarios: cũ principes dominarẽt, partim qui duos denarios, partim qui duas drachmas. quod res ipſa demonſtrat, & his uerbis Plinius explicat. Aureus nummus poſt annum LXII. percuſſus eſt quàm argenteus, ita ut ſcripulum ualeret ſeſtertijs

ſtertijs uicenis, quod efficit in libras ratione ſeſtertiorū qui tunc erāt, ſeſtertios ꝟDCCLX. (ſic numerus corruptus emēdari poteſt) poſt hęc placuit XLII. ſignari ex auri libris: paulatimq; principes imminuere pondus, minutiſsime uero ad XLVIII. Antonius uero Heliogabalus, imperatorum omnium turpiſsimus, largitionis cauſa uarias, ut ſcribit Ælius Lampridius, formas inuenit: binarias nimirū, quæ, quod principes iam imminuerant pondus, quatuor drachmas pendebant: ternarias, quæ ſex: quaternarias, quæ octo: denarias, quæ uiginti: bilibres, quæ centum nonaginta duas: centenarias, quæ ducentas ſiue duas minas. Eas contra, ut idē autor eſt, Alexander Seuerus reſoluit, & legem tulit, ne quiſquam iſtis uteretur. aureorum pręterea ſemiſſes percuſsit, qui drachmas penderent, ut ſolidi, qui tunc erant, duas. & cum ad tertiam aurei partē uectigal decidiſſet, tremiſſes, quibus pondus erat duorum ſcripulorū. quartarios denicq; ſignauit, qui dimidiam drachmam pendebant. quos, quia uectigal non potuit contrahere propter publicas neceſsitates, non edidit. Tum Conſtantinus & Iulianus ac alij rurſus detraxerunt de aureorum pondere. etenim è libris ſignarunt duos & ſeptuaginta. quorum ſinguli penderent ſextulam, id eſt quatuor ſcripula. atq; eos aureos Iuſtinianus imperator appellat ſolidos: cum libro X. Codicis, conſtitutione LXX. de ſuſceptoribus, præpoſitis, arcarijs ſcribit. Quotieſcunq; certa ſumma ſolidorum pro tituli qualitate debetur, aut auri maſſa tranſmittitur, in ſeptuaginta duos ſolidos libra ſe ratur accepta. Nec ſolidus, ut ſentit Iſidorus Hiſpalēſis, apud Latinos alio nomine ſextula dictus eſt: ſed aureo nummo, quem Iuſtiniani temporibus ſolidum, id eſt integrum, nominauerūt, erat pondus ſextulæ: ut ei, quem Alexander Seuerus percuſsit duarum drachmarum. quos aureos cum reſpectum ad ſemiſſes & tremiſſes haberent, tunc primo dixerunt ſolidos: quod ſemiſſes ex dimidia eorum parte, tremiſſes ex tertia conſtarent. Quin etiam hi imperatores, qui ex libra ſignarunt duos & ſeptuaginta ſolidos, percuſſerūt ſemiſſes & tremiſſes. illorum quiſq; pendit duo ſcripula, horum ſcripulū & tertiam ſcripuli partem: ſiue, quod idem eſt, ſiliquas octo. de his tremiſsibus ſentit Iuſtinianus XII. Codicis libro, conſtitutione XXXVIII. de erogatione militaris annonæ: & XL. de ueſte militari, ubi ſcriptum eſt hoc Imperatorum Arcadij & Honorij placitum. Fortiſsimis militibus noſtris per Illyricum nō binos tremiſſes pro ſingulis chlamydibus, ſed ſingulos ſolidos dari præcipimus. Veruntamē nec omnes imperatores Romani quondam de pondere aureorum detraxerūt: neq; poſtea regibus omnibus placuerunt ſemiſſes. Aurelianus enim imperator ſignauit aureos, quorū aliqui extāt, qui pendūt duos denarios: reges Hiſpaniarū & Galliarū, qui duas drachmas, Britānię & Luſitanię grauiores etiā. At externi aurei ſunt ſtateres Crœſii, ꝙs Crœſus rex Lydorum percuſsit: Da-

rici

rici, quos Darius rex Persarum: Cyziceni, quos senatus Cyzici urbis Propontidis. Daricos autem duas summum drachmas Atticas pependisse ex Xenophonte intelligimus, apud quem Cyrus cũ uati Silano Ambraciotę affirmasset se daturum decem talenta, si rex Artaxerxes intra decem dies, quod Silanus prædixit, pugnam nõ cõmitteret, atq; id accidisset, dedit tria millia Daricorum. quia uero una auri pars quondam preciũ decem argẽti partium exæquauit, ut auri talentum unum fiat, quod respondeat decem argenti talentis, necesse est Daricos summum esse duarum drachmarũ, non octo, ut Budęus uoluit. nam drachmarum sex millia efficiunt talentum. Cum Xenophonte consentiunt hi, de quorum opinione sic scribit Aristophanis interpres super Concionantes & Harpocratio. Daricum quidam dicunt ualere drachmas argenti uiginti: ut quinq; Darici ualeant argenti minam. Sed ut Crœsii etiam fuerint eiusdem ponderis, & ualuerint, ut Darici, uiginti drachmas Atticas, certe ex oratione Demosthenis ad Phormionem intelligimus Cyzicenos grauiores fuisse: quod eorum precium in Bosphoro exæquarent octo & uiginti drachmę Atticæ. φορμίων δέ φησιν ἀπολοῦναι λαμπίδι ἐν βοσφόρῳ ἑκατὸν καὶ εἴκοσι στατήρας κυζικηνοὺς, ὁ δὲ κυζικηνὸς ἐδύνατο ἐκεῖ εἴκοσι καὶ ὀκτὼ δραχμὰς ἀττικάς. quod si incolæ Bosphori unam auri partem æstimarunt decem argenti partibus, aureus stater Cyzicenus pendebat Atticas drachmas duas, obolos quatuor & dimidium, æreolum unum & dimidium, minuta duo, & decimam minuti partem. Aureus etiam nummus, ut Aristoteles in Cyrenensium rep. scribit, erat τετραστάτηρον: ex eo nominatum quod quatuor stateres penderet. Nostris quoq; temporibus diuersi ponderis sunt aurei. etenim ex auri temperati besse Noribergio signantur Rhenani LXXIII. & paulo plus quàm duæ unius tertiæ: coronati Italici LXX. & tres unius quartæ, aut LXXI. coronati Francici & Burgundici LXX. ducati, ut appellant, Veneti & Turcici LXVIII. ac fermè totidem Romani, Bononienses, Lucenses, Mediolanenses: Vngarici & Cæsariani & Lusitani LXVII. atq; hi ferè unam drachmã nostram pendunt. Hispani uero quos rex Ferdinandus Caroli V. imperatoris auus maternus percussit, duos Vngaricos. quibus etiã grauiores sunt Rosati. Electreos uero nummos Alexander Seuerus percussit, qui imaginem Alexandri magni exprimerent. quod in eius uita scribit Ælius Lampridius. uerum quia imperator ille Alexãdri studiosissimus non modo hac nota percussit electreos aliquos, sed plurimos etiã aureos, considerent harum rerum studiosi utrum Alexander magnus an Alexander Seuerus percusserit eos qui nunc in manibus uersantur. illius quidẽ sunt ferè stateres aurei qui duas drachmas & duos obolos pendunt: hic semisses & tremisses & quartarios formauit: etsi etiam solidos, qui pendũt duas drachmas. Vt autem aureos percussit qui duas

drachmas, uel drachmam, uel duo ſcripula, uel dimidiam drachmam pendunt, ita electreos eiuſdem ponderis uidetur percuſsiſſe. niſi quis putet electreos non qui uulgarentur, ſed ſingulares quoſdam maioris ponderis, quos amicis daret Alexandri imagine ab eo ſignatos fuiſſe.

At argentei nummi Græcorum ſunt δραχμὴ, ἡμιδραχμον, διδραχμον, τριδραχμον, τετραδραχμον. ὀβολὸς, ἡμιωβόλιον, διώβολον, τριώβολον, τετρώβολον. Romani quidem δραχμῶν eodem uocabulo drachmam ſolent nominare: ἡμιδραχμον uero eſt nummus argenteus, qui pendit dimidiam drachmam: διδραχμον, qui duas drachmas: τριδραχμον, qui tres: τετράδραχμον, qui quatuor. id Atticos uocare τέτραχμον Ammonius ſcribit. quo uocabulo utitur Liuius libro quarto & quadrageſimo. At ἡμιδραχμον dicitur etiam τριώβολον, quod tres obolos pendat. nam drachma pendit ſex obolos. διώβολον igitur duos, τετρώβολον, quatuor: ἡμιωβόλιον, dimidium.

Ex argenti autem mina ſignabantur Athenis tetrachma XXV. didrachma L. drachmæ C. tetrobola CL. diobola CCC. oboli DC. Sed Æginæa drachma maior fuit Attica. etenim decem obolos Atticos ualuit. quã Athenienſes, ut autor eſt Pollux, craſſam uocarunt. pro odio nanq; , quod habuerunt in Æginetas, Æginæam noluerunt uocare. uidetur uero obolum plus quam Atticam drachmam & dimidiam pependiſſe. Fuit etiam Æginetis ſuus obolus, ut eſt apud Thucydidem: & triobolus, ut apud Xenophontem. Quoniam uero ſtater Corinthius æſtimatus fuit decem libris, & libra ualuit pro obolo Æginæo, grauior fuit didrachmo Attico, leuior duabus drachmis Æginæis: niſi ex argento, cum maiori, quàm Æginæum, eris portione permiſto, fuit ſignatus. Quantum autem pondus fuerit nummi Peloponneſii, quem teſtudinem appellarunt, ignoramus. At Romanorum argentei nũmi ſunt denarius. & eius pars dimidia quinarius, ſiue uictoriatus: quarta, ſeſtertius, decima, libella: uiceſima, ſembella: quadrageſima, teruncius. Denarius quidẽ primo ualebat decem aſsibus, ex quo nomen inuenit: quinarius quinq; , unde etiam ipſe nomen hoc duxit: ſeſtertius, duobus & ſemiſſe, quaſi ſemis tertius dictus. Romani enim imitati ſunt Græcos quibus ξίφη ἡμιτάλαντον duo talenta & dimidium ſignificat. quam ſententiam his uerbis affirmat Varro libro IIII. de lingua Latina. In argento nummi dicti denarij , quod denos æris ualebant: quinarij , quod quinos: ſeſtertius, quod ſemis tertius. dupondium enim & ſemis antiquitus ſeſtertius. erat ueteris conſuetudinis ut retro æra dicerentur, ita ut ſemis tertius, ſemis quartus pronunciarent. ab ſemis tertius ſeſtertius dictus. In eandem ſententiam ſcribit Plinius libro XXXIII. cap. III. Argentum ſignatum eſt anno urbis CCCCLXXXIIII. Q. Fabio Conſ. quinq; annis ante primum bellum Punicum. & placuit denarius pro decem libris: quinarius, pro

quinq;

quinq; seſtertius, pro dupõdio ac ſemiſſe. Quia uero denarius decem aſsibus ualeret, ipſa libella, ut decima eius pars, ualebat aſſe, qui erat libralis. atq; ſic nũmulus iſte à libra, quod eſſet minutus, libellæ nomen reperit. ſed cum libella in duas diuideretur partes, tanquam as in duos ſemiſſes, ſingula ualuit dimidia eius parte, & ſembella fuit nominata. item cum eadem libella in quatuor partes diſtribueretur tanquã as in quatuor quadrãtes, hæc ualuit quarta libellæ parte, & à tribus eius uncijs nomẽ teruncij traxit. huius rei rurſus autor eſt Marcus Varro lib. IIII. de lingua Latina. Nummi, ſcribit, denarij decuma, libella, quod libram pondo as ualebat: & erat ex argento parua. ſembella, quod ſit libellæ dimidium, quod ſemis aſsis. teruncius de tribus uncijs, quod libellæ quarta pars ſit. uelut quadrans aſsis. Romani autem ex argenti libra primo formarunt denarios LXIIII. quod ex Liuio & Varrone intelligitur, ut explicaui eo libello qui inſcribitur: Ad ea, quæ Andreas Alciatus denuo diſputauit de menſuris & ponderibus, breuis defenſio. atq; ea ratione fecerũt ex libra quinarios CXXVIII. ſeſtertios CCLVI libellas DCXL, ſembellas MCCLXXX. teruncios IICCCLX. de id genus ſeſtertijs ſic ſcribit Plinius: ratione ſeſtertiorum qui tunc erant. Deinde ijdẽ ex argenti libra ſignarũt denarios legitimi ponderis LXXXIIII. cuius rei autor eſt Plinius lib. XXXIII. cap. IX. ut in eodem libello dixi. ut uero illis tẽporibus ex argenti libra cõficiebãtur denarij LXXXIIII. ita quinarij CLXVIII. ſeſtertij CCCXXXVI. libellæ DCCCXL. ſembellæ MDCLXXX. teruncij IIICCCLX. Tum imperatores, qui poſt Claudiũ aliquid de pondere detraxerunt, è libra ſignarunt denarios XCVI. quinarios, CXCII. ſeſtertios CCCLXXXIIII. libellas DCCCCLX. ſembellas MDCCCCXX. teruncios IIIDCCCXL. Denarius autem à Romanis uocatur nũmus, itemq; ſeſtertius. ac uero etiam ita nuncupaſſe uidentur quinarium. qui enim non, cum duplo maior eſſet quàm ſeſtertius? & cum Terentius in Heautontimorumeno drachmã appellauerit nummum? ait enim Syrus. huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuum. Et mox idem ſubijcit. Clinia orat ſibi uti nunc det illam: illi tamen poſt daturum mille nummum poſcit. Sed quinario medici, qui ipſum nominant uictoriatũ, ſæpius pro pondere utuntur, quàm alij ſcriptores omnes pro argenteo nummo. Apud Pomponium Victoribus nummum ſignificat. Quæ tuleram mecum millia decem uictoriatum, Græca mercede illico curaui ut occuparẽ. at ab ijſdem Romanis libella & ſembella & teruncius appellantur nummuli. Verum denarium etiam dici nummum, nõ ſolum ſeſtertium, ut multi putarunt, hinc poteſt intelligi. Plinius ſcribit lib. VIII. cap. LVII. Veniſſe murem ducentis nummis Caſilinum obſidente Annibale, eumq; qui uendiderat fame interiſſe, emptorem uixiſſe annales tradũt. Eandem rem Valerius Maximus lib. VII. cap. VI. & Strabo lib. V. memoriæ prodiderũt. atq;

ille ait murem captum ducentis denarijs uenditum fuisse, hic emptum totidem drachmis. sic enim Græci denarios uertunt. Idem Plinius denarios etiam appellat nummos lib. IX. cap. XL. Precia, inquit, medicamento sunt pro fertilitate litorum uiliora: non tamen usquam pelagij libras quinquagenos nummos excedere & buccini centenos sciãt qui ista mercantur immenso. Nam capite præcedenti scripsit. Nepos Cornelius, qui diui Augusti principatu obijt, me, inquit, iuuene uiolacea purpura uigebat, cuius libra denarijs centum uenibat. nec multo post rubra Tarentina. huic succesit dibapha Tyria, quæ in libras denarijs mille non poterat emi. De eodem precio loquitur cap. XXXVIII Summa medicaminum in libras buccini CC. pelagij CXI. Solet autem Plinius, ubi nec sestertios nec asses adijcit ad precij numeros, intellige re denarios. ueluti lib. XII. cap. VII. Piper longum facillime adulteratur Alexandrino sinapi. emitur in libras XXV. album XVII. nigrum XIIII. Quidam scriptores ad nummum adijciunt denarium, ut uerbum ambiguum distinguant. sicuti Marcus Varro. Nummi denarij decuma li bella. Vt autem denarius interdum dicitur nummus, ita etiam sestertius. Cicero lib. IIII. in Verrem sæpe sic utitur nummo. uerbi causa, ubi de hereditate Epicratis loquitur. Verres refert illam suã Syracusanam: ait sese uelle de illis H-S LXXX. cognoscere. aduocat multos. dicũt Budini Volcatio dedisse. illud non addũt, iussu istius. Volcatium uocat. pecuniam referri imperat. Volcatius animo æquissimo nũmos affert. Et postea de Sopatro. Expositis suis difficultatibus hominem ad H--S LXXX. perducit, eamq; ei pecuniam numerat. posteaquam ad causam dicendam uentum est, tum uero sine metu, sine cura omnes erant qui Sopatrum defendebant. crimen nullum erat. res iudicata. Verres nummos acceperat. Etenim si in his, quæ præcedunt, mentio fit sestertij, cũ nũmum dicunt scriptores, sestertium intelligunt: si denarij, denarium. sin in præcedentibus nulla facta fuerit mentio neq; sestertij neq; denarij, ex alijs autoribus, si qui sunt qui de eadem re scripserunt, percipi poterit uter sit intelligendus. quod si nulli sunt, ex re ipsa, cuius precium indicatur, coniectura facienda. Alij ad nummum etiam adijciunt sestertium, ut iterum uerbum ambiguum, quod in utranq; rem ualet, distinguant. sicuti Vitruuius lib. I. cap. IIII. cum scribit de M. Hostilio qui Salapiam uetus oppidum trãstulit. Ab senatuq;, inquit, populoq; Romano petijt ut liceret transferre oppidum: constituitq; mœnia & areas diuisit: nummoq; sestertio singulis municipibus mancipio dedit. Et Valerius Maximus lib. V. cap. II. Sit aliquis in summo splendore etiam sordibus gratus locus. M. Cornuto prætore funus Hircij & Pansæ iussu senatus locante, qui tunc libitinam exercebãt, tum rerum suarum usum, tum ministerium suum gratuitum polliciti sunt. quia ij pro rep. dimicantes occiderunt, perseuerantiq; postulatione excude-

runt

runt,ut exequiarum apparatus seſtertio nummo ipſis præbentibus ad diceretur. Seſtertius autem ualebat æris libras duas & dimidiam, hoc eſt quartam denarij partem, quod ita planum feci teſtibus Varrone & Plinio, ut de eo nihil ambigi poſsit. Sed quæritur utrum ſeſtertium ſignificet mille id genus nummos,quos Romani ſeſtertios nominauerunt:an ne argenti libras duas & dimidiam: an nummum argenteum duarum librarum & dimidiæ:an denicꝫ eundem nūmum argenteum,quem ſeſtertius.Exiſtit deinde quæſtio nō minus difficilis,num cum dicimus decem ſeſtertij, decem ſeſtertium, decies ſeſtertium uerbis,quæ non multum differre poſſent uideri, eundem an alium atque alium deſignemus numerum.M. Antonio Sabellico ſeſtertium uiſum eſt habuiſſe,ut ipſe loquitur,mille nummos. cum enim ex re ipſa intelligeret apud ſcriptores, ſi quando, ut unum exemplum de medio ſumam, librarij ſcripſerunt ſeſtertia centum,ab ipſis autoribus ſignificari nummûm centum millia,hoc errore ducitur ut arbitretur ſeſtertium ualere mille nummos. Guilielmo autem Budæo placet ita ſingula ſeſtertia ualere duas argenti libras & ſelibram, ut ſeſtertij ſinguli ualēt duos aſſes & ſemiſſem, qui item pendūt duas libras & dimidiam:atꝫ ex eo utruncꝫ nominatum.nec uero Budæus diſſentit prorſus à Sabellico, ſed æque ac ille cenſet ſeſtertium ſignificare mille nūmos. uerum quia tot nūmi efficiunt denarios ducentos quinquaginta,quot,ut ipſe ſentit,ex libris argenti duabus & dimidia ſignātur, in eam opinionem ipſe ſe adduxit, ut putaret ſeſtertium libras argenti duas & dimidiam ualere.Sed necꝫ denarius legitimus eiuſdem eſt ponderis, cuius drachma,necꝫ libra ex centum drachmis,ut mina,conſtat. quam rem libris, De Romanis & Græcis mēſuris ac ponderibus inſcriptis, uberius explicaui. Itacꝫ cum Budæus res non conceſſas ſumpſerit, quod ex illis efficit nullo modo concedimus. uerum quia ex argenti libra quatuor & octoginta denarij legitimi,trecēti uero & triginta ſex ſeſtertij ſignātur,ſequitur ut, ſi mille nummis ſeſtertijs addideris octo, argēti libras tres efficias.Nec cum Budæo facit illud Iuuenalis ſatyra III.

mullum ſex millibus emit

Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.

Ait enim mullum tot libras pependiſſe,quot pendunt ſeſtertia, quibus emptus fuit.ſex autem millia ſeſtertium pendunt libras ferè XVIII. etenim in tanto numero deſunt XLVIII. ſeſtertia, quæ efficiunt denarios XII. atꝫ hi rurſus paulo plus quàm ſeſcunciam.tametſi uero Iuuenalis uixit his temporibus,quibus iam erat aliquid de pondere denarij detractum, tamen ueriſimile eſt eos, qui ponderabant, legitimis uſos fuiſſe.ſed de hac re cum nemine contendam. Philippo Beroaldo ſeſtertius uidetur eſſe nummus argenteus duarum librarū,cum ſeſtertius & ſeſtertium,quæ uoces etiam,ut ipſe ſentit, idem declarant, ma-

gnus nummus non fuerit. nam ex tot argenti libris, quot eum nummum affirmat fuisse, Romani sestertios octingẽtos & quadraginta signarunt. Sed sestertium plerunq; poetis in usu est, sestertius reliquis scriptoribus. Quod uero sestertium etiam paruum illum nummum significat ex his Martialis uersibus potest percipi, qui sunt in lib. secundo Epig. in Caium.

Mutua uiginti sestertia forte rogabam
Quæ uel donanti non graue munus erat.
Quippe rogabatur fidusq;, uetusq; sodalis,
Et cuius laxas arca flagellat opes.
Is mihi, diues eris, si causas egeris, inquit.
Quod peto da Cai, non peto consilium.

Si magnum & graue munus non dat qui donat alicui uiginti sestertia, sed paruum & leue, quis non intelligit sestertium non esse libras argenti duas & dimidiam. sed quartam denarij partem: atq; ita nec uiginti sestertia esse libras argenti quinquaginta, sed uiginti tantum sestertios. Verum de re, quæ primo in quæstionẽ fuit uocata satis dixi: nũc ad alteram partem abeo. Cum dicimus decem sestertij, nullum numerum extra hunc intelligimus: cum uero decem sestertium, his uerbis decem millia sestertium designamus: at cum decies sestertium, maiorem etiam numerum: nimirũ decies centena millia sestertium. Quoniam autem hi, qui nuper scripserunt, partim mecum faciunt, partim dissident, ea quæ asserui optimorum autorum uerbis confirmare decreui: pariter & indicare quid in illorum scriptis uerum quidue falsum sit: ne studiosi harum rerum opinionibus rapiantur in errores.

Si nomen numerale casu, numero, genere congruit cum sestertio, siue masculini siue neutri generis fuerit, nullum alium numerum significat, quàm eum qui profertur. quo modo scripsit Cicero libro v. in Verrem. Verum enimuero cum esset sestertijs binis aut etiam ternis, quibusuis in locis prouinciæ, duodenos sestertios exegisti. Paulo uero ante sic. Doceas oportet aliquo in loco Siciliæ prætore Verre ternis denarijs tritici modium fuisse. Quia enim terni denarij duodenos efficiunt sestertios, satis intelligimus his uerbis nõ plures sestertios q̃ duodecim, sed in singulos distributos, designari. similiter binis, duos: ternis, tres. Idem percipitur ex his Tranquilli uerbis in Cæsare. Annuam etiam habitationem Romæ usq; ad bina millia nummum, in Italia non ultra quingenos sestertios remisit. quingenos autem dixit singulos quingentos. Certo, quod ad hanc loquendi rationem pertinet, ne Budæus quidem, cui aliud sestertius, aliud sestertium significat, à me discrepat. Eodem modo poetæ dicunt sex, decem, uiginti, centum plura ue sestertia, nihil aliud intelligentes quàm sestertios. Neutro autem genere potius quàm masculino iccirco utuntur, quod quidam uersus

non

non recipiant huius aliquot casus plurales, illius recipiant. Martialis libro VI. Epig. in Pætum.

Sex sestertia si statim dedisses,
Cum dixti mihi sume, tolle, dono,
Deberem tibi Pæte pro ducentis.
At nunc cum dederis diu moratus,
Post septem puto, uel nouem Calendas,
Vis dicam tibi ueriora ueris,
Sex sestertia Pæte perdidisti.

Idem lib. XI. Epig. ad eundem Pętum.

Soluere Pęte decem tibi me sestertia cogis,
Perdiderat quoniam Bucco ducenta tibi.
Ne noceant oro mihi non mea crimina, tu qui
Bis centena potes perdere, perde decem.

Iuuenalis satyra prima.

simplex ne furor sestertia centum
Perderet? & horrenti tunicam non reddere seruo?

Martialis libro VI. Epig. in Phœbum.

Mutua te centum sestertia Phœbe rogaui,
Cum mihi dixisses, exigis ergo nihil.
Inquiris, dubitas, cunctaris, meq; diebus
Teq; decem crucias, iam rogo Phœbe neges.

Idem lib. IX. Epig. ad eundem Phœbum.

Quadringentorum reddis mihi Phœbe tabellas,
Centum da potius mutua Phœbe mihi.
Quære alium, cui te tam uano munere iactes.
Quod tibi non possum soluere Phœbe, meum est.

Hic à me dissidet Budæus, interpretatur enim sestertium libras argenti duas et dimidiam. cuius sententiæ cur non sit assentiendum iam dixi. Si uero hæc duo nomina, numerale scilicet atq; sestertius, ijsdem casibus non efferuntur, sed hoc genitiuo plurali, illud, quod item plurale est & generis neutrius, quouis alio, atq; non sequitur millia, quod à nomine numerali nunquam dissentit casu, semper intelligitur. Sed ut rem obscurã patefacere & illustrare possim, prius integrę loquendi rationis, quàm concisæ breuitatis, exempla supponam. Cicero lib. v. in Verrem. Facta est sponsio H-S v. mil. cœpit Scandilius recuperatores aut iudicem appellare. Deinde de eadem re. Cogit enim Scandilium quinq; illa millia nummũ dare, atq; adnumerare Apronio. Et paulo post. Cogit Scandilium Apronio ob singularem improbitatem atq; audaciam prædicationemq; nefariæ societatis H-S v. millia mercedis nomine ac premij dare. Vt enim quinq; millia nummûm, ita etiam sestertium quinq; millia, dixit Cicero ubiq; usus eadẽ loquendi ratione,

& quidem integra. Sed idem Cicero ſi bis eiuſdem pecuniæ ſummam dicit interdum in priori loco ad numerum adiicit millia, in poſteriori non adiicit. uerbi cauſa. lib. IIII. in Verrem. Repente recitatur uno nomine H-S CCL. millia iuſſu prætoris data. Deinde. Numerãtur illa H-S ducenta quinquaginta Syracuſanis. Contra Saluſtius in libro De coniuratione Catilinæ in priori loco omittit millia, in poſteriori adiungit ad numerum. Ad hoc ſi quis indicauiſſet de coniuratione, quæ contra remp. facta erat, præmium ſeruo libertatem & ſeſtertium centum, libero impunitatem eius rei & ducenta millia. Similiter Cicero libro V in Verrem in priori loco, in quo ponit ſeſtertium, omittit millia: in poſteriori, ubi nummûm collocat, aſſcribit. Vt ſi quis, inquit, uillicus ex eo fundo H-S dena meritaſſet, exciſis arboribus ac uenditis, demptis tegulis, inſtrumẽto, pecore abalienato, domino XX. millia nummûm pro X. miſerit. Sed quocunq; in loco nummũ in eo etiam millia ponitur. quæ loquendi ratio uniuerſalis eſt. Tranquillus in Vitellio. Indicebat autem aliud alij prandium eadem die. nec cuiquam minus ſingulí apparatus quadringentis millibus nummûm conſtiterunt. Sed Saluſtiano ſimile eſt illud eiuſdem Tranquilli in Caligula. Compererat prouincialem locupletem ducenta H-S numeraſſe uocatoribus, ut per fallaciam conuiuio interponeretur. nec tulerat moleſte tam magno æſtimari honorem cœnę ſuæ. huic poſtero die ſedenti in auctione miſit, qui neſcio quid friuoli ducentis millibus traderet, diceretq; cœnaturum apud Cæſarem uocatu ipſius. Sin Cicero eiuſdem ſummæ ſæpius mentionem facit, modo ad numerũ addit millia, modo de eodem demit. ut lib. III. in Verrem. Expenſa Chryſogono ſeruo H-S ſexcenta millia cũ accepta Pupillo Malleolo retulit. quomodo ex decies H-S ſexcenta ſunt facta, quomodo de eodem modo quadrarint: ut illa de Cn. Carbonis pecunia reliqua H-S ſexcenta facta ſunt: cur id nomen infimum, in litura q; ſit, uos exiſtimabitis. tamen H-S ſexcenta millia cum accepta retuliſſet, H-S quinq; millia ſoluta non ſunt. Idem Cicero interdum millia ad numerum non adiungit: quanquã ea uox nec anteceſsit, neq; mox conſequitur. ut libro IIII. in Verrem. Scribit H-S LX. ſocios perdidiſſe ex uiceſima portorij Syracuſis. Et lib. V. in eundem. Iſte nihilominus iudicium H-S LXXX. dabat. Quæ loquendi conſuetudo tantam uim obtinuit, ut Plinius, Tranquillus, & reliqui inferioris ætatis ſcriptores ſæpiſsime ſic ſint locuti. ſcribit enim Plinius libro XXXVI. cap. XV. Pyramidas regum miramur opera, cum ſolũ tantum foro extruendo H-S mille ducentis Cæſar dictator emerit. id eſt ſeſtertium mille ducentis millibus. Tranquillus in Cæſare. Ludis Decimus Laberius eques Romanus mimum ſuum egit, donatus'que eſt quingentis H-S & annulo aureo. nam quadringenta millia ſeſtertium erant cenſus equeſtris, ſed is fuit Cæſaris beneficio auctus. Cornelius

Taci

Tacitus annalium lib. II. Daturū liberis eius ducena H-S singulis, qui sexus uirilis essent. id est ducena millia sestertium. Librarij autem igna ri huius loquendi consuetudinis cum sestertiûm nota scriptum inue nirent iunctum cum neutrius generis nominibus numeralibus, existi mantes eiusdem generis & casus esse, ita mutarunt ut non solum nu mero, sed etiã casu & genere cõueniret cum nomine numerali. ut apud Tranquillum in Tiberio. Vnam modo liberalitatem ex indulgentia ui trici consecutus, cum tribus classibus factis pro dignitate cuiusq; pri mæ sexcẽta sestertia, secundæ quadringenta distribuit, ducenta tertiæ. Et apud Tacitum lib. XI. annaliũ. Hæc ita haud frustra dicta princeps ratus capiendis pecunijs posuit modum, usque ad dena sestertia, quæ egressi repetundarum tenerentur. nam in illo legendum primæ sex centa sestertiûm: in hoc usq; ad dena sestertiûm: in utroq; uero millia intelligendum. Eadem librariorum inscitia hic locus Ciceronis qui est in lib. IIII. in Verrem deprauatus est. Hæc denaria XXXVIII. millia pa lam saluis legibus contulerunt in statuam, uera enim lectio est, hæc de nariûm XXXVIIII. millia. Eadem aliquot loca in libro V. in Verrem ui tiosa sunt. scripserunt enim quinquaginta medimna cum quinquagin ta medimnûm sit scribendum. Et. Hæc sunt ad tritici medimna XC. id est tritici mod. DXL. millia, cum sit legendum. hæc sunt ad tritici medi mnûm XC. millia scilicet. nam cum sex modij efficiant medimnum, ne mo non intelligit modiorum DXL. millia efficere medimnûm XC. mil lia, non medimna XC. Itaq; hoc librariorum errore capti uiri docti se stertiũ interpretati sunt mille nummos, cum unum tantũmodo signifi cet. Beroaldus insuper, ut dixi, ait numum argenteum esse duarum li brarum & dimidię. Budæus tot libras argenti ualere. Quod si etiam se stertium casu & genere conueniret cum nomine numerali, nihilo plus significaret quàm nummum, itemq; intelligeretur millia. Budæus igi tur isto librariorum errore ductus plures scriptorũ locos praua lectio ne corrumpit. Quoniam uero sæpissime in locum sestertij eius no tam substitutam uidemus, si cum ea nomen numerale distributiuum, sic grammatici loquuntur, uel ex cardinalibus potissimũ tertium, fue rit coniunctum, plerunq; quid significet perspicuum est. nam cum scri ptum est H-S deni, hac nota hocq; uerbo designari sestertios denos in telligimus: cum H-S dena, sestertiûm dena millia. etenim millia ad hoc quadrant, ad illud non quadrant. similiter cum scriptum est H-S tres, significari sestertios tres percipimus: cum H-S tria, sestertiûm tria mil lia. At si cum sestertij nota nomen cardinale immutabile fuerit copula tum, uel distributiui aliquis casus, qui cõmunis masculino est cum neu tro, quia in utranq; rem ualet, utram significet ratio loci, à scriptore tra ctati, nos docebit. exempli causa. Cic. scribit lib. V. in Verrẽ. Ad singu la medimna multi H-S duorum, multi H-S quinq; accessionem coge bantur

bantur dare. Et Plinius lib. XXIX. cap. I. Multos prætereo medicos, celeberrimosq́ ex his Caſsios, Carpitanos, Aruntios, Albutios, Rubrios CCL. H-S annua mercede ijs fuere apud principes. Quero Stertinius imputauit principibus, quod H-S quingenis annuis contentus eſſet. Quod ſi apud Ciceronem non ſequerentur hæc uerba, qui minimum ſingulos nummos: & apud Plinium, ſexcena enim ſibi quæſtu urbis fuiſſe numeratis domibus oſtendebat, tamẽ illic ſeſtertios duos & ſeſtertios quinque acciperemus: hic CCL. millia ſeſtertium & ſeſtertium quingenis millibus annuis. etenim ſi in nullo loco Siciliæ prętore Verre ternis denarijs tritici modius fuit, medimnum etiam non fuit XVIII. denarijs. non igitur multi ſeſtertium duorum millium, multi ſeſtertium quinq; millium acceſsionem coacti fuerunt dare. at quia ducentos quinquaginta ſeſtertios uel etiam quingentos, unus aliquis ex infima plebe Romana, non admodum diues medico daret annuo tẽpore, quiſq; intelligit tantula mercede ſingulis annis medicos illos à Romanis principibus, qui affluebant diuitijs, conductos non fuiſſe. ſed de his ſatis. Interdum ſcriptores contra ſeſtertiûm ſiue nummûm ſolent omittere. Tranquillus quidem in multis locis: in Cæſare. Promiſſumq́ ius annulorum cum millibus CCCC. diſtulit. in Tiberio. Rudiarijs quoq; quibuſdam reuocatis, autoramento centum millium. in Nerone. Funeratus eſt impenſa ducentorum millium. Tacitus annalium libro quarto. Cautumq́ in poſterum ſenatuſconſulto ne quis gladiatorum munus ederet, cui minor quadringentorum millium res. Quin interdum ſcriptores nõ modo ſeſtertium, ſed etiam millia omittunt. Tranquillus in Veſpaſiano. Primus è fiſco Latinis Græcisq́ rhetoribus annua centena conſtituit. Item poetæ. Martialis lib. V. Epig. ad Tongilianum

Empta domus fuerat tibi Tongiliane ducentis
Abſtulit hanc nimium caſus in urbe frequens.

Iuuenalis ſatyra. I.

Sed quinq; tabernæ
Quadringenta parant.

Si poſtremo aduerbiũ numerale iungitur cũ ſeſtertijs, ſignificat tot centena millia. quam loquẽdi rationem totam Gulielmus Budęus primus magnifice explicauit. cuius uiri cum primis diligẽtis & docti hoc in loco inuentis, atq; etiam proprijs, uſus, de omnibus eius rationis partibus planius & apertius dicam. Decies ſeſtertium ſignificat decies centena millia ſeſtertiũ: atq; etiam interdum decies ſeparatim. de quare Plutarchus nos docet his uerbis, quæ ſunt in Antonio. τῶν φίλων τινὶ μυριάδας ἐκέλευσε πέντε καὶ εἴκοσι δοθῆναι. οὕτω ῥωμαῖοι δεκίσεις καλοῦσι. Ait Romanos quinq; & uiginti myriadas drachmarum decies nominare. etenim ſeſtertium decies centena millia efficiunt denariorum

ducen

ducenta quinquaginta millia: siue denariorum, quos drachmas uertit Plutarchus, quinq; & uiginti myriadas, ut mos est Græcis loquendi. Iterum autem, ut res illustrior fiat, tam integræ quàm concisæ loquendi rationis exempla ponam. Cicero lib. III. in Verrem. Possum deinceps totam rem explanare. deinde ad extremum id, quod accidit, dicere. Dionem H-S decies centena millia numerasse. hæc locutio est integra. De eadem re Cicero lib. IIII. in Verrem sic scribit. Hic est Dio, iudices, nunc beneficio Q. Metelli ciuis Romanus factus, de quo multis uiris primarijs testibus, multorum que tabulis nobis priore actione satisfactum est, H-S decies numeratum esse, ut eam causam, in qua ne tenuissima quidem dubitatio posset esse, isto cognoscente obtineret. propterea greges nobilissimarū equarum abactos: argenti uestisq; stragulæ domi quod fuerit, esse direptū. ita H-S undecies Q. Dionem, quod hæreditas ei obuenisset, nullam aliam ob causam perdidisse. Atque hæ duæ locutiones sunt concisæ. Eodem modo apud Martialem lib. Epig. primo est integra locutio, deinde magis etiam concisa.

Si dederint superi decies mihi millia centum
Dicebas nondum Scæuola factus eques.
Qualiter ó uiuam, quam large quamq; beate,
Riserunt faciles & tribuere dei.
In ius ò fallax atq; inficiator eamus
Aut uiue, aut decies Scæuola redde deis.

Alij autem scriptores sestertiūm plerunq; in posteriori loco ponūt, cum Cicero id in priori soleat collocare. Plinius lib. IX. cap. XXXV. Lolliam Paulinam, quæ fuit Caij principis matrona, ne serio quidem ac solenni ceremoniarū aliquo apparatu, sed mediocrium etiam sponsalium cœna, uidi smaragdis margaritisq; opertam, alterno textu fulgētibus, toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo, manibus digitisq;, quę summa quadringenties H-S colligebat: ipsam confestim paratam nuncupationem tabulis probare. Nec dona prodigi principis fuerāt, sed auitæ opes, prouinciarum scilicet spolijs partæ. Hic est rapinarum exitus: hoc fuit quare M. Lollius infamatus regum muneribus in toto oriente, interdicta amicitia à Caio Cæsare Augusti filio, uenenum biberet, ut neptis eius CCCC. H-S operta spectaretur ad lucernas. Tranquillus in Augusto. Ædes sacras uetustate collapsas, aut incendio absumptas refecit: easq; & cæteras opulētissimis donis adornauit, utpote qui in cellam Capitolini Iouis XVI. millia pondo auri, gemmasq; ac margaritas quigenties H-S una donatione contulerit. Tacitus annalium lib. I. Propertio Celeri prætorio, ueniam ordinis ob paupertatē petenti, decies H-S largitus est. Quin non poetas solum, sed etiam eos, quorum oratio soluta est, decies sine appositione sestertium usos fuisse ex Plutarchi loco supra cōmemorato intelligimus: & ex Asco-

nio

nio Pediano, qui sic scribit. Luscius notus centurio Syllanus diues è uictoria factus. nam amplius centies possederat. Poetæ autẽ duobus modis integram locutionẽ, quam dixi esse, sestertiûm decies centena millia, concidunt. quorum altero circumcidunt eam resecantes sestertiûm & millia: altero etiam centena amputant, atq; illo modo dicunt, decies centena: hoc, decies, priore loquendi ratione utitur Horatius in primo sermonum lib. satyra III.

decies centena dedisses

Huic parco, paucis contento, quinq; diebus

Nil erat in loculis.

Iuuenalis satyra X.

Et ritu decies centena dabuntur

Antiquo.

Martialis etiam in lib. II. Epig. ad Saleranum

Illa illa diues mortua est Secundilla

Centena decies quæ tibi dedit dotis

Alteram loquendi rationem idem Martialis usurpat aliquoties, uerbi causa lib. Epig. ad Calenum.

Non plenum modo uicies habebas

Sed tam prodigus atq; liberalis

Et tam lautus eras Calene, ut omnes

Optarent tibi centies amici.

Sestertiûm autem copulatum cum aduerbijs scriptores nullo alio casu efferunt, sed his duobus cõiunctis utuntur ut aliquo neutrius generis nomine immutabili. sic Cicero lib. IIII. in Verrẽ scribit: ut etiam commemoraui supra. De quo multis uiris primarijs testibus, multorumq; tabulis, uobis priore actione satisfactum est, H-S decies numeratum esse. Sic Tranquillus in Tiberio. Publice munificentiam bis omnino exhibuit, proposito millies H-S gratuito in triennij tempus: & rursus quibusdam dominis insularum, quæ in monte Cœlio deflagrarant, precio restituto. Tacitus annalium lib. XX. Actum in senatu ut sexcenties H-S à priuatis mutuum acciperet. Et lib. III. M. Piso exuta dignitate & accepto quinquagies H-S in decem annos relegatur.

Sed librarij huius etiam loquendi rationis ignari iterum autorum scripta, ut à me Budæus de hac re dissideat, deprauarunt. in locũ enim sestertium hic substituerunt sestertio. Similiter ubi idem Tacitus annalium lib. XX. inquit. Cum ex funere reip. ruptis consularibus spolijs, septuagies H-S. ipsi scripserunt sestertio. Quorum librariorũ errore ductus Budæus sic legit illud Plinij De Lollia Paulina. ut neptis eius quadringenties sestertio operta spectaretur. Pari modo ubi est apud Tacitum lib. II. Et Cæsar quamuis posthabitam decies H-S dote solatus est. ijdem librarij scripserũt decies sestertij. H-S autem mille apud

Tran

Tranquillum in Cæsare idem est quod H-S decies apud Ciceronem lib. IIII. in Verrem. Et H-S mille ducenta apud Plinium lib. XXXVI. cap. V. idem est quod duodecies H-S apud Tranquillum in Cæsare. Minime uero mirum nobis debet uideri scriptores utranq; rationem usurpasse in diuersis locis, cum apud Ciceronem in unius locutionis contextu utraq; coniuncta sit, ut lib. III. in Verrem. Et quod plus frumenti fecit accepisse istum H-S decies & octingenta millia. quod tu homo castissimus aliud in tabulis habebas. Et in eodem libro. Accepi, inquit, uicies ducenta triginta quinq; millia, quadringentos sedecim nūmos. dedi stipendio, frumento, legatis, proquæstoribus, cohorti prætoriæ H-S mille sexcenta triginta quinq; millia, quadringentos sedecim nummos. reliqui Arimini H-S sexcenta millia. Sed de Romanorum nummis satis. Nummuli uero eorundem, ut dixi, fuerunt, libella, sembella, teruncius. Libella utitur Plautus in Captiuis.

At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis. Et Cicero libro quarto in Verrem. Ecquis Volcatio, si sua sponte uenisset, uitam libellam dedisset? Sembellam autem usurpat Volusius Metianus in distributione denarij & sestertij. Teruncio usus est M. Tullius Cicero libro III. de finibus bonorum & malorum. Vt enim obscuratur & offunditur luce solis lumen lucernæ: & ut interit magnitudine maris Ægæi stilla muriæ: & ut in diuitijs Crœsi teruncij accessio: & gradus unus in ea uia, quæ est hinc in Indiam: sic cum sit is bonorū finis, quem Stoici dicunt, omnis ista rerum in corpore harum æstimatio, splendore uirtutis & magnitudine obscuretur & obruatur atq; intereat necesse est.

Hactenus de nummis & nummulis Romanis. sequuntur nummi argētei externi, quorum primus à Xenophonte siglus: alter à Iosepho siclus, ab Hebræis uero sicel nominatur. tertius est Hebræorum siclus uulgaris: quartus eorundem obolus gera dictus: quintus danaces: sextus danicum. differunt autē primi duo pondere. ut nomine non differre uideantur. nā siglus, qui erat nummus Sardianus & Persicus ualebat obolos Atticos septem & dimidiū. siclus uero, qui erat nummus Hebraicus, quatuor & uiginti. De siglo scribit Xenophon lib. primo De Cyri ascensu ad Babylonem. Siglus autem ualet Atticos obolos septem & dimidium. Sed Hesychius eum nummum octo obolos Atticos ualere dicit. scribit enim. Siglus numisma Persicum ualens octo obolos Atticos. Et paulo post. Est uero nummus Sardianicus ualens octo obolos Atticos. At siclus Hebraicus pendit quatuor drachmas Atticas. scribit enim Iosephus Iudaicarum antiquitatum lib. III. cap. X. Siclus autem numisma Hebręorum capit quatuor drachmas Atticas. quatuor igitur & uiginti, ut dixi, pendit obolos Atticos. Idē sentit diuus Hieronymus III. cōmentariorum in Ezechielem. Siclus, inquit, stater est, hoc est drachmę quatuor. Atq; siclum ipse cōuertit staterem

lib. I. regum cap. IX. & in alijs quibuſdam locis. Matthæus etiam euangeliſta, uel is qui eum de Hebraicis expreſsit, cap. XVII. in ſicli locum ſubſtituit ſtaterẽ. LXX. uero interpretes ſicel cap. XXXVIII. libri egreſſus ex Ægypto & lib. II. regum cap. XXI. reddunt ſiclum, numerorum autem cap. III. modo ſiclum, modo didrachmum: ut ex eorum ſententia ſiclus etiam ſanctuarij duarum fuerit drachmarum. Verum is fuit quatuor drachmarum, ut uulgaris duarum. ſi modo fuit alterius dimidium, quod affirmat magiſter Salomo ſacrarum literarum interpres. nam etiam talentum ſanctuarij duplam habuit proportionem ad uulgare. itaq; alter argenteus nummus Hebraicus eſt ſiclus uulgaris. Sed ſacræ literæ ſiclum ſanctuarij interdum בֶּקַע id eſt argenteum nominant, ut in libro ortus mundi cap. XX. ad Saram dixit Abimelech. חִבַּת בַּתְּתִי אֶלֶף בֶּקַע לְאָחִיךְ etenim LXX δίδραχμα reddunt, quo modo etiam ſiclos ſanctuarij, ut iam dixi, ſolent reddere. ἰδοὺ inquiunt, δίδραχμα χίλια δίδραχμα τῷ ἀδελφῷ σου. Similiter ubi libro II. regum cap. XVIII. Ioabus dixit. וְעַלִּי לְהַחַת לְךָ עֲשָׂרָה בֶּקַע Ioſephus Iudaicarũ antiquitatum lib. VII. cap. IX. uertit ſiclos. δόξαι τισὶ δὲ τῶν δεκαβίδου στρατιωτῶν ἐδήλωσεν ἰωαβῳ ὡς πεντήκοντα σίκλους ἂν αὐτῷ δεδοκέναι τὸ στρατηγὸν φήσαντα εἰβαλὼν ἀπέκτεινε γὰρ ἀβεσαλωμον. Verum Ioſephus, ut etiam LXX. interpretes, de numero argenteorum diſſentit ab Hebræis. nam Ioabum quinquaginta daturum fuiſſe dicit. Hebrei, quos diuus Hieronymus ſequitur, decẽ: ut Ioſephus & LXX. legerint חֲמִישִׁים בֶּקַע quanquam idem Ioſephus libro IX. cap. II. cũ uertit uerba quæ ſunt lib. IIII. Regum cap. VI. בֶּקַע reddit ἀργυρῶν Hebraica ſunt וַיְהִי רָעָב גָּדוֹל בְּשֹׁמְרוֹן וְהִנֵּה צָרִים עָלֶיהָ עַד הֱיוֹת רֹאשׁ חֲמוֹר בְּשִׁמֹנִים בֶּקַע וּרְבַע הַקַּב חִרְיוֹנִים בַּחֲמִשִּׁים בֶּקַע Ioſephi uero uerba ſunt hæc de eadem fame, quæ tum erat in Samaria. ὡς δὲ τὸν ὄνον βολοῦ τὴν ἀνδρείας ἐν τῇ σαμαρίᾳ πραθῆναι ὀγδοήκοντα μνᾶς ἀργυρῶν κεφαλὴν ὄνου, ὥστε δ' ἀργυρῶν ξέστου κόπρου ὡρισμένων αὐτὶ ἀλῶν ὠνεῖσθαι τοὺς ἰβραίους. Itaque cum Ioſephus argenteũ putet idem ſignificare quod ſiclum, & ſiclum pendere quatuor drachmas Atticas ſcribat, totidem pendit argẽteus. Tertius autem Hebræorum argenteus nummus eſt גֵּרָה quem LXX. interpretes reddunt ὀβολὸν. quos ſequitur diuus Hieronymus, qui etiam ipſe obolum conuertit: eorum uiginti efficiunt ſiclum, ut multis in locis ſcriptura teſtatur. Is igitur obolus Hebraicus quinta parte grauior fuit quàm Atticus. etenim ſex oboli Attici efficiunt drachmam, quinq; uero Hebraici. nam ſiclus qui eſt uiginti obolorum Hebraicorum, pondus habet quatuor drachmarum Atticarum. At danaces, de quo Heraclidem quidam ait ſcripſiſſe in libro ſecundo rerum Perſicarum, nummus eſt barbarus. quem iſti in os mortuorum imponebant, ut pro uectura ſoluere poſſent Charonti. atq; ſic nummum funebrem appellauit Callimachus & Plutarchus. Ariſtophanes uero & Lucianus

nus obolos mortuis datos fuisse dicunt, Iuuenalis trientem: ut mos ille fuerit Græcis, hic Romanis. quia uero triens erat æreus nummus Propertius canit

Vota mouent superos, ubi portitor æra recepit.

Sed danicum in magna Antiochia signatum fuisse Suidas autor est. quo usi sunt ad conficiẽdas negotiationes exiguas. De externis atq; adeo de ueteribus argenteis nummis satis, ad nouos uenio. qui uariant pondere. uerbi gratia nostri principes ex besse Miseno, qui eiusdẽ ponderis est, cuius Erphurdanus, signant uel octo: atq; hi sunt unciales, siue ut Græci eos nominarent τετρασάτυρα. uel sedecim, qui sunt semunciales, siue, ut Græci, τετράδραχμα. uel duo & triginta, qui sunt duarum drachmarum. quod nummorum genus uocant δίδραχμα. uel duos & quinquaginta, quorum quilibet pendit drachmam & ferè quintã drachmæ partem. eos nostri ex effigie angeli, quam exprimũt, nominant angelicos, aut ex loco, in quo primo sunt percusi, Srechenbergios. uel octo & octingenta. quorum quilibet pendit ferè tres drachmæ quartas: atq; hi ex tributo nomen inuenerunt. uel centũ & quinque. quorum quisq; pendit dimidiam drachmam & paulo amplius q̃ quintam eius partem. hos quia dimidio ualent, dimidios argenteos nominãt. uel CCIII. hos nobis liceat uocare quadrantes, quod singuli ternis ualeant nummulis, quorum duodecim uno duodenario æstimentur. uel DXCII. quorum nummulorũ nouem & quarta unius pars pendunt drachmam. quos duplos uel maiusculos appellabimus, si quis teruncios dixerit, nõ errabit. nam teruncios ualent ut eiusdem ponderis & temperaturæ non sint. uel DCCC. quorum nummulorũ minimorum XII. pendunt drachmam unam. eos simplos uel minusculos nominabimus. ita se habet pondus argenteorum nummorum & nummulorum quos duces Saxonum percutiunt. ad quos nunc plura Germanicorum nummorum genera adiiciam, ut cum de precio ueterum monetarum dixero, plures eam explicãdi rationem intelligere possint. quæ, qui propterea noluerint legere, quod ea ipsis parum prodesse possint, prætereant, & ad alia, quæ scribo, cõuertant cogitationem. Superioribus annis Slicones comites in ualle Ioachimica æque ac Saxonũ duces in Misena ex besse Erphurdano signarunt octo nummos unciales, sedecim semunciales, duo & triginta didrachma. eiusdẽ ponderis nummos his temporibus percutit Ferdinandus rex. Sunt præterea quarti generis nummi Boemici antiqui, quorum sex & octoginta ex besse signantur. eorum quisq; pendit duo scripula & paulo plus quàm duas scripuli tertias. at nũmuli Boemici sunt duplices: albi, quorum DCXVI. cõficiuntur ex besse: nigri, quorum DCLX. Iam nummi argentei quos percutiunt duces Boioariorum, Augusta Vindelicorũ, Vlma, & non nullæ aliæ ciuitates ita se habent. Ex besse Noribergio, qui drachma

grauior est quàm Misenus, uel Erphurdanus, signant nummos uel octo unciales: uel sedecim semunciales: uel unum & quadraginta, & reliqua est tertia unius pars, hi duodecim crucigeris ualent, unde nomen eis impositum: uel duos & octoginta, & remanent duæ unius tertiæ, quorum quilibet sex crucigeris æstimatur, atq; ex eo nomen inuenit: uel tres & nonaginta, & monetarij dimidiam unius partem faciunt reliquam, qui tribus permutantur crucigeris, ex quo sunt nominati. uel deniq; CCL. qui, quod eos nota crucis percutiunt, crucigeri sunt dicti.

Eiusdem ponderis nummos argenteos percutit rex Ferdinandus in Pannonia superiori. sed utitur besse Viennensi, qui maior est Noribergio. etenim eam proportionẽ inter se habent, quam octo cum dimidio ad decem, uel quatuor & unius quarta ad quinq;. Itaq; ipse ex besse Viennensi signat crucigeros CCXCIIII. et remanet dimidia unius pars: nummos qui pro tribus ualent crucigeris CX. qui sex taxantur crucigeris, XCVII. & dimidia insuper unius pars est reliqua: qui duodecim, XLVIII. & præterea tres unius quartas facit reliquas: semũciales XVIII & paulo plus quam tres unius quartas: unciales nouem, & paulo plus quam quartam unã & dimidiam. Iam nũmi argentei quos percutiunt episcopi Rhenani, qui usurpant bessẽ Agrippinensem, siue Erphurdanũ, nam eiusdem ponderis est, sic se habẽt. ut aũt omittã unciales & semũciales, quos multis in locis hodie in Germania cudũt, Agrippinenses ex besse cõficiũt CCIX. quos dimidios albos dicũt: Treueri CCVIII. quos albos rotatos propter insignia nuncupant: Moguntini CXVIII. quos albos appellant. Iam Noriberga ex suo besse signat argenteos nummos CLXXX. qui quinq; ualent nummulos. similiter princeps Francorum & episcopus Babergensis ac princeps Palatinus. sed idem princeps ex besse conficit XC. qui decem nummulis æstimantur. at episcopus Vircebergensis CII. quos solidos nominat. Hactenus de argenteis nummis, nunc de æreis dicam. Athenis Calliæ temporibus æreos nummos fuisse percussos memoriæ proditum est. atq; eorum etiam mentionem facit Aristophanes in Concionantibus & Eubulus in Amphibolo. alter enim inquit.

μεστὴν ἀπῆρα τὴν γνάθον χαλκῶν ἔχων. id est.

uuas cum uenderem
Abij gerens maxillam nummis æreis
Plenam.

Alter,

πρῶτον μὲν αὐτοὺς παραβάλλων τοῦ χαλκίου
τὸν ἰὸν ἐκ τῆς χειρὸς ἐξεσπόγγισεν· id est.

Primum quidem nummos deijciens æreos
Æruginem absterſit, manum qua tinxerat.

Sed eiusmodi nummorum pondus nemo explicauit. Nec etiam Vi

truuius

truuius eos Græcos quos obolos æreos ſignaſſe aſſerit,& eorum quadrantes,qui Græce δίχαλκα dicuntur,nominauit. At Romani magis quàm Græci uſurparunt æream monetam. hinc locus ubi publicæ pecuniæ ſeruabantur ærarium dictum, nõ argentarium,aut aurarium, ut autor eſt Macrobius in Saturnalibus, quod ærarium populus Romanus in æde Saturni habuit. hinc etiam tribuni ærarij apud Ciceronem lib.I.epiſt.ad Atticum:à tribuendo ære,inquit Feſtus Pompeius, dicti. hinc quæſtores ærarij apud Cornelium Tacitum lib.XIII. qui in antiquis quibuſdã inſcriptionibus nominantur quæſtores ab ærario. hinc denicq; ſcribæ ærarij apud Ciceronem pro Cluentio. Nummi autem ærei fuerunt dupondius,as, ſemis,triens,quadrans,ſextula,& tartaſis aliæ quædam aſsis partes.nam omnes non uidentur fuiſſe. Dupondius quidẽ erat duarum librarũ.quod his uerbis declarat M. Varro.Dupondius à duobus ponderibus, quod unum pondus aſsipondium diceretur, id ideo quod as erat libræ pondus. Sed as nomen ab ære ductum, ut Varro ſcribit. quo etiam uſus eſt M. Cicero libro ſecundo De officijs. Ne M. quidem,inquit, Seio uitio datum eſt,quod in caritate annonæ aſſe modium populo dedit. As autem primo percuſſus eſt libralis,deinde ſextantario pondere,tũ uncialis,poſtremo ſemuncialis.ſcribit enim Plinius lib.XXXIII.cap. III. Libralis,unde etiã nunc libella dicitur,& dupondius appendebatur aſsis. Et paulo poſt. Libræ autem pondus æris imminutũ bello Punico primo cum impenſis reſp.non ſufficeret: conſtitutumq; ut aſſes ſextantario pondere ferirentur.ita quinq; partes factæ lucri,diſſolutumq; æs alienum.Deinde ſcribit.Poſtea Annibale urgẽte Q. Fabio Maximo dictatore aſſes unciales facti.placuitq; denarium ſedecim aſsibus permutari,quinarium octonis, ſeſtertium quaternis.ita reſp. dimidium lucrata eſt.in militari tamẽ ſtipendio ſemper denarius pro decem aſsibus datus. Poſtea ait. Mox lege Papyriana ſemunciales aſſes facti. Semis uero dimidium ut dixi,eſt aſsis, quod uocabulum uſurpat P. Vatinius cum Ciceroni ſic ſcribit.Simius non ſemiſsis homo contra me arma tulit,& eum bello cepi. Sed trientem & quadrantem fuiſſe nummos æreos ex Plinij uerbis percipitur.Nota,inquit,æris fuit ex altera parte Ianus geminus, ex altera roſtrũ nauis.in triente uero & quadrante rates. quadrans antea triuncis uocatus à tribus uncijs. De ſextula uero ſcribit Varro. Æris minima pars ſextula,quod ſexta pars unciæ.At reliquis aſsis partibus, de quibus ſcripſi in quarto libro de menſuris & ponderibus, ut omnes nõ fuerint nummi, Romani uſi ſunt cum uel res ponderarent, uel hæreditatem ac alias quaſdam res diuiderent. Verum à tribus aſsibus,inquit M. Varro, treſsis. & ſic proportione uſq; ad nonuſsis. In denario numero hoc mutat quod primũ eſt ab decem aſsibus decuſſis:ſecundum à duobus decuſsibus uiceſsis, quod dici ſolet à duobus

biceſsis. reliqua conueniunt, quod eſt ut triceſsis proportione uſque ad centuſsis. quo maius æris uocabulum non eſt. Æreorum autem nummûm uocabulis ijdem Romani homines contemptos & abiectos nominant. ut Perſius, Damam treſsis agaſonem: P. Vatinius, Simium non ſemiſsis hominem: Cæcilius, ſcortum Clytemneſtram, item Cicero Clodiam quadrantariam. ſicuti Pacuuius meretrices diobolarias, & item Plautus in Pœnulo, uterque Græcos imitatus, ſcorta diobolaria. & apud eundem in eadem comœdia Agoraſtocles dicit.

Non ego homo trioboli ſum.

Veteres etiam iuriſconſulti in ſua profeſsione tyrones ac rudes, dupondios appellarunt. ſed Iuſtinianus in præfatione Pandectarum noluit adoleſcentes legum ſtudioſos ueteri, non minus ridiculo quàm frî uolo cognomine nuncupari dupondios, ſed Iuſtinianos nouo. Quin etiam ex ære factum eſt ęruſcare uetus uerbum ſignificans ęra undicp, id eſt pecunias colligere. quod Feſtus tradit. unde apud Gellium lib. XIIII. cap. I. Phauorinus dicit diſciplinam Chaldęorum cõmentos eſſe homines æruſcatores, & cibum, quæſtumcp ex mendacijs captantes. Vt uero ueteres Romani decies ſeſtertiûm dixerũt decies centena millia ſeſtertiûm, ita decies æris, decies centena millia æris, quomodo ſcribit Liuius lib. XXIIII. Conſules ex ſenatuſconſulto edixerunt ut qui L. Æmylio, C. Flaminio cenſoribus, millibus æris quinquaginta ipſe, aut pater eius cenſus fuiſſet, uſcp ad centũ millia: aut cui poſtea res tanta eſſet facta, nautam unum cum ſex menſium ſtipendio daret. qui ſupra centum millia uſcp ad trecenta millia, tres nautas cum ſtipendio annuo. qui ſupra trecenta millia uſcp ad decies æris, quincp nautas. qui ſupra decies, ſeptem. ſenatores octo nautas cũ annuo ſtipendio darent.

De externis autem nummis æreis nihil in ſcriptis relictum eſt. nos eos omnino non abdicauimus. etenim rotundis utuntur Flandri: atcp etiam Itali, maxime uero Veneti, qui eos à naulo ſoluendo pagatinos appellant: quadrati autem Suionibus in uſu ſunt. Quin ueteres orî chalceis nummis uſos fuiſſe hoc Plautinũ in Milite uidetur indicare. Credo treis mihi homines orichalco ita emptos iſtis moribus. Hodie ſoli ratiocinatores nummos orichalceos partim ſignatos, partim non ſignatos uſurpant. Syracuſanos autem quondam Dionyſius Tyrannus, ut autor eſt Iulius Pollux, coegit ex plumbo candido ſignare nummos, quibus uterentur pro argenteis. Plumbeos etiam nummos fuiſſe ueteribus indicat hoc Plauti in Caſina,

Cui homini hodie peculi nummus non eſt plumbeus.

Et illud in Trinummo.

Nummum nunquam credam plumbeum.

Ac uero etiã Martialis iſte uerſus, qui eſt in decimo Epig. ad Romã

Centum

Centum merebor plumbeos die toto.

Sed hi plumbei nummi utrum fuerint adulterini an ueri, obscurum sanè & incertū est. etenim apud Plautum in Mostellaria Tranio Danistam carpit quod plumbeos nummos percutere soleret.

Tace sis faber, qui cudere soles plumbeos nummos.

Hodie tamen Angli nūmis plumbeis utuntur: atq; etiam Nigritæ ex plumbo candido signant nummos, quos maiulias nominant: similiter habitatores insulæ Taprobanes. At soli ex omnibus Græcis Lacedæmones usi sunt ferreo nummo, qui erat decem minarum. cuius rei autor est Xenophon. Sed ut Laconicus ferreus nummus fuit grandis, ita Byzantius minutus. quod tradit Pollux. de eodem mentionem facit Aristophanes in Nubibus: & Plato scribit ad Pisandrum: Incommode habitaremus Byzātij, ubi ferreis nummis utuntur. Nec tantum è metallis conficiuntur nummi, sed etiam ex corio, ex cortice, ex sale. Fridericus secundus cum bellum acerbum diuturnumq; gereret cum Italis, & urbem Victoriam conderet, atq; eum deficerent pecuniæ, ut militibus stipendium numerare posset, è corio nummos signauit sua imagine in eis impressa. quorum singuli ualebant aureo nummo. eos posteaquam pecuniam confecisset, illum cum aureis cōmutasse annales tradunt. istius generis nummum diuus Hieronymus scorteum nominauit. Ex cortice uero mori, ut quidam perhibent, ut alij ex papyro, regijs insignibus impressis signat nummū rex Scytharum, quem magnum Chamum uocant. pro quo nummo, ad regiam relato, siue nonnihil perierit uetustate, siue cum iter habent aquis madefactus uitium fecerit, datur recens. Ex sale autem signant nummos incolæ regionis Caniclæ. cuius rex, ut M. Paulus Venetus scribit, paret regi Scytharum. salem quidem coctum in formas infundūt & massulas efficiunt, quibus ita signatis pro nūmulis utuntur. Quin eiusdem regionis habitatores pro aureis nūmis utuntur uirgulis aureis, quibus est certum quoddam & definitum pondus. at incolæ Caraiæ pro nūmis quibuscuis utuntur aureis & albis lapillis, in mari repertis: Tebetini, corallio.

Sed de pondere monetarum atq; adeo de rebus, quibus gentes pro monetis utuntur, satis: nunc anteaquam de temperatura earundem dicam, diuersi ponderis talenta exponam, itemq; minas. etsi uero hæc non numismata, sed pondera sunt, tamen quia scriptores eis non raro summam quandam rei nummariæ solent explicare, necesse habemus etiam ipsa in medio ponere. Itaq; Athenienſium, ut ab erudita illa ciuitate ordiar, fuit duplex talentum: maius LXXX. minarum: minus LX. de quibus uberius ac fusius disputaui in quinto libro De mensuris & ponderibus. de maiori loquitur Virg. in IX. Æneidos.

Et tripodas geminos, auri duo magna talenta.

Et Liuius in lib. XXXVIII. Argenti probi duodecim millia Attica

talenta dato intra duodecim annos penſionibus æquis. talentū ne minus pondo octoginta Romanis ponderibus pendat. De minori uero loquitur Iulius Pollux, cuius uerba poſtea ſubſcribam, & Sext. Pompeius Feſtus cum ſcribit. Talentorum non unum genus. Atticum eſt ſex millium denariûm, drachmas autem more reliquorum ſcriptorum uertit: quanquam legitimi eiuſdem ponderis non fuerint, ut alias dixi. Maius igitur talentum Atticum eſt $\overline{\text{VIII}}$ drachmarū Atticarum: minus $\overline{\text{VI}}$. Sed talentum Æginæum fuit $\overline{\text{X}}$. drachmarum Atticarum: $\overline{\text{VI}}$ uero drachmarum Æginæarum. etenim decem drachmæ Atticæ ualebāt ſex drachmas Æginæas, quod ex Iulio Polluce percipitur, qui ſcribit drachmam Æginæam decem obolos Atticos ualere. Euboicum autem talentum fuiſſe quadraginta minarum, $\overline{\text{IIII}}$. uero drachmarum Atticarum: $\overline{\text{VIID}}$. nummûm ciſtophorûm, ex Feſto intelligimus qui ſcribit lib. v. Euboicum talentum nummo Græco ſeptem millium & quingentorū ciſtophorûm eſt: noſtro quatuor millium denariorum. Ex Herodoto aūt uidetur percipi poſſe id uel eiuſdem ponderis fuiſſe cuius Atticum minus, uel quinquaginta ſex minas ac fermè ad duas minæ tertias pependiſſe. nam numeri mendum continent. de qua re in cōmentarijs noſtris diſſeremus. Rhodium uero fuit $\overline{\text{IIIID}}$. drachmarum, ſcribit enim idem, Rhodium & ciſtophorûm quatuor millium & quingentorum denariûm. At Siculum uetus fuit quatuor & uiginti minarum: nouum, duodecim. cuius rei Suidas autor eſt. Atq; ita ſe habent talenta Græcorum. Ægyptium autem pendit libras LXXX. quod in naturali hiſtoria ſcriptum reliquit Plinius. cuius uerba ſunt. Iam Cyrus deuicta Aſia pondo XXXIIII. millia inuenerat: præter uaſa aurea aurumq; factum, & in eo folia platani, uitemq;. qua uictoria argenti quingenta millia talentorum reportauit, & craterem Semiramidis. cuius pondus quindecim talenta colligebat. talentum autem Ægyptium pondo LXXX. pendere Varro tradit. Talentū uero Babylonium fuit ſeptem milliū drachmarū Atticarum: Syrium mille et quingentarum, utriuſq; rei autor eſt Iulius Pollux. Suſcepit autem Græcorum conſuetudo ut tres aurei Attici dicerentur auri talentum: quemadmodū Miſenorum ut quatuor argentei, quibus tributum ſoluimus, dicantur argenti bes, quem noſtri marcam nominant. cum ſi pondus ſpectes Atticum talentum pendat aureorum Atticorum tria millia: noſter bes argenteorum, quibus tributa ſoluimus, octo & octoginta. Quod autem Homeri temporibus talentum parum ualebat, diſcere poteris, ſcribit Pollux, ex curſu equorum. in quo præmiū certaminis tertio eſt lebes: quarto, duo auri talenta. Eodem modo uidentur eſſe accipienda talenta de quibus Feſtus ita ſcribit. Alexandrinum eſt duodecim denariûm: Neapolitanum, ſex denariûm: Syracuſanum, trium denariûm: Rheginum, uictoriati. Nunc de minis dicam, quarum Attica iterum

duplex

duplex est, uetus & noua Solonis. illa LXXV. drachmarum, hæc C. ut libro quinto De mensuris & ponderibus explicaui. Euboica uero mina æque ac Solonis C. fuit drachmarum. quod ex Polluce & Herodoto potest intelligi. etenim Babylonium talentum, ut Pollux scribit, ualet septem millibus drachmarum Atticarum, quæ efficiunt LXX. minas Atticas. Euboicis autem minis totidem ualere idem Babylonium talentum in Thalia scriptum reliquit Herodotus. Alias præterea quasdã minas in libris De mensuris & ponderibus exposui, quibus an rem nummariam ueteres explicarint, nec ne, certo scire non possumus.

De his satis: nunc de monetarum temperaturis dicam. Cum monetæ aureæ tam ueteres quàm nouæ partim sint puræ, partim mistæ, ut cõstet de pondere, si harum temperaturas non habuerimus cognitas, nec cuius precij fuerint, aut sint, certo possumus scire. ueterum autem monetarum, quæ non extant, & de quarum temperatione non est memoriæ proditum, misturas perspectas habere non possumus. earũ uero quæ extant, seu ueteres seu nouæ fuerint, temperaturas perito ad usum ac artem huius rei, licebit explorare: siue ipsi uisum fuerit eas coticulis atterere: siue magis uoluerit eas in fornaculis igni excoquere: siue denique placuerit argentũ ab auro, æs ab argento, aqua illa aurificum secernere. Atque, ut rursus ordiar ab aureis, cum in omni auro insit aliqua argenti portio, ueteres non modo Græci & Romani, sed etiam externi cum ex eo nummos signare uellent, si ipsi legitima portio naturaliter insita non esset, deficientem uidentur suppleſſe, excoxisse redundantem. Darius uero rex Persarum, ut Herodotus scribit, quoad fieri potuit, omnem excoxit. itaque aurei Darici longe omnibus præstant. quinetiã ut Aurelianus imperator uetus pondus restituit aureis nummis, ita qui ei successit Tacitus puros aureos percussit. nam senatum iussit prouidere ne quis auro misceret argentum, argento æs, ęri plumbum. At in aureis Atticis aliquando inerat ut minimum quinta uilioris metalli pars, quod ex Crate comico Athenienſe, qui scripsit semissextam aurei partẽ octo obolos esse, uidetur percipi posse. quia enim octo oboli sunt dimidia sextæ pars, sedecim sunt ipsa sexta. sex ergo et nonaginta, integer aureus. tot uero oboli sedecim drachmas efficiũt. quoniam autem aureus Athenienſium fuit duarum drachmarũ, sequitur ut ęris quinta in eo fuerit portio. nam si ex auro puro fuisset, ualuisset ut Daricus drachmas uiginti. æs uero cum auro permiscuisse Athenienses significat Aristophanes. Sed quia Harpocratio & Aristophanis interpres scribunt stateres Daricos ualere aureos Atticos, intelligimus in eis aliquando ut in alijs aureis Græcis, qui extant, & item externis ferè fuisse quinquagesimam argenti portionem. Græcos dico eos quos percussit Philippus, Alexãder, Demetrius: externos, quos Prusias, Mithridates, & alij reges. Ad quorum bonitatem proxime accedunt

dunt aurei Romani quos signarunt cõsules & imperatores à Iulio Cæsare usq; ad Vespasianum. etenim ferè in se continent octauam & quadragesimam argenti portionem. reliquorum uero imperatorum nonnullorum quartam & uicesimam. sic etiam in Græcis & externis, qui non extant, arbitror fuisse discrimen. Aurei autem nummi, qui his nostris percutiuntur temporibus, ita se habent. Vngarici, Hispani, Turci ci, ducati Veneti signantur ex auri besse Noribergio, in quo insunt argenti sex binæ siliquæ, ut nostri monetarij partiuntur, id est sextula. quæ quia est octaua & quadragesima pars, illi eandem, quam optimi ueteres aurei Romani, habent temperaturam. Ducati uero Romani, Bononienses, Lucenses, Mediolanenses formantur ex besse, in quo insunt argẽti tria scripula, id est secunda & tricesima pars. Sed coronati Francici & Burgundici fiunt ex besse, in quo insunt argẽti tres sextulæ, hoc est decima sexta portio. At coronati Italici ex besse signantur, in quo insunt argenti quinq; sextulæ. quæ est nona pars, & tres nonæ partis quintæ. aliqui tamen aliquanto minus argenti in se continent: sed qui minimum quatuor sextulas id est duodecimã partem. Postremo Rhenani signantur ex besse, in quo insunt argenti sex binæ sextulæ, id est quarta pars. itaq; id genus aurei albescũt. Sed magis ex auro argentoso constant Philippei Brabantini & Vilhelmei Holãdici. nam conficiuntur ex auri besse, in quo insunt quindecim auri binæ sextulæ, nouem argenti. At argentei nummi ueterum etiam uariant temperatura. Aryandici uero ex argento purissimo fuerunt. Aryandes em̃ ut libro primo dixi, omne plumbum, quoad fieri potuit, excoxit. excoqui autem potest ut in argenti besse resideat tantummodo una plumbi drachma, in libra, drachma cum dimidia. nam non raro damnum facit argentum si is, qui ipsum perpurgat, pergit ultra excoquere. In uetustissimis Græcorum nummis argenteis, qui extant, ut in aureis, ferè inest etiã quinquagesima metalli uilioris portio. item in externis: Romani uero nummi argentei quos percusserunt cõsules & imperatores usq; ad Vespasiani tempora ferè continent in se octauam & quadragesimam uilioris metalli partem: quos hi, qui Vespasiano successerũt, interdum quartam & uicesimam. quanquam temporibus consulum Liuius Drusus, autore Plinio, in tribunatu plebis octauam partem æris argento miscuit: & ex imperatoribus Tacitus et fortasis alij ex puro argento signarunt denarios alioscq; nummos. & contra nonnulli cum maiori æris portione quàm ex his, de quibus iam dixi, una ulla fuerit, argentum temperarunt. At Germanorum nummi argentei partim sunt puri, partim misti. ex puro argẽto sunt tenuissimę illæ ueteres bracteæ in Misena erutæ, in quibus olores sunt impressi. similiter puri nummi sunt, qui non precij persoluendi causa, sed muneris dandi, solent percuti. hi diuorum & principum & clarorum uirorum imagines

expri

exprimunt, & uarias hiſtorias tam ſacras quàm profanas. non autem unius ponderis ſunt, ſed modo duarum unciarum, modo unciales, modo ſemunciales, modo didrachma, modo drachmæ: nunc uero minores maiores ue. nam Deſiderij Eraſmi imaginem ex argento uidi libralem. qui nūmus altera parte exprimebat Terminū cum hac inſcriptione: Nulli cedo. obolo autem leuiores ſunt qui ſpeciem gerunt diui Pauli. Verum in nummis argenteis miſtis, quibus Germani utuntur, diuerſa ineſt æris portio. etenim nummi argentei Miſenorum, qui ſuperioribus annis percuſsi ſunt, unciales, ſemunciales, didrachma conſtāt ex argenti beſſe, qui decimam ſextam æris partem tantummodo in ſe continet. itaq; id genus nummus argenteus uncialis ualet aureo Rhenano: item duo ſemunciales, atq; etiam quatuor didrachma. Angelici autem ſiue Srechenbergij ſignantur ex argenti beſſe in quo ineſt plus quàm octaua æris pars: nimirū uncia una, oboli tres, æreola duo. eorum uero ſeptem ualent pro aureo Rhenano. At nummi argentei qui ex tributo nomen inuenerunt, conficiuntur ex beſſe, qui argēti uncias tres, drachmas ſex, ſcripula duo, obolum unum, ſiliquam unam, ſiue æreola duo in ſe continet: æris autem uncias quatuor, drachmam unam, ſiliquas duas. unus uero & uiginti aureo Rhenano æſtimantur. Sed dimidij nominati ſignantur ex beſſe, in quo ſunt argēti unciæ duę drachmæ duæ, ſcripulum unum: æris autem unciæ quinq;, drachmæ quinq;, ſcripula duo. eorum duo & quadraginta precium habent aurei Rhenani. At quadrantes nuper primum ſunt percuſsi. de quibus dicam poſtea. Nummuli uero, quorum duodecim ualent nummo, qui ex tributo nomen inuenit, conficiuntur ex beſſe conflato ex argenti uncijs duabus & drachma una: atq; ex æris uncijs quinq; & drachmis ſeptem. eiuſmodi igitur bes taxatur duobus aureis Rhenanis & tertia unius parte, ac reliqui ſunt quatuor nūmuli. Similiter ſe habet alterum genus nummulorum, quorum quatuor & uiginti ualent nummo, qui ex tributo nominatur. Itaq; omnibus his nūmis ſecūdum portionem argenti, quod in eis ineſt, fere idem eſt precium. tot enim in unoquoq; genere ex argenti puri beſſe ſignantur, quot ualent paulo plus aureis Rhenanis octo & dimidio. ueruntamen minoribus nummis & nummulis aliquid de argento adimitur, ut precium monetarijs, qui ponūt pluſculum operæ in eis cudendis, perſolui poſsit. Extant præterea, etſi pauci, uetuſtiores argentei, quos maiores noſtri, cum tributa conferrent, dominis numerauerunt. etenim anno MCCCXC. Vilhelmus cognomento Cocles princeps Miſenæ & Balthaſar princeps Toringię, fuit uero Balthaſar, Vilhelmi patruus, ex beſſe qui quatuor uncias & ſemunciā argenti in ſe continerent, ſignarūt octoginta. atq; hi Vilhelmini ſunt dicti. qui uero poſtea percuſsi ſunt partim ex altero Vilhelmo iam duce Saxonum, partim ex Iudaico capite cognomen traxerūt.

Quoniam

Quoniam uero eorum uiginti aureo Rhenano permutãtur, eo modo bes argenti minoris uenit: nempe aureis Rhenanis octo. Vilhelminos uero alteros, fratres Fridericus & Vilhelmus principes Miſenæ & eorum agnatus Balthaſar princeps Toringię percuſſerũt anno MCCCC. eos qui ex Iudaico capite cognomen traxerunt, ĩjdem fratres Fridericus & Vilhelmus iã duces Saxoniæ facti ſignarũt anno MCCCCXLIIII. ĩjdem fratres eodem tempore etiam percuſſerunt nummos, quorum tres ualebant uno Vilhelmino, atq; ſexaginta aureo uno Rhenano. in eos autẽ impreſſus eſt leo cum tribus trabibus, quæ ſunt inſignia Landesbergia. eiuſmodi nummi centum pendunt beſſem, in quo ineſt argenti ſeſcuncia. qua ratione bes argenti uenit octo aureis Rhenanis et tredecim id genus nummis cum tertia unius parte. qui reſidui nummi partim numerantur monetarijs. eorum uero admodum pauci extant. ĩjdem fratres eadem nota percuſſerunt nũmulos, quorum nouem ualent Vilhelmino: centum & octo aureo Rhenano: ſeptem & triginta pendunt ſemunciã. in quibus nummulis nunc uſitatis etiam ueſtigia antiquæ probæ monetæ remanent: appellanturq; nummuli antiqui. ĩjdem denicq; principes percuſſerunt nũmulos his minores. quorum duo ualent nũmulo antiquo, decem & octo Vilhelmino, atq; hi etiam in uſu cõmuni ſunt. Sed quærat ex me quiſpiam quo modo principes Miſenæ monetam tam probam cudere potuerunt, cum emant à metallicis argẽti puri beſſem ſeptem aureis noſtratibus, & tredecim nummis, quibus tributa perſoluimus. reſpõdeo: bes Fribergius multo gratior eſt Erphurdano ſiue Miſeno. eum iam ab eo tempore, quo metalla Fribergi primum fodi cœperunt ſeptem aureis noſtratibus emunt. quocirca ſine aliquo detrimento nummos tam bonos percutere potuerunt. Sed redeo ad propoſitũ. Decimotertio poſt anno hoc eſt MCCCC LVII. iterum mutata eſt moneta & nummi argentei minoris formæ, ſed eiuſdem precij, cuius eſſent Vilhelmini, percuſi ſunt. qui etiã his temporibus reſtant, & in manibus habentur. ſed ualent nummulis maiuſculis, quos etiam duplos nominare ſoleo decem & octo. Quoniam uero finitimi principes etiam tunc uiliorem monetam cuderẽt, eamq; Toringię & Miſenæ importarent, precioſiorem uero exportarent, Erphurdani ut ſibi ſuisq; cauerent, ſanciuerunt ut eiuſmodi argentei ſinguli ualerent nummulis maiuſculis quindecim, cum antea duodecim tantum ualerent. Sed cum principibus, ut ea cautio hiſce rebus adhiberetur, non placeret anno MCCCCLXV. noui argentei, quos, cum tributa penderent, dominis darent Miſeni, percuſi ſunt. eorum autẽ unus & uiginti æſtimantur aureo Rhenano: ſed duo & uiginti tantum argenti in ſe continent, quantũ uiginti Vilhelmini, hoc eſt unciam unã.

Poſt hos argenteos nummi unciales, ſemunciales, didrachma, & reliqui, de quibus ſupra dixi, ſunt percuſi, At anno MDXXXVI rurſus

aliquid

aliquid detractum est de argento. etenim ex besse, qui argenti uncias septem & drachmam unam, scripulum unum, siliquã unam in se continet signati sunt octo unciales, sedecim semũciales, duo & triginta didrachma. qua ratione ex argenti puri besse conficiuntur octo unciales nũmi: atq; remanent sex & quinquaginta quintæ & sexagesimę unius uncialis nummi partes. semunciales autem sedecim, atq; reliquæ sunt septem & quadraginta quintæ & sexagesimę unius semũcialis partes. didrachma uero quinq; & triginta: atq; residuæ sunt nouem & uiginti quintæ & sexagesimæ unius didrachmi partes. At nummi quibus tributa persoluimus ex besse argenti puri signantur centum nonaginta tres: atq; remanẽt undecim quartę & uicesimę unius eiusmodi nummi partes. Nummi uero quorum quatuor ualent uno, quo tributa persoluimus, DCCCXI. atq; reliquę sunt quinq; sextę unius partes. Nũmuli aũt maiusculi, quorũ duodecim permutãtur uno, quo tributa persoluimus, IICCCCXXXV. & residua est dimidia unius pars. Misenæ monetæ bonitate proxima est Boemica. quam ob rem cũ duces Saxoniæ anno MCCCCXLIIII. omnes alias externas monetas à suis regionibus excluserunt, has solas non exterminarunt. attamen anno MDXXXVI. quia uilior Boemica moneta cum meliore Misenę & Toringiæ importaretur, eam omnem præter Ioachimicam regionibus prohibuerunt. Nummi autem argentei Boemici, quos antiquos nominamus, ex bessse misto signantur, qui argenti uncias tres, drachmas tres, scrupulum unum in se continet. itaq; eorum quatuor & uiginti taxãtur aureo uno nostrate: & paulo plus argenti habent, quam unus & uiginti, quibus nunc tributa persoluimus. Sed multum bonitate cedunt totidem Vilhelminis, aut ex nota capitis Iudaici nominatis. itaq; si ex integro bessse argenti puri, cum legitima æris portione permisti signanẽ tales nummi antiqui, ualent octo aureis nostratibus & reliqui sunt nouẽ eiusmodi nummi & ferè tres nummuli albi dicti. quorum septem æstimantur uno antiquo. quanquã autem duo nummuli nigri, quos Gorlicenses, sed non soli cudunt, pro uno ualent albo, tamen minoris precij sunt. etenim bes in se continet argenti unciam unam, drachmas duas, scrupula duo, siliquas duas. qua ratione ex argenti puri besse signantur tot nummuli nigri, quot ualẽt aureis nostratibus tredecim cum dimidio: & supersunt de id genus nummulis quatuor & uiginti. At Slicones abhinc annos triginta percusserunt nummos unciales & semunciales ac didrachma. in quibus tantum argenti inest, quantum in Misenis eiusdem ponderis. nunc Ferdinandus rex Boemiæ eosdem percutit ferè similes Misenis, qui nunc signantur. Sequuntur nummi quos ferire solent duces Boioariorum & aliquot liberæ Sueuorum ciuitates. quorum unciales & semunciales, & tam hi qui ualent sex crucigeris quàm qui duodecim, cõficiuntur ex besse in quo insunt argenti unciæ

ſeptem, drachma una, & drachmæ quarta, quam nummum ipſi uocãt: æris uero ſemuncia & drachmæ duæ ac tres drachmæ unius quartæ, ſi ue, ut ipſi loquuntur, tres nũmi. Iſta igitur ratione ex argenti puri beſſe ſignantur nummi, qui ualent aureos nouem & quartam unius aurei partem. hoc eſt crucigeros quindecim. Nummi uero qui ualent tribus crucigeris ex beſſe conficiuntur, in quo tantum æris ineſt, quantum argenti. quomodo ex beſſe argenti puri ſignãtur tot iſtius generis nummi, quot æſtimantur nouem aureis, & reliqui ſunt tales nummi numero ſeptem: id eſt crucigeri unus & uiginti. quorum ſex maioris operæ gratia cuduntur. At ipſi crucigeri conſtant ex beſſe, qui in ſe continet argenti uncias tres & dimidiam, æris autem uncias quatuor & dimidiam. qua ratione ex argenti puri beſſe conficiuntur tot crucigeri quot ualent nouem aureis: & reſidui ſunt unus & triginta. atq; hic etiã propter maiorem operariorũ laborem ſedecim cuduntur. Sunt præterea duo nummulorum genera: alteros duplos poſſumus appellare, ſimplos alteros. horum duo ualent crucigero: illorum quatuor. utriuſque generis tot ex beſſe argenti puri ſignantur, quot ualent decem aureis & ſex crucigeris. Eiuſdem precij nummos argenteos ſignat rex Ferdinandus in Pannonia ſuperiori, ſed ex beſſe Viennenſi, qui, ut ſupra dixi, maior eſt Noribergio. ſiue igitur nummos percutiat unciales, ſiue ſemunciales, ſiue didrachma, ſiue eos qui ualent pro duodecim aut ſex crucigeris, ex tali beſſe argenti puri conficiuntur tot nummi, quot æſtimantur aureis decem, & reliqui ſunt quatuor & quinquaginta crucigeri. At ex eodem argenti puri beſſe Viennenſi tot nummi, qui ualent tribus crucigeris, ſignantur, quot ualent aureis decẽ et reſidui ſunt tales nummi numero tredecim, id eſt crucigeri XXXIX. tot uero crucigeri, quot ualẽt undecim aureis, atq; reſidui ſunt duodecim crucigeri. tot autem nummuli dupli, quot ualẽt undecim aureis atq; reliqui ſunt ſeptem & uiginti crucigeri. tot denicq; ſimpli, quot ualent undecim aureis, & remanent quatuor & quadraginta crucigeri. Sed argẽtei nummi Agrippinenſes, dimidij albi dicti, Moguntini albi, Treuirorũ albi rotati ſignantur ex beſſe Agrippinenſi, qui, ut dixi, eiuſdem ponderis eſt, cuius Erphurdanus, in quo inſunt argenti unciæ tres atq; dimidia & drachma una atq; ſcripulum unum. quo modo ex Miſeno beſſe argenti puri tot cuiuſq; generis nummi cõficiuntur, quot permutantur aureis octo, quindecim nummis, quibus Miſeni tributa perſoluunt, & nummulis maiuſculis duobus & dimidio. At argentei nummi Noribergij, principis Francorum, epiſcopi Babergenſis, principis Palatini, qui quinq; ualent nummulis, item qui decem ſignãtur ex beſſe Noribergio qui in ſe cõtinet argenti uncias tres et drachmas duas, ac obolum unum & ſiliquam unam. qua ratione ex beſſe Miſeno tot conficiuntur nummi, quot ualent aureis octo, nummis duodenarijs quindecim

cim, & uno posterioris generis nummulo. Tales autem nummi Noribergij & Francici quinquaginta et duo eorundem nummuli ualent aureo Rhenano. quinq; et uiginti alterius generis, ac eorundem nummuli duo, tantundē. Nummi aūt episcopi Vircebergensis, quos solidos nomināt, signātur ex besse, in quo insunt unciæ argēti tres ac dimidia & scripulum unum. quo sanè modo tot id genus nummi conficiuntur ex besse Miseno argenti puri, quot æstimantur octo aureis, et quatuor nummis duodenarijs, ac prioris generis nummulis, quos maiusculos uel duplos soleo nominare, nouem & dimidio. tales uero nummi Vircebergenses octo & uiginti ualent aureo Rhenano. Sed nummi unciales & regis Danorū & regis Suedorū & liberarū Saxoniæ ciuitatū eandem temperaturā habent quam argentei quos Liuius Drusus in tribunatu plebis percussit. Ærei postremo Romanorū nūmi triumuirûm temporibus ex ære & ferro fuerunt temperati. nam Antonium unum ex his æri miscuisse ferrum Plinius bonus autor scribit. sed quotam ferri partem miscuit æri, memoriæ non prodidit. Subijciam hic ueterum nummûm notas. assis quidem, quod libralis fuerit hæc est Ł, uel Ł: dupondij, quod bilibris, hæc ŁŁ, uel ŁŁ: sestertij, quod duos asses & dimidium ualeret, hæc ŁŁS, uel HS, uel D. prima est apud Valerium Probum: altera in uetustis libris & inscriptionibus: tertia in quibusdā inscriptionibus in Hispania repertis. Quinarij uero hoc est signum ∀: denarij hoc, ⁎, uel ⁎. Aliorum autem nummûm Romanorum notas posui in libro quarto, qui est De ponderibus Romanis inscriptus.

GEORGII AGRICOLAE LIBER TERTIVS DE PRECIO VETERVM MONETARUM.



PRoximo libro monetarum pondus & temperaturam, quoad fieri potuit, explicaui, nunc dicā de precio ueterum monetarum & de rei nummariæ summis, quas scriptores memoriæ prodiderūt: quæ res perdifficiles habet explicatus & est ualde laboriosa. etenim qui unam aliquam ueterem monetam noua uoluerit explicare, ei necesse est primo utriusq; pondus expendere. deinde si neutra pura fuerit utriusq; temperaturam explorare. tum, quod ad ueterem pertinet, si extiterit considerare utrum uere uetus sit an ad ueteris exemplar facta. atq; si uere fuerit uetus, inte-

gra ſit an mutilata uel attrita uel corroſa. ſi nullæ eius reliquiæ fuerint, perquirere quid de eiuſdem pondere & temperatura ſcriptum ſit, nam hæc omnia niſi quis diligenter aduerterit, imò uero etiam penitus perſpecta planéq; cognita habuerit, nullius antiquæ monetæ preciũ, nullius rei nummariæ ſummã recte poterit explicare. quocirca de precio monetarum, quas uetuſtas obruit, & quarum pondus & temperaturam ſcriptores memoriæ non tradiderunt, nihil certi poſſumus ſcribere. Sed ut de pondere ueterum monetarum cõſtet, eos qui omnium aurearum ſiue argentearũ precium ad unam regulam quærunt, & una ratione iudicant, multum opinio fallit. nam iſta regula ad ueritatem iccirco ſemper dirigere non poteſt, quod nec aureæ omnes ex auro puro fuerunt ſignatæ: nec argenteæ omnes ex argento puro: ſed quędam ex auro uel argento puro, multæ ex miſto. Similiter, ut ueterum monetarum temperaturam habeamus cognitam, quod eam ſcriptores explicarint, ſi pondus earum ignorabimus, ne ullam quidem id genus pecuniæ ſummam, cuius precij fuerit, poſſumus exponere. Quin ſi una aliqua moneta uetus mutilata uel attrita uel corroſa ſuperfuerit de multis: quanquam eius temperaturam explorare poſſumus, tamen niſi ueterum ſcripta pondus eius nobis notum fecerint, iterum nullius id genus nummorum ſummæ precium poſſumus æſtimare. Poſtremo qui ueterum monetarum, quæ non extant, pondera ſimpliciter ex ſuæ ciuitatis ponderibus æſtimat, ignorans proportionem, quam ad uetera pondera habeant, is, etiamſi ex ſcriptoribus didicerit illarum temperaturam, non minus à uero aberrat. Itaq; cum hanc rem uiderem tam magnam habere difficultatem, ut proſpicerem & conſulerem ſtudioſis antiquitatis & hiſtoriæ, pondera ueterum monetarũ, quæ ſcriptores memoriæ mandarũt, aut nos trutina examinauimus: ſimiliter earundem miſtarum temperaturas proximo libro explicaui. pondera autem Romana & Græca libro quarto & quinto operis De menſuris & ponderibus inſcripti: externa libro ſecundo alterius operis, quod de externis menſuris & ponderibus ſcripſi. Quanta uero fuerint pondera uetera itẽ in alio libro, qui eſt inſcriptus de reſtituẽdis ponderibus & menſuris, expoſui. quos libros qui legerit, ea, quæ hic tradam, facilius cognoſcet. Rurſus autem ordiar ab aureis monetis, & puris quidem: etiamſi externæ ſint. itaq; ſinguli ſtateres Darici, quia fuerunt ex auro puro ſignati ualent aureo Vngarico atq; aurei Vngarici momentis ſexaginta duobus & dimidio. nam cum Daricus pendat duas drachmas Atticas, Vngaricus uero, ſicut etiam Hiſpanus atque Cæſarianus nuper Auguſtæ Vindelicorum percuſſus, unam drachmam Atticam & præterea tria momenta, Vngaricus & ſexaginta momenta pendunt Daricum. quoniam uero in auro, ex quo formantur etiam optimi Vngarici, ineſt octaua & quadrageſima argenti portio, aurũ Vngaricum

bonitate

bonitate ſuperatur à Darico. ſed eam auri particulam, quæ deficit Vngaricum, quodammodo exæquant duo illa momenta & dimidium. deeſt enim Vngarico adhuc aliquid auri, nimirũ octaua unius momenti pars. uerum eam non explicamus, ut etiam æſtimemus argentum & quod in uno Vngarico atq; in Vngarici momẽtis ſexaginta duobus & dimidio ineſt, & quod in Darico. etenim in auro puriſsime excocto remanet aliqua argenti particula, quanquam argentum hoc omne aliquanto pluris eſt quàm auri octaua momẽti pars. Vt uero ſtudioſi bonarum literarum, in quacunq; Europæ regione habitent, auri puri precium intelligere poſsint, dicam præterea quanto auro Veneto ſignato æſtimetur Daricus, quanto Romano, quanto Francico, quanto Rhenano. Primo autem Daricus ualet ducatum unum Venetum & momenta ſexaginta tria ac dimidium, una parte momenti octaua & ſexageſima minus: ſiue momenta ſexaginta tria & triginta tres momenti octauas & ſexageſimas partes: nam ducatus Venetus, ut etiam Turcicus, eãdem, quam aureus Vngaricus, habet temperaturã. ſed quia pendit momenta ſexaginta quinq; & duas momenti partes octauas & ſexageſimas, eo leuior eſt momento, duabus partibus momenti octauis & ſexageſimis minus. uerum unam non numeramus ut etiam taxemus argentum quod in ſe continet momentum. etſi uero argentarij & cæteri qui aureos nummos appendunt, tantum modo momenta, non minutas eorum particulas, numerãt, tamen eas ſi omiſerimus rei nummariæ ſummas recte nõ poterimus explicare. Atq; ut licuerit oratoribus & hiſtoricis interdum non accurate aliquam pecuniæ ſummam exponere, ſed Græcis dicere ἐγγὺς ἁ, Latinis ferè, uel fermè ad, uel circiter, nobis, qui precia ueterum monetarum æſtimamus, non licebit. quanquam id ipſum non ſemper propter minutas particulas, quæ ratiocinio difficultatem afferunt, potuimus uitare. Deinde Daricus ualet ducatum Romanũ & ſexaginta quinq; momenta, duabus momenti triceſimis ſecundis minus. Romanus em̃ aureus ille & pondere atq; bonitate eius ſimilis Bononienſis, Lucenſis, Mediolanenſis idẽ, quod Venetus, pondus ferè habent, ſed differũt miſtura. etenim in eis ineſt ſecunda & triceſima argẽti portio. atq; hic quoq; partes duas momenti octauas & ſexageſimas non annumero, ut putem argentum quod in duobus & ferè dimidio momentis ineſt. Tum Daricus ualet duos coronatos Francicos & ſeptem auri eiuſmodi Francici momenta, & tertiam momenti partem. nam duo coronati Francici, ac uero etiam Burgundici, pondere ſuperant Daricum, quod pendant Daricum & præterea quatuor et uiginti momenti ſeptuageſimas partes. ſed in auro, ex quo ſignantur, ineſt decima ſexta argenti portio. quæ efficit momenta ſeptem & quatuordecim momenti decimas ſextas partes. uerum duas tertias in numero non ponimus, ut æſtimemus etiam precium argẽti,

quod tale aurum Francicum in se continet. Postremo Daricus ualet duos aureos Rhenanos & momenta triginta tria & dimidiũ. nam duo aurei Rhenani pondus habent Darici, sex momẽtis minus. quoniam uero Rhenano ineſt quarta argenti portio, eã ſimul & pondus ſex mo mentorũ, quæ deſunt, aſſequuntur momenta triginta tria & dimidiũ: ſi æſtimauerimus etiã, ut ſemper æſtimari debet, precium argẽti, quod aurum Rhenanum in ſe cõtinet. Vt autem hæc expreſsiora & illuſtrio ra fiant unam & alteram Daricorum ſummam exponam. Tria mil- lia Daricorum, quibus Cyrus, ut ſcribit Xenophon, donauit uatem Si lanum ualent aureorum Vngaricorum V̄DCCCXL. & momẽta LX. Ve netorũ uero, VDCCCCXXVIII. momenta XLIX. & quinquaginta duas momenti octauas & ſexageſimas partes: at Romanorũ V̄DCCCCXCV. momenta XLIX. & uiginti & octo momenti octauas & ſexageſimas partes: ſed Francicorum V̄ICCCXLVIII. momenta ſedecim & uiginti quatuor momenti ſeptuageſimas partes: Rhenanorum autem V̄II- DCLXXV. Verum decem millium Daricorum, quos idem Cyrus de- dit Clearcho, precium fuit Vngaricorum X̄IX̄CCCCLXIX. & mo- menta XLVI. Venetorum X̄IX̄DCCLXII. & momenta XXXV. at- que LVI. momenti octauæ & ſexageſimæ partes: Romanorum X̄IX̄D- CCCCLXXXV. & momenta LVI. atq; uiginti & duæ momenti octauæ & ſexageſimæ partes: Francicorum X̄XIC̄LX. & momenta LIIII. atq; triginta tres momenti ſexageſimæ partes, & una ſeptuageſimæ tertia: Rhenanorum X̄XV̄DLXXXIII. & tertia aurei Rhenani pars. Sed ut mi hi neceſſe non ſit precium cuiuſq; pecuniarum ſummæ omnibus iſtis aureis æſtimare, proportionem, quam habent ad Vngaricum, planius explicabo: & id ipſum precium poſthac Vngaricis tantum æſtimabo. hac enim proportione cognita quiſq; ſummam cuiuſq; pecuniæ alijs aureis poterit exponere. Aureus Vngaricus pendit momenta ſex & ſexaginta, & in eo ineſt octaua & quadrageſima argenti portio. id eſt momentum unum atq; tertia momẽti pars. & octaua tertiæ particula: ſiue, quod idem eſt, momentum unum, ac decem & octo momẽti octa uæ & quadrageſimæ partes. ſed Venetus pondere efficit momenta quinq; & ſexaginta, & duas momenti octauas & ſexageſimas partes, ſiue unam momenti quartam & triceſimam partem. eiuſdem uero cu- ius Vngaricus, eſt temperaturæ. Vngaricus igitur ualet Venetum & tres ac triginta momenti quartas & triceſimas partes. ex quo ſequitur ut ſeptem & ſexaginta aurei Vngarici ualeant octo & ſexaginta Vene tos. Romanus autem aureus nec eiuſdem ponderis eſt cuius Vnga- ricus, nec temperamenti, ſed idem pondus quod Venetus habet, ean- dem temperaturam non habet. Nam ſecundam & triceſimam argen- ti portionem in ſe continet. hoc eſt momenta duo & unam momenti ſecundam & triceſimam partem, cum in Veneto ſit octaua & quadra-

geſima

gesima argenti portio. id est momentum unum & septemdecim momenti octauæ & quadragesimæ partes: uiginti igitur & nouem momenti octauis & quadragesimis, atq; duabus momenti octauis & sexagesimis tantummodo detractis, ut etiam æstimetur argentum quod in auro Romano inest, præter id quod Venetum in se continet. itaq; aureum Romanum taxamus momentis auri Vngarici sexaginta quatuor & decem & nouem momenti octauis & quadragesimis partibus. exquo rursus illud consequitur, ut nouẽ et sexaginta aurei Romani ualeant septem & sexaginta aureos Vngaricos atq; decem & nouem momenta ac undecim momenti octauas & sexagesimas partes.

At Francicus pondere efficit tria & sexaginta momenta & duodecim momenti septuagesimas partes. argenti uero decimamsextam partem in se continet. hoc est circiter quatuor momenta. auri autem purĩ momenta octo & quinquaginta, & tres momenti quartæ, atq; argenti momentum unum & una momenti quarta efficiunt auri Vngarici sexaginta momenta. quod si precium duorum momentorum argenti, & trium momenti quartarum æstimauerimus, una momenti Vngarici quarta, ut etiam taxemus exiguam auri particulam, quæ causa est cur dixi circiter quatuor argenti momenta, non integra quatuor, esse in Francico: atq; eam Vngarici quartam & dimidium auri momentum, quod reliquum est, cõiunxerimus, Francicus ualet auri Vngarici sexaginta momenta & tres momenti quartas. atq; hoc probato cõsequens est tres & septuaginta Francicos efficere aureos Vngaricos septem & sexaginta ac duo momenta & tres momenti quartas. Sed aureus Rhenanus pendit sexaginta momenta, & in eo inest argenti quartæ portio. id est momenta quindecim. quæ si æstimabis, atq; etiã precium argenti, quod Vngaricum in se continet, Rhenanus ualet momẽta auri Vngarici septem & quadraginta, & ferè quartam momenti partem. tres ergo Rhenani æstimantur duobus Vngaricis & nouem Vngarici momentis, ac tribus momẽti quartis. Hæc quoq; hactenus. redeo ad precium auri puri. quia eius duæ drachmæ, ut ex his, quæ supra dixi, intelligi potest, ualent aureum Vngaricum & momenta sexaginta duo & dimidium, mina auri puri æstimatur aureis Vngaricis septem & nonaginta, atq; tribus & triginta auri Vngarici sextis & sexagesimis partibus. aurum uero purum pondere talenti Attici ualet Vngaricorum $\overline{\text{V}}$DCCCXL. & sexaginta Vngarici momẽta. At uetus aureus stater Atticus, in quo erat quinquagesima argenti portio, taxat aureo Vngarico & momẽtis sexaginta, atq; quinq; momẽti octauis & quadragesimis partib. itaq; mina auri Attici, quæ efficit stateres quinquaginta, æstimat XCV. aureis Vngaricis, & XXXV. Vngarici momentis, ac decẽ momẽti octauis & quadragesimis partibus. Talentũ uero auri Attici, quod efficit statерũ Atticorũ tria millia, ualet pro aureorũ Vn-

garicorum V̄DCCXXXII. ac quatuor & uiginti momẽti octauis & quadrageſimis. Sed uilior aureus ſtater Atticus, qui in ſe continebat quintam argenti portionem, ęſtimatur aureo Vngarico, atq; octo & triginta aurei Vngarici momentis, ac duabus momenti tertijs. ex quo ſequitur ut mina eiuſmodi auri Attici ualeat nouem & ſeptuaginta aureos Vngaricos atq; duo et quinquaginta aurei Vngarici momẽta, ac duas momenti tertias. talentum uero aureorum Vngaricorum IIIIDCCLVII. & octo & triginta momenta. Verum alius ſtater Græcus & externus, in quo itẽ eſt quinquageſima argẽti portio, ſed pendit duas drachmas Atticas, duos obolos, duas ſiliquas, taxat̃ duobus aureis Vngaricis & duobus & uiginti auri Vngarici momẽtis, atq; octaua momẽti parte. Quoniã uero auri puri duę uncię Romanę octauę partes, quas Græci drachmas uocant, ualent, quod iterũ dico, aureũ Vngaricũ & momenta ſexaginta duo & dimidiũ, libra Romana auri puri ualet aureos Vngaricos tres & nonaginta, & triginta momenta. Sed libra auri ſignati, in quo ineſt octaua et quadrageſima argenti portio, taxatur aureis Vngaricis uno & nonaginta, ac duobus & quadraginta momentis. Itaq; Romanus aureus nummus, qui pendit duos denarios & in ſe cõtinet octauam & quadrageſimam argenti portionem, ęſtimatur duobus aureis Vngaricis & duodecim momẽtis. ſed qui pendit duas drachmas, uerum eandem, quam iam dictus, auri & argẽti habet temperaturam, ualet aureum Vngaricum & ſexaginta momenta. qui uero non habet eandem miſturã, ſed ex auro ſignatur, in quo ineſt quarta & uiceſima argenti portio, permutatur aureo Vngarico & momẽtis quinquaginta ſeptem & dimidio, ac octaua momenti parte. Libra igitur talis auri ſignati ualet aureos Vngaricos nouẽ & octoginta, atq; ſexaginta momenta. At aureus Romanus qui pendit quatuor ſcripula & à Iuſtiniano ſolidus appellatur, ſi in eo ineſt octaua & quadrageſima argenti portio, ualet Vngaricum & decem & octo momenta: ſi quarta & uiceſima, aureum Vngaricum & ſedecim momenta, & uiginti octauas & quadrageſimas momenti particulas. Verum tetraſtateri Cyrenenſium temperaturam ignoramus. ſi uero licebit exiſtimare cõmunem fuiſſe, tantus aureus æſtimatur ſeptẽ aureis Vngaricis, duobus & quadraginta momentis, uiginti momenti octauis & quadrageſimis partibus. Similiter ſi aureus Hebræorum ſiclus, ut argenteus fuit, ut uidetur fuiſſe, quatuor drachmarum Atticarum, & eiuſdem, cuius cæteri aurei, temperaturę, ualet aureos Vngaricos tres, & momenta quatuor & quinquaginta atq; decem momenti octauas & quadrageſimas partes. armillæ igitur aureæ pondo decem ſiclorum, quibus ſeruus Iſaaci donauit Rebeccã, ualent aureos Vngaricos octo & triginta, momenta quatuordecim, quatuor momenti octauas et quadrageſimas partes. Inauris uero aurea, cui pondus fuit dimidij ſicli aureum Vngaricum

unum

unum & dimidium, & momenta ſeptem & uiginti, atque quinq; momenti octauas & quadrageſimas partes. at auri talentū, ex quo, ut ſcriptum eſt in libro egreſſus ex Ægypto, factum eſt candelabrum cum ſcyphis, ſphærulis, lucernis & alijs, quia Ioſephus maius intelligit, æſtimatur aureorum Vngaricorum $\overline{\text{XXII}}$DCCCCXXVIII. & duobus momentis. Cyzicenus uero ſtater, qui ualuit in Boſphoro octo & uiginti drachmas Atticas, taxatur duobus aureis Vngaricis & quatuor & uiginti momētis, & duabus momenti tertijs, ac decem & octo atq; decimæ octauæ tertia unius tertiæ momenti partibus quintis & quadrageſimis, ac duabus & dimidia unius quintæ & quadrageſimæ tertijs: ſiue, ut planius & apertius dicā, duobus aureis Vngaricis, duodecim noſtris duodenarijs & undecim nummulis duplis. ergo tria millia Cyzicenorum apud Xenophontem lib. VI. De Cyri aſcenſu ad Babylonem æſtimantur aureorum Vngaricorum $\overline{\text{VII}}$CXXVII. atq; momentis decem & octo, uno nummo unciali, uno ſemunciali, nouem duodenarijs, quatuor duplis, uno ſimplo. De aureis nummis ſatis, nunc ad argenteos uenio. atq; rurſus ordirer à puris, & quidē Aryandicis, ſi Herodotus eorum pondus explicaſſet. quod, quia nobis ignotum eſt, de argenti puri precio dicam. id enim qui intelliget, etiam Aryandici precium intelliget. Attica drachma, ut dixi, pondus habet trium & ſexaginta momentorū, Erphurdana uero, ſiue Miſena, ſeptem & ſexaginta momentorum, & quinquaginta momenti quartarum & ſexageſimarum partium. hæc igitur grauior eſt illa quatuor momētis, & quinquaginta momēti quartis et ſexageſimis partibus. Itaq; argentum purum, cui pondus eſt Atticæ minæ, ſiue ſignatum fuerit ut Aryandicum, ſiue non fuerit ſignatum, pendit drachmas Erphurdanas duas & nonaginta, & momenta quatuor & ſexaginta, ac octo momenti quartas & ſexageſimas partes. id eſt, beſſem unum Erphurdanum & drachmas octo & uiginti, ac momenta quatuor & ſexaginta, atq; octo momenti quartas & ſexageſimas partes. Cui uero argento puro pondus eſt talenti Attici pendit beſſes Erphurdanos duos & ſeptuaginta, drachmas quinquaginta, momenta octo & quadraginta, quatuor & quadraginta momēti quartas & ſexageſimas partes. Atq; argentum quidem purum, cui pondus eſt Atticæ minæ uel talenti, ſi preciū eius æſtimatur argento itē puro, tantū ualet: ſi uero argento noſtro ſignato, ualet duodecim unciales, unum ſemuncialem, octo duodenarios, octo duplos, unum ſimplum: ſeu octo Vngaricos, unum ſemuncialem, octo duodenarios, octo duplos unum ſimplum. Talentum autem Atticum argenti puri taxatur uncialibus ſeptingentis ſeptuaginta duobus, ſemunciali uno, duodenarijs ſex, duplis decem, ſimplo uno. At in mina Attica argenti ſignati ineſt quinquageſima plūbi portio. hoc eſt. drachmæ duæ; argenti uero, drachmæ octo & nonaginta. quod argentum

pendit

pendit unã & nonaginta drachmas Erphurdanas, quinq; & quinqua ginta momenta, octo & quinquaginta momenti quartas & sexagesimas partes. id ipsum argenti pondus in se continet bes Erphurdanus unus & dimidius ac undecima bessis pars & paulo plus quàm una undecimæ decima. id est. Erphurdanæ drachmæ centum & una, scripula duo, siliqua una, grana tria. ex quo sequitur, ut Attica drachma argenti signati ualeat argenti nostri, ex quo signantur nummi unciales & semunciales & didrachma, drachmam Erphurdanam unam, & granum unum, ac paulo plus quàm quartam grani partem. Grana autem de quibus nunc loquimur duo et septuaginta pendunt drachmã unã. atq; granum unum ferè ualet pro uno nũmulo nostro simplo: & quarta grani pars, pro quarta ferè simpli parte. octo igitur drachmæ Atticę ualent nummum nostrum uncialem & quinq; nummulos duplos: tetrachmum Atticum, semuncialem ac duos nũmulos duplos & unum simplum: didrachmũ Atticum, nostrum didrachmum, atq; unum duplum & dimidiam simpli partem. Cum autem in nummis uiginti uno & dimidio à tributo appellatis ferè tantum argẽti insit quantũ in nummo unciali, uel duobus semuncialibus, uel quatuor didrachmis, nummus uncialis, aut duo semunciales, aut quatuor didrachma recte æstimantur nummis uiginti uno & dimidio, non quatuor & uiginti ex tributo nominatis. nec nummus à tributo appellatus ualet tantummodo duodecim nummulis duplis, sed præterea simplo uno, & una simpli ferè sexta. itaq; duodecim duplos post hac semper duodenarium uocabimus, ut eum à nũmo ex tributo nominato, distinguere possimus. nec uero etiam ducenti octoginta octo dupli ualent, ut uulgus æstimat, uncialem: sed ducenti septuaginta quinq;. nam æs, si etiam estimaueris id quod in unciali inest, nondum ualet duplum: & æs tantulum, quantulum ineſt in his nũmulis nemo admodum curat. ad hos igitur ducentos septuaginta quinq; duplos, si addideris eos quinq;, quos præter uncialem ualent octo drachmæ Atticæ, recte drachmam Atticam æstimabis duobus duodenarijs, & undecim nummulis duplis: siue, quod idem est, quinq; & triginta nummulis duplis. quod si etiam æs, quod ineſt in ducentis septuaginta quinq; nummulis, æstimassem, ut nõ potest æstimari, uno duplo, tamen drachma Attica quartam tantum simpli partem plus, quam nũc dico, ualeret. Tetrobolum autem Atticum taxamus uno duodenario, undecim duplis, duabus simpli tertijs: dimidiam drachmam uel triobolum, uno duodenario, quinq; nũmulis duplis, uno simplo: diobolũ, undecim duplis, uno simplo, una simpli tertia: obolum, quinq; duplis, uno simplo, quatuor simpli quintis: dimidium obolum, duobus duplis, uno & dimidio simplo, duabus simpli quintis: chalcum, quem æreolum interpretantur nonnulli, uno simplo, & paulo plus quàm quinq; simpli sextis: minutũ, seu, ut est apud

Sene

Senecam, minutia, λεπτὸν Græci uocant, ferè una simpli quarta. quod genus uilissimos nummulos Egrani quondam signarunt. Duodenario autem, quod iterum dico, non significo nummū argenteum illum à tributo appellatum, qui ualet duodecim duplos, & præterea simplum unum, ac unam simpli ferè sextam: sed, sicuti nostrorum mos est loquendi, duodecim tantum duplos. Quod si quis ad quinque & triginta duplos, quot æstimaui drachmam Atticam, adijceret unum, omnia quidem ad explicandum essent magis expedita. tunc enim drachma Attica ualeret tres duodenarios: tetrobolum, duos: dimidia drachma seu triobolum, unum & dimidium: diobolum, unum. obolus, sex duplos: dimidius obolus, tres: chalcus, simplum: minutum, septimam simpli partem. Sed hanc explicationē, quod minus uera sit, reijcimus. Atticæ igitur drachmæ octo ualent tres & uiginti duodenarios & quatuor duplos: uel nummum uncialem & quinq; duplos. etenim duos et uiginti duodenarios et undecim duplos putamus pro unciali, quod qui non aduerterit: ratiocinium nostrum non intelliget. certe quidem in tot nummulis duplis tantum argentum inest, quantum in unciali, uel duobus semuncialibus, uel quatuor didrachmis nostris. Atq; Atticorum quidem nummorū & nummulorū hoc ferè precium est. Quia uero octo drachmæ Atticę ualent nummū nostrum uncialē, & quinq; duplos, mina Attica argenti signati taxatur uncialibus duodecim, semunciali uno, duodenarijs quinq;, duplis duobus, simplo uno. talentum autem Atticum argenti signati æstimatur uncialibus DCCLXIII, semunciali uno duodenarijs tribus, duplo uno, simplo uno. Verum, ne magnitudo libri nimiū crescat, precium Atticorum nummûm, ut etiam reliquorum, alijs argenteis nūmis uel Germaniæ uel cæterarum regionū non explicabo, sed aureis Vngaricis. itaq; primo dicā quanto argento nostro signato ęstimetur aureus Vngaricus, quāto Venetus, quāto Romanus, quāto Francicus, quāto Rhenanus. quibus cognitis hi, quibus nostri argentei nummi ignoti sunt, æque ac nostri homines precium cuiusq; summæ nummariæ poterint intelligere. Nūmus noster argenteus uncialis et semuncialis ualent aureum Vngaricum. atq; sic una auri pars ualet undecim argenti partes, & paulo plus quàm tertiam undecimæ partem. cum autem Vngaricus pendat sex & sexaginta momenta, nummuli dupli sex & una dupli quarta taxantur uno momento. quocirca nummus uncialis & decem duodenarij & undecim dupli & ferè unus simplus ualent aureum Venetum: uncialis uero & decem duodenarij atq; septem dupli, & duæ simpli tertiæ Romanum: sed uncialis ac octo duodenarij & octo dupli, atq; unus simplus, Francicum: at uncialis quatuor duplis minus, Rhenanum. Attica igitur mina, quia æstimatur nūmis uncialibus duodecim, semunciali uno, duodenarijs quinq;, duplis duobus, simplo uno, ualet aureos Vngaricos

octo

octo, unum ſemuncialem, quinq; duodenarios, duos duplos, unum ſimplum: Venetos item octo, unum ſemuncialem, nouem duodenarios, duos duplos, unum ſimplum: Romanos etiam octo, uncialem unum, ſex duplos, duas ſimpli tertias: Francicos nouem, duodenarios ſeptem, ſimplum unum: Rhenanos duodecim, ſemuncialem unum, duodenarios nouem, duplos quatuor, ſimplum unum. At argenti ſignati talentum Atticum, quia æſtimatur uncialibus DCCLXIII. ſemuncialí uno, duodenarijs tribus, duplo uno, ſimplo uno ualet aureos Vngaricos DIX. duodenarijs tribus, duplo uno, ſimplo uno: Venetos DXVI. unũ ſemuncialem, nouem duodenarios, unũ ſimplũ: Romanos DXXI. uncialem unum, duodenarios nouem, duplum unum, duas ſimpli tertias: Frãcicos DLIII. undecim duodenarios, duplos quatuor, ſimplum unum: Rhenanos DCCLVI. ſemuncialem unum, duodenarium unum, ſimplum unum. Verum drachma Æginæa æſtimata fuit decem obolis Atticis, ualet igitur quinq; duodenarios & undecim duplos: triobolũ Æginęũ, duos duodenarios, quinq; duplos, unum ſimplum: obolus Æginæus, nouem duplos, unum ſimplum, duas ſimpli tertias. itaq; ſtater Corinthius, quia æſtimatus fuit decem libris, quarum quæq; ualebat obolum Æginæum, taxatur octo duodenarijs, duobus duplis, duabus ſimpli tertijs. Sed minæ Æginææ precium ſunt duodecim unciales, unus ſemuncialis, quinq; duodenarij, duo dupli, unus ſimplus: talenti uero Æginæi unciales MCCLXXII. ſemuncialis unus, duodenarij quinq;, dupli duo, ſimplus unus. At mina Euboica, ut Attica, taxatur uncialibus duodecim, ſemunciali uno, duodenarijs quinq;, duplis duobus, ſimplo uno. De talẽti Euboici precio aliàs dicam. Rhodium autem talentũ ualet unciales DLXXII. ſemuncialem unum, duodenarios quinq;, duplos duos, ſimplum unum. Iam argentum purum, quod pendit libram Romanã, pondere efficit argenti puri drachmas Erphurdanas nouem et octoginta, atq; momenta quindecim, ac triginta momenti quartas & ſexageſimas partes. hoc eſt beſſem Erphurdanum & drachmas quinq; & uiginti, ac momenta quindecim, atq; triginta momenti quartas et ſexageſimas partes. Eadem uero libra Romana argenti puri ualet noſtri argenti ſignati unciales duodecim, duodenarios octo, duplos quatuor, ſedecim ſimpli quintas & uiceſimas: ſiue Vngaricos octo, duodenarios octo, duplos quatuor, ſedecim ſimpli quintas & uiceſimas. At argenti ſignati drachma Attica & octaua unciæ Romanæ pars, quæ ſunt eiuſdem ponderis, precio nonnihil differunt. nam in tantulo Attico argento ſignato ineſt quinquageſima plũbi portio, in Romano octaua & quadrageſima, & duæ octauæ & quadrageſimæ portionis particulæ octauæ & quadrageſimæ. itaq; Attica drachma in ſe continet nouem & quadraginta argenti portiones, octaua Romanę unciæ pars octo & quadraginta, atq; ſex

&

& quadraginta octauas & quadrageſimas partes. Sed quia octaua unciæ Romanæ pars habet argenti IICCCL. octauas & quadrageſimas particulas, ſequitur ut MCLXXV. drachmæ Atticæ efficiant tot octauas Romanæ unciæ partes, & præterea unam tantum. quæ res in magnis rei nummariæ ſummis æſtimari poteſt, in tantulo argento æſtimari non poteſt. igitur octauam unciæ Romanæ partem æque ut drachmam Atticã taxamus duobus duodenarijs & undecim duplis. quare denarius, qui pendebat drachmam Atticam unam & dimidiam, ualebat duodenarios quatuor, duplos quatuor, ſimplum unum: quinarius eius, duodenarios duos, duplos duos, dimidiam ſimpli partem: ſeſtertius, duodenarium unum, duplum unum, quartam ſimpli partem: libella, quinq; duplos & dimidiam ſimpli partem: ſembella, duos duplos, unum ſimplum, quartã ſimpli partem: teruncius, unum duplum ac duas & dimidiam ſimpli quartas. Verum denarius legitimus, qui pendit drachmam Atticam & ſeptimam eius partem, ualet tres duodenarios & quatuor duplos: quinarius eius, unum duodenarium et octo duplos: ſeſtertius, decẽ duplos: libella, quatuor: ſembella, duos: teruncius, unum. Itaq; talis argenti ſignati libra Romana æſtimatur drachmis Erphurdanis ſeptẽ & nonaginta, ac quinq; & uiginti drachmæ quartis & triceſimis partibus, atq; quinq; unius quartæ & triceſimæ octauis. hoc eſt Erphurdano beſſe uno & dimidio, ac drachma una atque quinque & uiginti drachmæ quartis & triceſimis partibus, atque quinq; unius quartæ & triceſimæ octauis. ualet igitur unciales duodecim & duodenarios quinq;: ſeu aureos Vngaricos octo & duodenarios quinq;. Quoniã uero Romani pecuniæ ſummas plerunq; his legitimis ſeſtertijs exponunt, dicam quantum ualeant decem ſeſtertij, quantum decem ſeſtertiũm, quantũ decies ſeſtertiũm. decem quidem ſeſtertij æſtimantur octo duodenarijs & quatuor duplis: centum uero uncialibus tribus & dimidio, duodenarijs tribus, duplo uno, ſimplo uno, ſiue aureis Vngaricis duobus, uno ſemunciali, tribus duodenarijs, uno duplo, uno ſimplo: Venetis duobus, uno ſemunciali, quatuor duodenarijs, uno duplo, uno ſimplo: Romanis duobus, uno ſemũciali, quatuor duodenarijs, nouem duplis, uno ſimplo, duabus ſimpli tertijs: Francicis duobus, uno ſemunciali, octo duodenarijs, ſeptem duplis, uno ſimplo: Rhenanis tribus & dimidio, quatuor duodenarijs, tribus duplis, uno ſimplo. at mille ſeſtertij ualẽt unciales XXXVI. duodenarios VIII. duplos IIII. ſeu aureos Vngaricos XXIIII. duodenarios VIII. duplos IIII. Venetos XXIIII. ſemuncialem unum, duodenarios VIII. duplos X. ſimplum unum, Romanos XXIIII. uncialem unum, duodenarios V. duplos IX. Francicos XXVI. duodenarios XI. duplum unum: Rhenanos XXXVI. ſemuncialem unum, duodenarios VIII. duplos X. ſimplum unum. Sed decem ſeſtertiũm, hoc eſt decem millia

ſeſtertiũm taxantur unciálibus CCCLXIII. uno ſemunciali, tribus duodenarijs, uno duplo, uno ſimplo: aureis Vngaricis CCXLII. uno ſemũciali, tribus duodenarijs, uno duplo, uno ſimplo: Venetis CCXLVI. & duplo uno: Romanis CCXLVIII. uno ſemunciali, ſex duodenarijs, undecim duplis, uno ſimplo, duabus ſimpli tertijs: Frãcicis CCLXIII. uno ſemũciali, quatuor duodenarijs, ſex duplis: Rhenanis CCCLXVIII. uno ſemunciali, octo duodenarijs, duobus duplis, uno ſimplo. Decies uero ſeſtertiũm, hoc eſt decies centena millia ſeſtertiũm ualent unciálium XXXVICCCLXIII. ſemuncialẽ unum, duodenarios tres, duplum unum, ſimplum unum: aureorum Vngaricorum XXIIICCXLII. unum ſemuncialem, tres duodenarios, unum duplum, unum ſimplum: Venetorum XXIIIIDC. unum ſemuncialem, ſex duodenarios, nouem duplos, unum ſimplũ: Romanorũ XXIIIIDCCCLVII. ſemuncialem unum, duodenarios quinq; duplos duos, ſimplũ unum, duas ſimpli tertias: Francicorum XXVICCCL. unum ſemuncialem, tres duodenarios, duos duplos, unum ſimplum: Rhenanorum XXXVIDCCCLXXV. ſemuncialem unum, duodenarios ſex, duplos undecim: ſimplũ unum. At denarius, qui pendit drachmam Atticam, ſi eandem quam legitimus, habet temperaturam, idem quod drachma Attica ualet: nimirum duodenarios duos & duplos undecim: quinarius eius, unum duodenarium, quinq; duplos, unum ſimplũ: ſeſtertius, octo duplos, unum ſimplum, dimidiam ſimpli partem: libella, tres duplos & unum ſimplum: ſembella, unum duplum, unum ſimplum, dimidiam ſimpli partem: teruncius, unum ſimplum & tres ſimpli quartas. Sin eiuſdem ponderis denarius ex argento, in quo ineſt quarta & uiceſima æris portio fuerit ſignatus, eſtimatur duobus duodenarijs & octo duplis, ac ferè ſimplo uno, quo modo quinarius eius ualet unum duodenariũ, quatuor duplos, dimidium ſimplum: ſeſtertius, octo duplos & quartam ſimpli partem: libella, tres duplos & dimidium ſimplum: ſembella, duplum unum & ſimplum unum ac quartam ſimpli partem: teruncius, unum ſimplum ac quinq; ſimpli octauas. Venio nunc ad externos nummos argenteos. ſiglus Perſicus, quia æſtimatus fuit drachma Attica & obolo uno ac dimidio, taxatur tribus duodenarijs, ſeptẽ duplis, uno ſimplo, tribus & dimidia ſimpli quintis. Siclus uero Hebraicus, quem ſacræ literæ ſidum ſanctuarij & argenteum nominant, quoniam Ioſephus eum æſtimat quatuor drachmis Atticis, ualet undecim duodenarios, et octo duplos, ſiue unum ſemuncialem & duos duplos ac unum ſimplum. ſed uulgaris ſiclus, ſi fuit, ut magiſter Salomo Hebræus ſentit, alterius dimidiũ, ualet quinq; duodenarios & decem duplos: ſiue didrachmum noſtrum, duplum unum, dimidiam ſimpli partem. obolus autem Hebraicus, qui uocatur gera, taxatur ſeptem duplis. at mina Hebraica ualet triginta unciales, unum ſemuncialem, unum duodenarium, unum

ſimplum

ſimplum: ſiue aureos Vngaricos uiginti, ſemuncialem unum, duodenarium unum, ſimplum unum. Talentum uero Hebraicum æſtimatur uncialium $\overline{\text{IIIL}}$IIII. uno ſemunciali, uno duodenario, uno ſimplo: ſeu aureorum Vngaricorum $\overline{\text{II}}$XXXVI. ſemunciali uno, duodenario uno, ſimplo uno. Quanquam autem ex his, quæ dixi, doctus ratiocinator quod ſit precium noſtrorum argenteorum nummûm cognoſcere, & in eorum locum aureos uel eorum momenta ſupponere poteſt, tamen ut alij etiã id ipſum intelligere & facere poſsint, eam rationem planius explicabo. uerbi cauſa. centum ſeſtertios aio ualere aureos Vngaricos duos, ſemuncialem unum, duodenarios tres, duplum unum, ſimplum unum. Vngari & Poloni atq; etiam Germani, qui noſtros Miſenos argenteos non norunt, in eorum locum octo & uiginti aurei Vngarici momenta ſubſtituant: atq; dicant centũ ſeſtertij ualent aureos Vngaricos duos ac octo & uiginti aurei Vngarici momenta. Etenim ſemuncialem noſtrũ æſtimo duplis centum triginta ſeptem & dimidio: duodenarios uero tres, duplis ſex & triginta. ad quos ſi adiecerint duplum unum & ſimplum unum fient centum ſeptuaginta quinq; dupli. ſed quandoquidem dupli ſex & una dupli quarta taxantur, ut dixi, uno aurei Vngarici momento, tot dupli efficiunt octo & uiginti momenta. Cum uero proportionem quam aurei Veneti, Romani, Francici, Rhenani, ac alij habeant ad aureos Vngaricos, explanauerim, omnes percipere poſſunt quod precium ſit noſtrorum nummûm argenteorum: & in eorum locum reponere uel momenta aureorum uel ſuos nummos argenteos: modo & noſtrorum & ſuorum pondus & temperaturam habeant cognitã. de noſtris dilucide dixi. de ſuis quiſq;, qui examinandi rationem ignorat, diligenter exquirat à monetalibus. De precio monetarum & rei nummariæ generatim dixi, nunc ſingulatim de quibuſdam dicam: ut de reditibus, de diuitijs regum & priuatorũ hominum, de cenſibus, de ſtipendijs, de donis, & quibuſdam impenſis, de precio ſeruorum & aliarum rerum, de uſuris. Annuos fructus, quos alij reditus, alij prouentus nominant, quędam reſp. uberrimos ceperunt ex uectigalibus & portorijs & tributis. Athenienſium quidem ſocij, ut Pericles apud Thucydidem libro ſecundo ait, quotannis tributũ contulerunt talenta ſexcenta. ſed Pericles prouentus alios cum dicat ipſis fuiſſe, tamen non explicat quanti fuerint. Verum qui Thucydidis ætati ſucceſsit Xenophon libro VII. de Cyri aſcenſu ad Babylonem ſcribit nõ minus mille talentis annuos eorum reditus fuiſſe. At Demetrium Phalereum, quem poſthæc Athenienſes reip. præfecerunt ſingulis annis mille ducentorum talentûm dominũ fuiſſe Durides hiſtorijs mandauit, ut in XII. libro Athenæi habemus. Suidas uero ſcriptum reliquit eos ex mulctis, metallis, uectigalibus, portorijs, bonis publicatis maiores fructus cepiſſe: duo nimirum millia talentûm. Sed hæ res ut anno

& uno & altero tantum utilitatis fructum Athenienſibus prębuerint, quotannis eundem non uidentur præbuiſſe. Itaq; ſi annuos eorum reditus mille ducentis talentis æſtimandos putemus, ea ipſa efficiũt noſtrorum nummũm uncialium DCCCCXVICCCLXIII. unum ſemuncialem, tres duodenarios, unum duplum, unum ſimplum: ſiue aureorum Vngaricorum DCXDCCCCIX. duodenarios tres, duplum unum, ſimplum unum. Verum Roma non modo Athenas, ſed longe omnes alias ciuitates multumq; ſuperauit. nam Plutarchus tradit Pompeium magnum cum ampliſsime ex plurimis bellis, quæ geſsit & confecit, triumpharet, literis recitatis declaraſſe remp. antea ex uectigalibus cepiſſe quinq; millia myriadum, drachmarum ſcilicet. quod Romani dicũt bis millies centena millia H-S. ex his uero uectigalibus, quæ ipſe acquiſiuiſſet, eandem capere myriadum octo millia quingentas: ſiue, ut Romani loquuntur, ter millies quadringenties centena millia H-S. qui duo numeri hanc pecuniæ ſummam conficiunt: quinquies millies quadringenties centena millia H-S. quæ ualent nummũm uncialium centies nonagies ſexies centena triginta ſex millia trecẽtos ſexaginta tres, ſemuncialem unum, duodenarios tres, duplum unum, ſimplũ unum: aut aureorum Vngaricorum centies tricies centena nonaginta millia nongentos nouem, duodenarios tres, duplum unum, ſimplũ unum.

Veſpaſianus autem, ut eſt apud Suetonium Tranquillum, profeſſus eſt quadringenties millies opus eſſe ut reſp. ſtare poſſet: quod cum ipſe imperare cœpiſſet ſumma eſſet ærarij fiſciq; inopia. ea ſumma ualet uncialium quaterdecies millies quingenties quadragies quinquies centena quadraginta quinq; millia quadringentos quinquaginta quatuor, ſemuncialem unum, duodenarium unum, ſimplum unum: ſeu Vngaricorum nonies millies ſexcenties nonagies ſexies centena nonaginta ſex millia nongentos ſexaginta nouem, uncialem unum, duodenarium unum, ſimplum unum. Nationes autem, quæ erant in regno & ditione regis Perſarum Darij filij Hiſtaſpis, quotannis hoc tributum contuliſſe Herodotus ſcribit in Thalia: Euboicorum talentũm quatuordecim millia, quingenta, ſexaginta. cuius argenti precium ſi Euboicum talentum fuit minarum quinquaginta ſex, & duarum minæ tertiarum, ſunt uncialiũ centies quinquies centena millia octingenti quadraginta octo, duodenarij decem, dupli ſeptem, duæ ſimpli tertiæ: aureorum uero Vngaricorum ſeptuageſies centena millia, quingenti, ſexaginta quinq;, ſemuncialis unus, duodenarij decem, dupli ſeptem, duæ ſimpli tertiæ. Sed Alexandrum magnum ex annuis uectigalibus cepiſſe CCC. millia talentũm tradidit Trogus Pompeius libro XIII. quia uero accipimus Attica, æſtimamus ea uncialium bis millies ducenties nonagies centenis nonaginta millibus nongentis nouem, duodenarijs duobus, duplo uno: ſiue aureorũ Vngaricorum millies

quingen

quingenties uicies ſepties centenis uiginti ſeptem millibus, ducentis ſeptuaginta duobus, unciali uno, duodenarijs duobus, duplo uno.

At de reditibus Ægypti Strabo in libro XVII. in hanc ſententiam ſcribit: Ciceronem cum orationem quandam haberet in concione dixiſſe Ægyptum ſingulis annis Ptolemęo Auletę, patri Cleopatrę, etſi peſsime & maxime diſſolute regnaret pependiſſe talentorum uiginti millia & quingenta, quæ efficiunt uncialium centies nonagies centena nonaginta millia nongẽtos nouem, duodenarios duos, duplũ unum: ſeu aureorum Vngaricorum centies uicies ſepties centena uiginti ſeptem millia ducentos ſeptuaginta duos, uncialem unũ, duodenarios duos, duplum unum. Verum idem Strabo ait quemcꝙ æſtimare poſſe maiores Ægypti reditus eſſe, et quod Romani maiori cura res prouinciæ adminiſtrarent, & quod mercatus Indici & Troglodytici multum eſſent adaucti. Iam & reges & priuati homines diuitijs affluentes multi fuerunt. etenim Sardanapalus rex Aſſyriorũ, ſi Cteſias, qui hoc ſcriptum reliquit, fidem cõmenticijs fabulis non adiunxit, in rogum, mox facibus inflammandum, quem extruxit in regia, congeſsit talentũm auri mille myriades, argenti uero myriadũ decem millia. ut autem non æſtimentur centum & quinquaginta aurea cubilia & totidem aureæ menſæ, quas idem cõmemorat, aurum quidem ſi Cteſias intellexit Attica talẽta, ut Græci ſcriptores plerunꝙ, cum aliud nominatim non proferũt, intelligere ſolent, ualet quingenties ſeptuagies ter millies decenties centena ſeptuaginta quinꝙ millia ſeptingentos quinquaginta ſeptem, & octo atꝙ triginta momenta. Argentum autem ualet aureorum Vngaricorũ quingenties nonies millies centies tricies ſexies centena triginta ſex millia trecentos ſexaginta tres, ſemuncialem unum, duodenarios tres, duplum unum, ſimplum unum. Quoniam uero Vngaricus, ut dixi, æſtimatur unciali & ſemunciali, nihil neceſſe habebo poſthac tantas pecuniæ ſummas noſtris etiam argenteis nummis ſemper exponere. certe noſtrorum hominum quiſꝙ non omnino ratiocinij rudis id facere poteſt: & alij quibus noſtri argentei nummi ignoti ſunt, facilius cuiuſꝙ ſummæ precium, ſi id æſtimauero aureis Vngaricis, intelligent. Cyrus autem, ut autor eſt Plinius, cum Aſiaticos, maxime uero Crœſum, prælijs deuiciſſet, auri præter factum, pondo XXXIIII. millia collegit, quæ ualent aureorũ Vngaricorum M̄MMCIIII DCCCL. momenta tria & quinquaginta, ſeptẽ & uiginti momenti octauas & quadrageſimas. Argenti uero (collegit ſcilicet idem) quingenta millia talẽtũm & præterea craterem Semiramidis, qui quindecim talenta pendebat. quia uero talẽta Ægyptia intelligẽda ſunt, quorũ quodꝙ, ut Varro ſcriptum reliquit, pendit octoginta pondo: tot talenta hanc ſummam aureorum Vngaricorum conficiunt IX̄DCCLXXIIII. & præterea ſemuncialem unum. duodenarios ſeptem, duplos tres, ſimplum

unum. Sed Alexandrū magnum, cum Darium ultimum Perſarum regem prælijs fregiſſet, regios theſauros, qui efficerent centum octoginta millia talentûm, inueniſſe Strabo tradit lib. XV. quę pecunię ſumma ualet aureorum Vngaricorū nongenties decies ſexies centena triginta ſex millia trecentos ſexaginta tres et penè duas Vngarici tertias. nam ſemuncialem unum, duodenarios decem, duplos quinq;.

Ipſi uero Alexandro magno, uenenis necato, in theſauris fuiſſe centum millia talentûm Trogus Pompeius ut ex Iuſtino intelligimus memoriæ prodidit. ea æſtimamus quingenties nouies centenis nouem millibus nongentis, ſemūciali uno, duodenarijs octo, duplis quatuor.

At Dauid rex Hebręorū, ut in libro. I. annalium cap. XXII. ſcriptum eſt, Salomoni filio, ut templum extrueret Hieroſolymitanum, reliquit auri centum millia talentûm, argenti mille millia. tot autem auri talenta Hebraica taxamus aureorum Vngaricorum bis & uicies millies nongenties uicies octies centenis tribus millibus triginta & momentis uiginti. tot uero argenti talenta aureorum Vngaricorum uicies millies trecenties ſexagies & ter centenis ſexaginta tribus millibus ſexcentis triginta tribus, ſemunciali uno, duodenario uno, ſimplo uno.

Auri, ſcribit Plinius lib. XXXIII. cap. III. in ærario populi Romani fuere Sex. Iulio L. Aurelio Coſſ. ſeptem annis ante bellum Punicum tertium, pondo DCCXXVII. argenti XCII. millia: & extra numeratum CCCLXXVI. millia. Aurum quidem ualet aureorum Vngaricorum LXVIDCXIX. momenta duo & quadraginta: argentum uero numeratum aureorū Vngaricorum DCCXLIXCCCLXXXI. uncialem unum, duodenarios quinq;, duplos duos, ſimplum unum: ſed argentum extra numeratum, aureorum Vngaricorū tricies centenis ſexaginta duobus millibus ſexcentis nonaginta, unciali uno, duodenarijs octo, duplis quatuor. Deinde ſcribit Plinius. Item Sex. Iulio, L. Marcio Coſs: hoc eſt belli ſocialis initio DCCCXLVI. auri pondo. cuius precium æſtimatur aureorum Vngaricorum LXXVIIDXXIIII. & momentis uiginti quatuor. Pergit Plinius. C. Cæſar primo introitu urbis in ciuili bello ſuo ex ærario protulit laterum aureorum XXVI. M. & in numerato pondo CCC. nec fuit alijs temporibus reſp. locupletior. Tot autem auri ſignati & non ſignati pondo efficiunt aureorum Vngaricorum MMCCCCX. XXXVI. & momenta quatuor & uiginti. Sequitur denicq;. Intulit & Æmilius Paulus Perſeo rege Macedonico deuicto prædam pondo trium millium. à quo tempore populus Ro. tributum pendere deſiit. Tot auri pondo ualent aureorum Vngaricorum MMLXXIIII DCCCC. & momenta ſex. At auri Toloſſani, quod Cepio abſtulit, pondo centū decem millia fuiſſe Trogus Pompeius ut ex Iuſtino percipitur memoriæ tradidit: argenti uero pondo quinquies decies centena millia. aurum putamus pro aureorum Vngaricorum centies centenis

nis octoginta millibus: argentum uero pro aureorum Vngaricorum centies bis & uicies cẽtenis decem & octo millibus centũ uno & octoginta, semũciali uno, duodenarijs quinqꝫ, duplis duobus, simplo uno. Sed de precio diuitiarum regum & rerump. satis multa dixi, nunc uenio ad priuatorum hominũ diuitias. Pythius Atys filius uir Lydus, ut est apud Herodotum in Polyhymnia, cum confeciſſet rationes comperit ſibi numerato eſſe argẽti duo millia talentũm, auri quadrageſies centena millia ſaterum Daricorum ſeptem millibus minus. argentũ ualet aureorum Vngaricorum MXVIIICLXXXI. ſemuncialem unũ, duodenarios quinqꝫ, duplos duos, ſimplũ unum: aurum uero, Vngaricorum ſeptuagies ſepties centena ſeptuaginta quatuor millia ducentos quinquaginta. Sed C. Aſinio Gallo, C. Martio Cenſorino Coſs. (ſcribit Plinius lib. XXXIII. cap. X.) ad VI. Cal. Febr. C. Cæcilius Claudius Iſidorus teſtamento ſuo edixit, quamuis multa ciuili bello perdidiſſet, tamen relinquere ſeruorum quatuor millia centũ XVI. iuga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris CCLVII. millia. in numerato H-S. DC. M. funerari ſe iuſsit XI. M. alterius ſummæ precium ſunt aureorum Vngaricorum centies quadragies quinquies centena quadraginta quinqꝫ millia quadringenti quinquaginta quatuor, ſemuncialis unus, duodenarij ſeptem, dupli tres, ſimplus unus: alterius, Vngaricorum CCLXVI DCLXVI. & unus uncialis. Craſſus autem cum, priuſquam aduerſus Parthos exercitum duceret, ad calculos reuocaſſet bonorum ſuorum facultates, comperit eas talentũm ſeptem millibus æſtimari poſſe: etſi iam Herculi decimam partem conſecraſſet, atqꝫ epulum priuatim populo Ro. & ſingulis ciuibus annonam trium menſium dediſſet, autor Plutarchus. quam pecuniæ ſummam taxamus aureorum Vngaricorum tricies quinquies centenis ſexaginta tribus millibus ſexcentis triginta ſex, ſemunciali uno, duodenario uno, ſimplo uno. At Plinius ibidem ſcribit eum in agris H-S bis millies poſſediſſe. id eſt aureorum Vngaricorũ quadragies octies centena quadraginta octo millia quadringentos octoginta quatuor. uncialem unum, duodenarios ſex, duplos tres. Sed Pallantem Claudij Cæſaris libertum H-S ter millies poſſeſſorem fuiſſe Cornelius Tacitus annalium monumentis mandauit: & Senecæ, quod totidem millia ſeſtertiũm intra quadriennium ex Nerõis amicicia ſibi parauiſſet, Suillius eius inimicus exprobrat apud eundem Tacitum lib. XIII. quæ efficiunt aureorum Vngaricorum bis & ſeptuagies centena ſeptuaginta duo millia ſeptingentos uiginti ſeptem, duodenarios nouem, duplos quatuor, ſimplum unum. Lentulus uero augur (ipſa Senecæ uerba pono, quæ ſunt in libro II. de beneficijs) diuitiarum maximum exemplum, antequam libertini illum pauperem facerent, quater millies ſeſtertiũm ſuum uidit. quæ ſumma ualet aureorũ Vngaricorũ nonagies ſexies centena nonaginta ſex mil-

lia nongẽtos ſexaginta nouem,uncialem unum, duodenarium unum, ſimplum unum. Dixi etiam de priuatorum hominum diuitijs,nunc dicam de cenſibus. Solon quidem annuo fructu, quem Athenienſes ex agris caperent,ſuæ ciuitatis ordines partitus eſt.etenim eis qui tantos agros poſsiderent, ut quotannis ferrent tot frumenta & liquores, uinum ſcilicet & oleum,quot quingenti medimni uel metretę comprehenderent,primum ordinem aſsignauit: eis, qui tantos ut ſingulis annis tot quot trecenti medimni uel metretæ caperẽt,ſecundum: eis, qui tantos,ut annuo tempore ferrent tot frumenta aut liquores, quot ducenti medimni uel metretæ capaces eſſent, tertiũ:eis, qui nullos agros poſsiderẽt,quartũ.primi ex quingẽtis medimnis πεντακοσιομέδιμνοι ſunt nominati: alteri ex alendis equis,equites: tertij ex iungendis, iugales:quarti,mercenarij.eos,qui ex quingentis medimnis nomen duxerunt, quotannis talentum in remp. ſumptum feciſſe Pollux tradit: equites, dimidium talentum:iugales, decem minas: mercenarios, nullum. quibus ſolis magiſtratum non mandarunt. Solonem ſecutus uidetur Seruius Tullus rex.eum primo Romæ inſtituiſſe cenſum, & ciues pro bonorũ facultate in claſſes deſcripſiſſe Liuius optimus autor ſcribit. prima autem claſsis centum milliũ æris, aut maiorem cenſum habuit: ſecunda, quinq; & ſeptuaginta millium:tertia, quinquaginta: quarta,quinq; & uiginti: quinta, undecim. Quoniam uero decem id genus aſſes librales ualuerũt denariũ, cui pondus erat drachmæ unius & dimidiæ,centum millia æris ualuerunt decem millia denariorũ.quorum precium ſunt unciales MDCCCCIX.duodenarij duo,duplus unus: ſeu Vngaricorum MCCLXXII. uncialis unus,duodenarij duo,ſimplus unus.quinq; uero & ſeptuaginta millia æris ęſtimati ſunt denariorum ſeptem millibus quingentis,qui ualent unciales MCCCCXXXI. ſemuncialem unum,duodenarios ſeptem,duplos tres,ſimplum unum:aureorum Vngaricorum DCCCCLIIII. ſemuncialem unum, duodenarios ſeptem,duplos tres, ſimplum unum. At quinquaginta millia æris taxarunt quinq; millibus denariorũ.quorum preciũ ſunt unciales DCCCC LIIII.ſemuncialis unus,duodenarius unus,ſimplus unus.ſed aurei Vngarici DCXXXVI.ſemuncialis unus, duodenarius unus,ſimplus unus. Verum quinq; & uiginti millia ęris ualuerunt denariorum duo millia quingentos,qui æſtimãtur uncialibus CCCCLXXVII. didrachmo uno, duplis ſex,dimidia ſimpli parte: aureis uero Vngaricis CCCXVIII. didrachmo uno,duplis ſex, quarta ſimpli parte. Vndecim autem millia æris ualuerunt mille denarios & centum,qui taxantur uncialibus CCX aureis Vngaricis CXL. Sed populus Romanus poſtea diſtributus fuit in plebẽ,in equites,in ſenatores. plebs pedeſtres ſuppeditabat copias: equites exercitus equitatu inſtruebant: eoſdem ducebant ſenatores, præerant claſsibus,domi etiam remp. adminiſtrabant. equitũ inſigne

erat

erat annulus aureus, senatorum lunati calcei & latus clauus. differebāt inter se censu. quadringenta enim millia sestertiûm erant census equitis, senatoris octingenta. utricꝫ licebat sedere in XIIII. ordinibus proximis orchestræ. quadringenta autem millia sestertiûm fuisse censum equestrē ex scriptorū uerbis potest intelligi. Plinij quidē hęc, quę sunt lib. XXXIII. cap. II. id aperte indicāt. Hac de causa constitutū ne cui ius (induendi scilicet annulos) id esset, nisi cui ingenuo ipsi patri auoꝫ paterno H-S CCCC. census fuisset, & lege Iulia theatrali in XIIII. ordinibus sedendi. ac Tranquilli in Iulio. promissumꝫ ius annulorum cum millibus CCCC. distulit. Item Horatij in prima epistola.

Si quadringentis sex, septem millia desunt
Est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesꝫ,
Plebs eris.

Id est in XIIII. ordinibus, ut Acron exponit, non sedebis. Idem significat Iuuenalis Satyra I.

quincꝫ tabernæ
Quadringenta parant, quid confert purpura maius? Tot autem millia sestertiûm ualent uncialium $\overline{\text{XIIII}}$DXLV. duodenarios decem, duplos quincꝫ: aureorum uero Vngaricorū $\overline{\text{IX}}$DCXCVI. uncialem unum, duodenarios decem, duplos quincꝫ. Sed primum octingenta millia sestertiûm fuisse senatoris censum, deinde dimidia parte auctum ab Augusto duodecies sestertiûm his uerbis declarat Tranquillus. Senatorū censum ampliauit, ac pro octingentorum millium summa duodecies H-S taxauit suppleuitꝫ non habentibus. itaqꝫ census senatoris preciū sunt uncialium $\overline{\text{XXIX}}$XC. semuncialis unus duodenarij nouem, dupli quatuor, simplus unus. aureorum uero Vngaricorum $\overline{\text{XIX}}$CCCXCIII. uncialis unus, duodenarij nouem, dupli quatuor, simplus unus. at census senatoris auctus ualet uncialiū $\overline{\text{XLIII}}$DCXXXVI. duodenarios octo, duplos quatuor: aureorum autem Vngaricorum $\overline{\text{XXIX}}$XC. uncialem unum, duodenarios octo, duplos quatuor. Iam reges & resp. ut nationes, quæ in eorum ditione erant, tuerentur, atqꝫ etiā alijs regna adimerent, bella gesserunt. sed stipendiū non idem militibus numeratum est ab omnibus regibus ciuitatibusqꝫ: nec idem ab uno eodemꝫ rege uel ciuitate diuersis temporibus: nō pediti idem quod equiti persolutum: nō pediti idem datum quod centurioni: nō equiti idem decretum quod magistro equitum: non miles classis eodem affectus, quo præfectus, ναύαρχον Græci uocant. etenim Cyrus minor cum Græci qui in eius exercitu militabāt, ab eo peterent ut ipsis stipendium decerneret, sesquialterum, ut scribit Xenophon, se promisit persoluturum: nimirum quoꝫ mense pro Darico Daricum unum & dimidiū. At Timasion Dardanensis ijsdem Græcis singulis, si à Ponto soluerent, menstruum stipendium Cyzicenum unum, ut idem Xenophon autor est,

se

se daturum recepit: Seuthes item si auxilijs eum suis adiuuarēt ad hoc ut in paternum regnum Odrysorum restitui posset. Legati uero Lacedæmoniorum, si Tysaphernem cōmunem hostem ulciscerentur, Daricum. Lacedæmonijs etiam, cum Olynthijs bellum facerent, cum socijs conuenit, ciuitatibus, quæ uellent, licere argentum dare pro militibus: & triobolum quidem Æginęum pro singulis peditibus. quod ualet quinq; obolos Atticos. Sed Athenienſium milites, qui Potidææ in præsidijs erant collocati, binas meruisse drachmas: alterā suo, alteram famuli nomine Thucydides scriptū reliquit. itaq; ex his intelligimus Daricum unum in singulos pedites Græcos, cum bella gererent in Asia, quoq; mense distributum fuisse: atq; ita singulis diebus meruisse tetrobolum Atticum. quanq; Cyrus cum bellum Artaxerxi fratri inferret, ut eius obsequerentur uoluntati singulis mensibus peditī Græco numerauit Daricum unum & dimidiū. id est quoq; die drachmam Atticam. Quando autem ijdem Gręci bellum fecerunt in Ponto & in Thracia pedes meruit Cyzicenum. quia uero is ualebat Atticas drachmas octo & uiginti, meruit singulis diebus obolos Atticos quinq; & dimidium, minuta quatuor, & quintam minuti partem. attamen cum Athenienses Potidæam armis & præsidijs tenebāt, unoquoq; die militis merces erat integra drachma Attica. Atq; ea etiam peditis, qui Cyrum sequebatur, merces fuit. At Romanos quoq; die in singulos pedites dedisse denos asses declarat Cornelius Tacitus lib. I. annaliū. nam apud eum cum Percēnius gregarius miles post obitum Augusti Pannonicas legiones querimonia, quā habet de militū laboribus & erumnis, exacuit ad seditionem concitandā sic loquitur. enimuero militiam ipsam grauē, infructuosam, denis in diem assibus animā et corpus æstimari. Quapropter deinde seditiosi isti milites & turbulēti per Clementē cēturionē à Druso inter cętera petunt, ut denarius diurnū stipendiū foret. nā is iam ab illo tempore, quo Annibal Romanos bello diuturno exitiosoq; pressit, XVI. assibus permutatus fuit. itaq; id quod Plinius scribit lib. XXXIII. cap. III. In militari tamen stipendio semper denarius pro decem assibus datus, his temporibus, ut arbitror, factū est quibus asses cœperunt fieri unciales & XVI. ualere denarium. an uero hic stipendij persoluendi mos à consulibus an à Iulio Cæsare immutatus fuerit nescimus. certe ex Taciti loco, cuius iam fecimus mentionē, satis apparet Augusti temporibus pedites nō meruisse denarium, sed decem asses, qui tunc erant semunciales. Anno autem ab urbe condita CCCXLIX. P. Cornelio Cosso. II. & C. Cornelio Cosso. III. Cos. postq; exercitus Romani diripuerunt Anxur captum, decreuit senatus, quod tradit Liuius, ut stipendium miles de publico acciperet: cum ante id tempus de suo quisq; functus eo munere esset. Prætorianos autem milites singulos singulis diebus meruisse binos denarios ex his Percēnij

uerbis

uerbis, quæ item ſunt apud Tacitum poteſt intelligi. An prætorias cohortes, quæ binos denarios acceperint, quæ poſt ſexdecim annos penatibus ſuis reddantur, plus periculorum ſuſcipere? non obtrectari à ſe urbanas excubias, ſibi tamen apud horridas gentes è contubernijs hoſtem aſpici. Similiter legati Lacedæmoniorum, quod memoriæ prodidit Xenophon lib. VII. de Cyri aſcenſu ad Babylonem, promiſerunt ſe daturos duci manipuli, quem Græci λοχαγὸν uocãt, duplex ſtipendium. duci exercitus, quem στρατηγὸν, quadruplex. Atq; ita ſe habet ſtipendium peditum. Equites autem Romani, ut Liuius lib. VII. ab Vrbe condita tradit, aliquando meruerunt triplex ſtipendium: Græci, quadruplex. nã Lacedæmonios & ſocios decreuiſſe ut cui ciuitati placeret, ea pro equite quadruplũ, id eſt duodecim obolos Æginæos daret, Xenophon autor eſt lib. I. rerum Græcarum. Sed Cyrus maior de auro ſignato, quod Aſsyrij regis uicti & optimatum quæſtores allaturi erant, iuſsit numerari equiti duplum, peditì ſimplum, ut idem Xenophon tradit lib. IIII. de eius diſciplina. At ſingulis militibus claſsis, cui præfuit Lyſander Lacedæmonius, Cyrum iuniorem, quoq; die triobolum Darij patris iuſſu dediſſe idem Xenophon in primo rerũ Græcarum libro ſcriptum reliquit. ueruntamen à Lyſandro rogatus ad id obolum addidit. ſed drachmam Atticam, quam, ut cuiq; militi daret Cyrus, ab eo petijt Lyſander, nõ dedit. ſed eam Athenienſes etiam id genus militibus æque ac illis, qui Potideæ in præſidijs erant collocati, dediſſe Thucydides autor eſt. Nunc ueterum ſtipendia inter ſe & cum ſtipendijs huius temporis conferamus. menſtruum peditis Græci ſtipendium maximum fuit Daricus unus & dimidius: medium, Cyzicenus: minimum, Daricus: ſiue, quod idem eſt, diurnum maximũ drachma: medium, oboli Attici quinq; & dimidius, minuta quatuor, et quinta minuti pars: minimũ, tetrobolum. At peditis Romani ſtipendium diurnum fuerunt aſſes decem. pro quibus quamdiu denarius fuit datus, quod ei primum pondus eſſet drachmę Atticæ unius & dimidię, deinde drachmæ unius & ſeptimæ eius partis, diurnum peditis Romani ſtipendium longe ſuperauit id quod uel Perſæ uel Græci dederunt. ſed ut tunc præſtitit alijs omnibus, ita poſtea cum aſſes facti ſunt ſemunciales, & XVI. ualerent denarium, nec amplius pro decem aſsibus datus eſt denarius, non multum tetrobolum precio excellebat.

Noſtris his temporibus in Germania quatuor & octoginta nummi duodenarij Miſeni, aut CCXL. crucigeri ſunt peditis ſtipendiũ: bombardarij autem, quem alij ſclopetariũ nominant CV. nummi duodenarij aut CCC. crucigeri. Itali plerunq; Germanis maius ſtipendiũ perſoluunt. ſimiliter Galli. qui interdum ſingulis dant ſeptenos Francicos ut Budæus ſcribit: nec mirũ cum in longinquis regionibus militent. quin in Germania quoq; nobiles & hi quorum uirtus militiæ fuit cognita

duo

duo uel tria uel quatuor merent ſtipendia: ſigniferi uero, decem: præfecti uexillorum, uiginti. Cum autem LXXXIIII. nummi Miſeni duodenarij ualeant drachmas Atticas XXVIII. & obolos quatuor ac ferè quinq; chalcos, perſpicuum eſt Græcos pedites quibus ſingulis menſibus numeratus eſt Daricus unus & dimidius: ſiue ſingulis diebus drachma Attica, maius quàm in Germania pedites meruiſſe ſtipendium. nam eis drachmam & obolum & chalcum plus dederunt quàm noſtri dare ſolent. At quibus ſingulis menſibus fuit numeratus Cyzicenus, & quibus diurnum ſtipendiũ fuit triobolum Æginæũ, ac uero etiam quibus menſtruum ſtipendium fuit Daricus, ſiue diurnũ tetrobolum Atticum, hi omnes minus quàm milites in Germania meruerunt ſtipendiũ. etenim noſtris drachma una, obolus unus, chalcus unus plus dãtur quàm primis: drachmæ tres, oboli tres, ferè minuta quinq; plus quàm ſecundis: drachmę octo, oboli quatuor, chalci quinq; plus q̃ tertijs. At hodie inter ſtipendium quod numeratur equiti leuis armaturæ & id quod datur equiti grauis armaturæ diſcrimen eſt. etenim hi triplex merent ſtipendium, illorum uero quidam duplex. quales equites ſunt Vngarici. bombardarij autem æque ac grauis armaturæ equites triplex merent. Sed militi claſsis idem ſtipendium quod pediti perſoluitur. Dicam hoc in loco de ſtipendijs quoq; & mercede quam numerarũt & reges & ciuitates & priuati homines medicis, aduocatorib. rhetoribus, alijſq;. Medicis CCL. H-S annua mercede fuiſſe apud principes: Stertinio autẽ D. & totidem fratri tradit Plinius lib. XIX. cap. I. Prior ſumma, ad quam poſterior duplam habet proportionem, efficit Vngaricorum VILX. ſemuncialem unum, duodenarios nouem, duplos quatuor, ſimplum unum. Hodie celeberrimis medicis uel imperatoris uel Romani pontificis uel regum mille aurei Vngarici ſunt annuum ſtipendium: medicis principum ducenti aut trecenti. Idem Q. Stertinius, ut etiam Plinius autor eſt, H-S ſexcena annua ſibi quæſtu urbis fuiſſe numeratis domibus oſtendebat, quot millia ſeſtertiũm efficiunt Vngaricorum XIIIIDXLV. ſemuncialem unum, duodenarios quatuor, duplos duos. Qui hodie Venetijs uel Romæ maximos quæſtus faciunt medendo ęgris, raro ex ea re pecuniã maiorem quàm duo millia Vngaricorum annuo ſpacio redigunt. Nobilium autem medicorum qui in Italia publice docent annua merces ſunt ſexcenti aurei: iuriſconſultorum, octingenti. attamen Matthæo Curtio medico Patauij octingenti aurei numerati ſunt: Decio iuriſcõſulto Piſis mille ducenti: Carolo Ruillio item iuriſconſulto Bononiæ mille ducenti unus. Sed redeo ad ueteres medicos. Manilium Cornutum ex prætorijs legatum Aquitanicæ prouinciæ H-S CC elocaſſe in impetigine curandum ſeſe Ægyptijs medicis autor eſt Plinius lib. XXVI. cap. I. Idem Plinius ſcribit lib. XXIX. cap. I. Eraſiſtratum Antiocho rege ſanato C. talentis

talentis donatũ esse à rege Ptolemæo filio eius. Aduocatis etiam, ut æquum erat, honos habebatur. licebat uero eis edicto Claudij usq; ad dena H-S accipere, quæ egressi repetundarũ tenebantur, quod Cornelius Tacitus annalium lib. XI. memoriæ prodidit, idem ferè declarãt hæc Vlpiani uerba, quæ sunt in lib. XII. digesti noui cõstitutione XIII. nam etiam ipse loquitur de honorario aduocatorum. Si uero post causam actã cauta est honoraria summa, peti poterit usq; ad probabilem quantitatem, etsi nomine palmarij cautum sit, sic tamẽ ut cõputetur, id quod datum est cum eo quod debetur, ne utrunq; compositũ licitam quantitatem excedat. licita autem quantitas intelligitur pro singulis causis usque ad centum aureos. Quoniam uero Claudij temporibus Romani legitimis denarijs & sestertijs utebantur, dena sestertiũm millia ualent Vngaricos ducentos quadraginta duos semunciale unũ, duodenarios tres, duplum unum, simplum unum. Centum uero aurei æstimantur aureis Vngaricis centum & nonaginta, atq; sexaginta mo mentis. nam Alexandri Seueri temporibus, qui Vlpianum, ut scribit Aelius Lampridius, pro tutore habuit, aureus erat duarum drachmarum. Sed Vespasianus Augustus primus è Fisco, ut tradit Suetonius Tranquillus, Latinis Græcisq; rhetoribus annua centena constituit. ea uero ualent aureorũ Vngaricorũ IICCCCXXIIII. duodenarios octo duplos quatuor. Pompeius uero magnus Rhodi audiuit sophistas, Athenis philosophos, & singulos donauit talento. autor Plutarchus. Quin Roscius ille nobilis comœdus apud maiores ait Plinius lib. VII. cap. XXXIX. H-S quingenta annua meritasse proditur. quæ taxamus aureorum Vngaricorũ XIICXXI. duodenarijs septem, duplis tribus, simplo uno. Sed Macrobius scribit: mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus solus accepit. quæ quoq; anno efficiunt aureorum Vngaricorum XXXV CCXCVI. uncialem unum, duodenarios decem, duplos quinq;. Iam reges & resp. & priuati homines diuitijs abundantes alijs etiam modis liberalitate sunt usi. aliqui uero, sed maxime priuati, largitione officium omne peruerterunt. exempla, quorum summas sum explicaturus, plura ponam ex Suetonio Trãquillo. Octauius Cæsar Augustus in cellam Capitolini Iouis XVI. millia pondo auri, gemmasq; ac margaritas quingenties H-S una donatione contulit. tot autem millia pondo auri, si hic purum accipimus, ualẽt aureorum Vngaricorum MCCCCXCVCCLXXII. momenta XLVIII. Alterius uero summæ precium sunt Vngaricorum MCCXII CXXI. duodenarij septem, dupli tres, simplus unus. Vt autem Octauius liberalis fuit & pius uoluit esse, ita Iulius largitor & prodigus. qui Seruiliæ M. Bruti matri sexagies H-S margaritam mercatus est. quam summã taxamus aureorum Vngaricorum CXLVCCCCLIIII. semunciali uno, duodenarijs septem, duplis tribus, simplo uno. Sed C. Cæsar Caligula profu-

dit pecunias. nam totum Tiberij Cæsaris uicies & septies millies non toto uertente anno absumpsit. quam summam æstimamus aureorum Vngaricorum sexcenties quinquagies et quater centenis quinquagin ta quatuor millibus quingentis quadraginta quinqꝫ, semunciali uno, duodenarijs quatuor, duplis duobus. Et Nero Claudius Cæsar sum ptum profusum fecit in Tirydatem Armenię regem. etenim octingen ta nummûm millia diurna erogauit, abeunticꝫ super H-S millies contu lit. quæ summa, ut diurnum sumptum non explicem, efficit aureorum Vngaricorum MMCCCCXXIIII CCLII. semuncialem unũ, duodenarios tres, duplum unum, simplũ unum. Idem tamen Nero cladem Lugdu nẽsem, ut Cornelius Tacitus lib. XVI. scribit, quadragesies H-S solatus est, hoc est, aureorũ Vngaricorũ XCVIDCCCCLXIX. unciali uno, duo denario uno simplo uno. At Lucullũ in cœnã, quam Ciceroni & Pom peio dedit, impendisse quinquaginta millia drachmarũ, siue potius de nariorũ Plutarchus tradit. quot denarij ualent aureorũ Vngaricorum IIIIDCCCXLVIII. semuncialem unũ, duodenarios quinqꝫ, duplos duos, simplum unũ. Cleopatra uero una cœna centies H-S absumpsit: ni mirum alterũ unionem, ut est apud Plinium lib. IX. cap. XXXV. cuius precium sunt aureorum Vngaricorũ CCXLIICCCCXXIIII. duodenarij octo, dupli quatuor. Atqꝫ etiam centies H-S cœnasse C. Cæsarem Ca ligulam Seneca scriptũ reliquit in libro De consolatione ad Albinam matrem suam. Sed Clodij Æsopi tragici histrionis patinam sexcentis H-S taxatam fuisse Plinius prodidit lib. X. cap. LI. quæ ualẽt aureorum Vngaricorũ XIIIIDXLV. semuncialem unũ, duodenarios quatuor, du plos duos. In illam aũt patinam eum posuisse aues cantu aliquo, aut hu mano sermone uocales, millibus senis singulas coemptas, idem autor est. tot uero nũmi ualent aureos Vngaricos CXLV. semuncialem unũ, duodenarios quatuor, duplos duos. Sed Apicium H-S millies in cu linam cõgesisse item Seneca in lib. De consolatione ad matrem Albi nam memoriæ mandauit. cuius summæ precium sunt ut supra dixi au reorum Vngaricorũ MMCCCCXXIIII CCXLII. semuncialis unus, duode narij tres, duplus unus, simplus unus. Alexandrum autem magnum singulis diebus in cœnam, ad quam uocauit sexagenos, aut summum septuagenos cõuiuas, expendisse centenas minas Ephippus Olynthi us tradidit, ut est apud Athenæũ lib. IIII. Hæ uero efficiunt aureos Vn garicos DCCCXLVIII. semuncialem unũ, duodenarios quinqꝫ, duplos duos, simplũ unum. Verum apud regem Persarum, ut Ctesias & Di non in historijs Persicis tradiderunt, quindecim millia hominum cœ narunt. in ea uero cœna quadringenta talenta cõsumpsit ut idem Athe næus autor est. quæ ualent aureorũ Vngaricorum CCIIIDCXXXVI. se muncialem unum, duodenariũ unum, simplum unum. Iam quanta fuerint rerum precia spectabimus, ac primo hominum. Plinius scribit

lib.

lib. VII. cap. XXXIX. Precium hominis in seruitio geniti maximum ad hanc diem (quod equidem compererim) fuit grãmaticæ artis Daphnidis Cn. Pisaurensi uendẽte, & M. Scauro principe ciuitatis H-S MDCC. licente, ea efficiũt aureorũ Vngaricorũ XLIICCXII. duodenarios quatuor, duplos duos. Deinde precium libidinis non formæ fuisse Pæzontem è spadonibus Seiani H-S MD. mercante Sutorio Prisco. ea ualent aureorũ Vngaricorum XXXVI CCCLXIII. semuncialem unũ, duodenarios decẽ, duplos quinq;. Vinitor uero alioqui in primis fuit precioſus. nã emptũ fuisse sex uel octo millibus sestertiũm scriptũ reliquit Columella in lib. III. cap. III. Sex autem millia sestertiũm permutarent, ut supra quoq; dixi, aureis Vngaricis CXLV. semuncialibus uno, duodenarijs quatuor, duplis duobus. octo uero millia sestertiũ ualerent aureos Vngaricos CXCIII. uncialem unum, duodenarios nouem, duplos quatuor, simplum unum. At seruum Calliodorus uendidit mille ducentis sestertijs. quorum precium sunt aurei Vngarici XXIX. duodenarij tres, duplus unus, simplus unus. Sed Martialis nihil dicit de munere quod seruus iste exequebat. eius hi sunt uersus in lib. X. Epig. in Callio.

Addixti seruum nummis here mille ducentis
Vt bene cœnares Calliodore semel.
Nec bene cœnasti, mullus tibi quatuor emptus
Librarum cœnæ pompa caputq; fuit.
Exclamare libet, non est hoc improbe, non est
Pisces, homo est, hominem Calliodore uoras.

Sed quanti temporibus Iustiniani æstimati sint serui ad diuersorum officiorũ munera instructi, ipse explicat his uerbis lib. VI. Codicis constitutione XLIII. quæ inscribitur: Cõmunia de legatis & fidei cõmissis & de in rem missione tollenda. Seruis quidẽ & ancillis maioribus decem annis si sine arte sint XX. solidis æstimandis, minoribus uidelicet decem annis nõ amplius quàm X. solidis cõputandis. Sin autem artifices usq; ad XXX. solidos æstimationes eorum procedente siue masculi siue fœminę sint, exceptis notarijs & medicis utriusq; sexus. cum notarios quidẽ L. solidis æstimari uolumus, medicos aũt & obstetrices LX. eunuchis minoribus quidem decem annis usq; ad XXX. solidos ualentibus, maioribus uero usq; ad L. sin autẽ artifices sint usq; ad LXX. Sed quia tales solidi, ut dixi, ualent Vngaricũ atq; decem & octo momẽta, decem solidi æstimantur duodecim Vngaricis & octo ac quadraginta momentis: uiginti, Vngaricis quinq; & uiginti, atq; triginta momentis: triginta, Vngaricis octo & triginta, ac momentis duodecim: quinquaginta, Vngaricis tribus & sexaginta, atq; duobus & quadraginta momentis: septuaginta, Vngaricis nouem & octoginta, atq; momentis sex. Nunc de precio reliquarũ animantiũ dicam. Equus Alexandri regis & capite & nomine Bucephalus fuit: emptum Cares scripsit

talẽtis XIII. & regi Philippo donatũ. æris noſtri ſumma eſt H-S CCCXII autor Gellius lib. V. cap. II. ualet igitur Vngaricorũ VIDCXVIII. duodenarios ſex, duplos octo. Scrofa apud Varronẽ lib. II. De re ruſtica dicit ſua memoria aſinũ ueniſſe H-S millibus LX. & unas quadrigas Romæ conſtitiſſe quadringentis millibus. prior ſumma ualet Vngaricos MCCCCLIIII, ſemuncialẽ unum, duodenarios ſeptem, duplos tres, ſimplũ unũ: poſterior uero, ut ante quoq; cum preciũ cenſus equeſtris explicarem, dixi, aureorũ Vngaricorum IXDCXCVI. uncialem unũ, duodenarios decem, duplos quinq;. Sed pauonem quinquaginta denariſs uenditũ fuiſſe tradit idem Varro lib. III. De re ruſtica. quorũ precium ſunt Vngarici quatuor, uncialis unus, duodenariſ ſex dupli tres. Ibidẽ ſcribit L. Axiũ equitem Romanũ par columbarũ ſe minoris quadringentis denariſs daturum negaſſe. qui efficiunt Vngaricos XXXVIII. uncialem unum, duodenarios quatuor, duplos duos. At Aſinius Ceſer, ut eſt apud Plinium lib. IX. cap. XVII. mullũ mercatus eſt H-S octo millibus. quæ ualẽt Vngaricos CXCIII. uncialem unum, duodenarios nouem, duplos quatuor, ſimplũ unum. Dicam quoq; de aliarũ rerum precio. quod ſingulis Perſicis tricenos nũmos fuiſſe ſcribit idem Plinius lib. XV. cap. XII. hi faciũt uncialem unum, duodenarios duos, ſimplum unum. Plato tres libros Pythagoricos de Philolao centũ minis emit, autor Diogenes Laertius. quarum preciũ ſunt Vngarici DCCCXLVIII. ſemũcialis unus, duodenariſ quinq;, dupli duo, ſimplus unus. Ariſtoteles uero emit Speuſippi libros tribus talentis, quæ ualent Vngaricos MDXXVII. duodenarios nouem, duplos quatuor, ſimplũ unũ. Precium aũt librorum quos combuſſerunt hi, qui magicas artes exercebant, erant, ut ſcriptum eſt actorum XIX. quinquaginta millia drachmarum. quæ taxantur Vngaricorũ IIICCXLII. ſemunciali uno, duodenariſs tribus, duplo uno, ſimplo uno. Plericq; optimates Romanorum magnifice habitauerunt. ſed eas ædes tantũ modo perſequar, quarum preciũ ſcriptores memoriæ prodiderunt. Cn. Domitiũ L. Craſsi domum æſtimaſſe ſexagies H-S Valerius Max. ſcribit lib. IX. cap. I. Ea ſumma ualet tot Vngaricos, quot ſupra dixi. Mario autem domus fuit ad Miſenum. quam Cornelia quinq; & ſeptuaginta drachmarũ millibus dicitur emiſſe: & paulo poſt L. Lucullus quingentis drachmarũ millibus & ducẽtis, ut Plutarchus in Mario ſcriptũ reliquit. quoniam uero denarios intelligit, prior ſumma efficit aureorũ Vngaricorũ VII CCLXXII. uncialem unũ, duodenarios duos, duplum unũ: altera uero Vngaricorũ XLVIIIDIIII. duodenarios octo, duplos quatuor. M. aũt Ciceronẽ in palatio domũ emiſſe H-S uicies tradit Gellius lib. XII. cap. XII. quorum preciũ ſunt aureorũ Vngaricorũ XLVIII CCCCLXXXIIII. uncialis unus, duodenariſ ſex, duplus unus. Sed P. Clodium H-S centies quadragies ſepties domo empta habitaſſe Plinius ſcribit lib. XXXV

cap.

cap. XV. ea ſumma ualet Vngaricorũ CCCLVI CCCLXIII. ſemuncialem unum, duodenarios decem, duplos qui ℔. Iam Alexander magnus Epheſtioni funus tam amplũ faciendũ curauit ut conſtaret decẽ millibus talentũm ut Plutarchus & Arrianus in lib. VII. ſcribũt: duodecim, ut Diodorus. decem ualent Vngaricorum MMMMMXC DCCCCIX. duodenarios tres, duplũ unũ, ſimplũ unum: duodecim uero Vngaricorũ MMMMMMCIX. XC. uncialem unum, duodenarios octo, duplos quatuor. Sed C. Cęcilius Claudius Iſidorus funerari ſe iuſsit H-S undecies ut eſt apud Plinium lib. XXXIII. cap. X. quorũ precium ſunt Vngaricorum XXVI DCLXVI. uncialis unus. Iam de ære alieno dicam. nam in id incidunt qui magnos ſumptus faciunt. Milonem H-S ſeptingenties æris alieni debuiſſe inter prodigia animi humani ducit Plin. lib. XXXVI cap. XV. Curionẽ uero filium ſexcenties H-S æris alieni contraxiſſe ſcribit Valerius Max. lib. IX. cap. I. Sed Cæſar dictator ære alieno oppreſſus dixit bis millies & quingenties centena millia ſibi eſſe oportere ut nihil haberet. autor Appianus in ſecũdo libro bellorũ ciuilium. prima ſumma efficit aureorũ Vngaricorũ MDCXCVI DCCCCLXIX. uncialem unum, duodenariũ unum, ſimplũ unũ, altera Vngaricorũ MCCCCLIIII DXLV. ſemuncialẽ unũ, duodenarios quatuor, duplos duos: tertia Vngaricorum MMMMMMLX. DCVI. duodenarios duos, duplũ unum. Auari aũt & ſumptuoſi nõnulli ſacrilegium admittunt & furtũ faciunt. etenim Craſſus bellũ facturus Parthis à templo Hieroſolymitano argenti duo millia talentũ abſtulit, auri talenta octo, & trabem aureã uerſatilem trecentas minas pendentem ut ſcribit Ioſephus Iudaicarũ antiquitatũ lib. XIIII. cap. XIII. tot quidẽ argenti talenta, Hebraica uero intelligimus, ualẽt Vngaricorũ MMMMLXXII. DCCXXVII. duodenarios nouẽ, duplos quatuor, ſimplũ unũ. Auri aũt octo talẽta æſtimãtur Vngaricorũ CLXXXIII CCCCXXIIII. momentis ſedecim. at trabem aureã taxamus Vngaricorũ LXVIII DCCLXXXIIII. & momentis ſex. Sed Cæſarem in primo conſulatu tria millia pondo auri furatũ è capitolio, tantundẽ inaurati æris repoſuiſſe Suetonius Tranquillus prodidit. quia uero lateres aurei uidentur fuiſſe, aurũ purum intelligimus, tria igitur millia pondo ualent Vngaricorũ CCLXXX CCCLXIII. atq; momenta duo & quadraginta. Aliqui autem auari exercent uſuram. eſt uero uſura fructus, qui ex pecunia, quæ alicui data eſt fœnori, percipitur. ita dicta, ut Varro ſcribit, quod ad ſortem uſu accedat. nã fœnerator utitur pecunia cum nullas emendi & uendendi mercaturas faciat. eadem nominatur fœnus, quaſi, ut autor eſt Nonius Marcellus, accepti fœtus: ut Græce τόκος, quaſi partus mutui ſumpti. nec mirũ cum Latini ſortem ſoleãt uiuum uocare, quod ea uel fœnus uel lucrum ex ſeſe pariat. quoniã uero τόκος etiam ſignificat partum, Strepſiades apud Ariſtophanem in Nubibus facete eludit fœneratorem ex eo quærens qualis

beſtiola ſit fœnus. Sortem uero, ſiue pecuniam quam creditores fœnerantur Græci nuncupant δάνειον & δάνεισμα. eandem etiã Ariſtophanes & Iſocrates ἀρχαῖον quod ex ea tanq; ex principio oriãtur uſuræ. quocirca Sidonius Apollinaris eas uocat poſteriora, quod ad priora adiungantur. Demoſthenes modo ἀρχαῖον nominat, modo ἀρχαῖον δάνειον, modo ἀρχαῖον δάνεισμα. id eſt principalẽ ſummã quæ fœneri dat: nunc uero κεφάλαιον ut etiã Plato, quod caput ſit fœnoris. Vſuræ aũt differũt tẽpore quo ducũtur uel pendunt: & magnitudine pecunię, quæ alia atq; alia redigit ex una ſorte eodẽ tẽporis ſpacio. ducũtur uero uſuræ cum præterijt definitũ tempus. uel ergo dies, uel mẽſis, uel annus. primo modo hodie Chriſtianis, poſtq; pignora dederũt, Iudæi etiam pecuniã fœnerãtur: alter mos Græcis & Romanis maxime fuit uſitatus: tertius nunc quoq; eſt pleriſq; omnibus Europæ incolis. etenim Chriſtiani Iudęis acerbiſsimis fœneratoribus uel ſingulis diebus, uel decimaquarta pendunt uſurã: Europę habitatores anno abſoluto: Græci pependerũt menſe perfecto. quod ex eiuſdẽ Strepſiadæ Ariſtophanei uerbis poteſt intelligi. ſimiliter Romani uſuram non raro ſoluerunt calendis & ijſdem pecuniam dederunt fœnori. quocirca Horatius ſic ſcribit in epodis de laudibus ruſticæ uitæ.

Hæc ubi locutus fœnerator Alphius
Iam iam futurus ruſticus
Omnem relegit idibus pecuniam
Quærit calendis ponere.

At nautica uſura, quã Iulius Paulus iuriſcõſultus uocat maritimam, penditur nauigatione perfecta. cui nõ poteſt eſſe tempus definitũ. nautica aũt ſors ſiue pecunia, quę fœnori datur, Græce ναυτικὸν δάνεισμα appellatur. Latine à iuriſcõſultis omnibus traiecticia dicitur, quod trans mare uehat: à Modeſtino uero etiã nautica. ea duplex eſt. aut enim per ſoluitur ipſa & uſura cum quis iſtinc nauigat illuc: uerbi cauſa ex Athenis Byzantiũ, ubi eo peruenerit: aut cum iſtinc naui aduehitur illuc, & rurſus illinc iſtuc ex nauigatione uenerit. id eſt ab Athenis Byzantiũ, & rurſus à Byzãtio Athenas. hæc ſors nautica, ut Harpocratio tradit, Græce uocatur ἀμφοτερόπλους: illa, ἑτερόπλους. Vſura igitur eſt uel diurna, uel mẽſtrua, uel annua, uel denicq; nõ tam tempus habet definitũ q̃ locũ in quo penditur, ut nautica. Menſtruæ uſuræ differentias primo perſequar: dein annuæ & diurnæ. In Græcia debitor ei, qui minam fœneratus eſſet, ſingulis menſibus dedit uel drachmã, quæ erat centeſima ſortis pars: uel drachmã & obolum, quæ à Græcis ἑφεκτὸς τόκος dicitur, quod præter uſitatam uſurã debitor fœneratori pendat partem eius ſextam: uel nouenos obolos, quæ erat centeſima ſortis pars & centeſimæ dimidia: uel ternas drachmas, quæ erant tres centeſimæ. tantas autem uſuras Græcos pependiſſe declarãt Demoſthenis & Lyſiæ orationes

tiones. Apud Romanos etiam debitor usurarius creditori menstruo spacio persoluit aut centesimam sortis partem: aut centesimæ, quæ assis instar in partes distribuitur, uel bessem, uel semissem, uel quincuncem, uel trientem, uel quadrantem, uel unciam. Centesimam dare singulis mensibus quondam legitimum fuit, grauius fœnus accipere fœneratores à debitoribus leges prohibuerunt. nam ære alieno oppressi interdum iniquissimo fœnore faciebant uersuram. bessis usura tertia parte leuior erat quàm centesimæ. semissis à Plinio ciuilis & modica uocatur. qua tolerabilior quincuncis, trientis æqua, quadrantis æquior, unciæ æquissima. Hermolaus Barbarus primus ex omnibus uiris doctis quid esset usura centesimæ explicauit, sed apertius & planius ferè totum usurarum genus explicarunt nobiles illi iurisconsulti eum secuti Guilielmus Budæus, Leonardus Portius, Bartholomæus Socinus, Andreas Alciatus, Antonius Augustinus. Quoniam uero Romæ fœneratores aliqui nõ singulis mensibus duxerunt fœnus, sed singulis annis, hinc orta est usura annua. quomodo si quis alicui fœneratus fuit centum asses, uel nummos argenteos aut aureos, & is illi spopondit centesimam, soluit quotannis duodenos asses, uel nummos argenteos aut aureos. istiusmodi usuram intelligit Plinius minor in epistola ad Traianum, cuius inscriptio est: de pecunia fœnebri. si uero spopondit centesimæ bessem, soluit octonos: si semissem, senos. de hac Serbidius Sceuola & Iulius Paulus loquũtur libro XXII digestorum: sin eiusdem centesimæ quincuncem, quinos, quam ibidem intelligit Paulus & Domitius Vlpianus: si trientem, quaternos, de qua sentit Paulus libro XI. digesti infortiati. ti. II. ad legem Falcidiam. ubi aperit sententiam Marcelli. si denique unciam spopondit, singulos. de hac scripsit Sceuola, ut est in libro secundo digesti infortiati Ti. VII. de administratione & periculo tutorum & curatorum, qui gessерunt uel non: & de agentibus uel cõueniendis ab uno uel à pluribus. At Iustinianus lib. quarto Codicis constitutione XXXII. de usuris dimidiam & tertiam centesimæ, ut mos est loquendi Græcorum, dicit, non semissem & trientem centesimæ. item libro III. Codicis constitutione XXXI. de petitione hæreditatis centesimæ quartam dicit, non quadrantem. Græcos autem ita loqui consueuisse satis apparet ex Ioannis iurisconsulti uerbis, quæ Viglius Zuichemus attulit in epistola ad Carolum imperatorem, qua illi Græcas Theophili institutiones iuris ciuilis dedicauit. etsi etiã apud Iulium Paulum, si eius uerba, quæ sunt in libro XXII. digestorum, titulo de usuris, non sunt mendose scripta, tertia centesimæ, non triens, legitur. Idem tamen Iustinianus constitutione XXXII. De usuris bessem centesimæ maluit dicere quàm duas centesimæ tertias. Quanquam autem usuræ, de quibus loquuntur iurisconsulti, pleræque omnes fuerunt annuæ, quod non singulis

menſibus, ſed anno uno aut pluribus abſolutis ducerentur, tamen centeſimæ uſuram, cuius reliquæ uſuræ licitæ partes ſunt, Græci & Romani primo pendebant ſingulis menſibus: & eius etiam hi, qui anno perfecto ducebant fœnus, habebant rationem. nam qui fœneratus eſt alicui centum aureos nūmos ſi menſtruo tempore ducit aureum nummum qui eſt centeſima ſortis pars, annuo ducet duodecim. quod fœnus hodie exercent mercatores in regionibus exteris. ſi menſtruo tempore ducit duas aurei tertias, quæ ſunt centeſimæ bes, anno ducet duodecies duas aurei tertias, id eſt octo aureos nummos. quomodo uſurarum nomine ſtipulari Iuſtinianus imperator concedit illis qui ergaſterijs præſunt, uel aliquam licitam negociationem gerunt: ſi menſe perfecto ducit dimidium aureum, qui eſt centeſimæ ſemis, anno abſoluto ducet ſex aureos. quomodo uſurarū nomine ſtipulari Iuſtinianus permittit omnibus hominibus, exceptis illuſtribus perſonis. atque talem uſuram hodie pendunt Boemi. ſi ſingulis menſibus ducit quinq; aurei duodecimas, quæ ſunt centeſimæ quincunx, ſingulis annis ducet quinq; aureos. quod fœnus Germanis uſitatum eſt. ſi menſtruo tempore ducit unam aurei tertiam, quæ eſt centeſimæ triens, annuo ducet quatuor aureos, quod fœnus trientarium Antoninum Pium exercuiſſe ut ſuo patrimonio plures adiuuaret, Iulius Capitolinus ſcribit. cuius exemplo Iuſtinianus fecit hoc ut iuberet illuſtribus perſonis, ſiue eas, utor eius uerbis, præcedētibus minime licere ultra tertiam partem centeſimæ uſurarum nomine in quocunq; contractu uili uel maximo ſtipulari. ſin autem quoq; menſe ducit quartam aurei partem, quæ eſt centeſimæ quadrans, quotannis ducet tres aureos. ſi deniq; ſingulis annis ducit duodecimam aurei partem, quę eſt centeſimæ uncia, ſingulis annis ducet aureum unum. quæ duo genera uſurarum maxime licitarum, ut Romanis quondam fuerint uſitata, ita nullos hodie iſtis modis nouimus pecuniam fœnerari. Vbi autem uel in iuriſconſultorum libris uel in decretis principum ſcriptum eſt de uſuris, nec ullum nummorum genus nominatur, in tot partes quot ſunt nummorū genera, quibus tunc utebantur, poteſt accipi. uſi uero ſunt Romani potiſſimum triplici genere nummorum, aureis ſcilicet, argenteis, æreis. itaq; quia Serbidius Sceuola floruit cum M. Antoninus philoſophus res Romanas adminiſtraret: Domitius Vlpianus, Iulius Paulus, Herennius Modeſtinus cum Alexander Seuerus, ſi creditores debitoribus fœnerati ſunt ſolidos aureos ſinguli illis temporibus pendebāt duas drachmas: ſi ſeſtertios, eis tum pondus erat quartæ partis drachmæ, quod denarij tunc penderent drachmam: ſin aſſes, hi erant ſemuncia les. atq; de id genus nummis ſentiūt illi iuriſconſulti cum nominatim proferunt aureos uel ſeſtertios uel aſſes: ut etiam ſequentes, Neratius ſcilicet Priſcus, qui in uita fuit cum Traianus Romæ regnaret: Iulius

Iubentius

Iubentius, Domitius Labeo, Aristo, Arrianus, Caius Cassius, Tertullianus, Saluius Iulianus, Sextus Cæcilius, qui uixerunt cum Adrianus Romanis imperaret: Volusius Metianus, Valens, Iabolenus, Marcellus, qui æuum egerunt cum in eosdem Romanos dominaretur Antoninus Pius: Terentius Clemens & Menander, qui horum ætati succesſerunt: Martianus, qui Didij Iuliani temporibus iuris scientia clarus fuit: Æmilius Papinianus, qui Septimij Seueri: Caius, qui Antonini Caracallæ: Hermogenianus, Põponius, Africanus, Fabius, Sabinus, Celsus, Florentinus, Triphonianus, Venuleius, Callistratus, qui uitã degerunt cum Alexander Seuerus esset in imperio. At cum ex iam dictis iurisconsultis aliquis testem citat Capitonem uel Labeonem Antistiũ, qui Octauiani Augusti temporibus floruerunt: aut Massurium Sabinum, uel Neruam, uel Caium Cassium Sabinum, qui Tiberij, si in eis fit mentio aurei, is pendebat duos denarios legitimos: si sestertij uel denarij, iusti erant ponderis: sin assis, ipse etiam erat semuncialis.

Verum in codice Theodosii uel Iustiniani & in authenticis si ponitur aureus solidus, is pendebat quatuor scripula: si denarius, drachmã: sin as, semunciam. In lib. II. codicis Theodosiani ti. XXXII. de usuris tale est decretum.

Imppp. Valẽtinianus, Theod. & Arcadius AAA. Cynegio PF.P.

Quicunq; ultra centesimam iure permissam aliquid sub occasione necessitatis eruerit, quadrupli pœna & obligatione constrictus sine cessatione, sine requie protinus ablata redhibebit. Hi uero qui antea pari furore grassati uspiam detegentur, in duplum extorta restituant. Data VII. Cal. Nouemb. Constantinopoli Honorio & Euodio Coss.

Quod decretum etsi de quocunq; nummorum genere tunc usitato potest intelligi, tamẽ quia interpres, nescio quis, id ad aureum solidum retulit, si creditor debitori fœneratus fuit centũ aureos solidos, singulis mensibus pendebat aureũ, quotannis uero duodecim aureos. quorũ ille erat centesima menstrua, hi annua. Interpres uero scribit. Si quis plus quàm legitima centesima continet, id est tres siliquas, in anno per solidum amplius debitori sub occasione necessitatis accipere uel inferre præsumpserit post datam legem sine ulla dilatione ea quæ amplius accepit constrictus quadrupli pœna restituet. ea uero quæ ante legem tali ratione data sunt, in duplum uolumus reformari. Ex quibus uerbis intelligimus interpretem sentire de annua centesima. ut autem concedamus aliquem annuo spacio unicum dedisse aureũ fœnori, quamuis dari non solet, tamen non annua aurei centesima, sed sexta & nonagesima pars efficit tres siliquas. etenim cum aureus solidus illis temporibus pependerit quatuor scripula, scripulum sex siliquas, siliqua quatuor grana frumenti, sequitur ut aureus pependerit sex & nonaginta grana frumenti. si igitur quoq; mense duxeris granum unum, quæ est

ſexta & nonageſima ſolidi pars, duces quotannis duodecim grana, quæ efficiũt tres ſiliquas. qua ratione is qui fuit fœneratus centum aureos, ſingulis menſibus ducet aureũ unum & quatuor grana, quotannis uero duodecim aureos & dimidium. quæ annua centeſima non eſt, ſed centeſima & eius quarta & uiceſima pars. itaque interpres iſte proprie non loquitur. nec mirum cum Conſtantinus Hermenopulus ſcribat ſuis temporibus in Thracia & Græcia, ut uidetur, centeſimæ uſuram dictam cum duodecim aurei in ſingulas libras, quæ conſtabãt ex aureis ſolidis LXXII. darentur. nam duodecim aurei non ſunt annua ſortis centeſima, ſed ſecunda & ſeptuageſima. quo modo ſi quis aureum ſolidum unum tantũmodo dedit fœnori, duxit annuo ſpacio quatuor ſiliquas: ſi centũ aureos ſolidos fœneratus fuit, duxit quotannis aureos ſolidos ſedecim & dimidium ac ſiliquas quatuor. quæ annua centeſima eſt, & centeſimæ quarta, atq; præterea dimidius aureus & quatuor ſiliquæ. Quondam certe præſides prouinciarum proſpiciebant, quod eos iubet facere Vlpianus, ne pecuniæ publicæ crederentur ſine pignoribus idoneis uel hypothecis. Noſtris uero temporibus homines pecunioſi certa pecunia ſic emunt reditus prædiorum uel oppidorum, ut uenditor quotannis definitam pecuniam numeret, cum ipſi prædia & oppida non poſsideant, quod ea non emerint. quæ emptiones ſpeciem quandam gerunt uſurarum annuarum. etenim in Germania centeſimæ interdum trientem, ſæpius quincuncem, rarius ſemiſſem: in Gallijs beſſem uenditor emptori, tanquam uſurarius debitor creditori perſoluit. uerum uſuræ non ſunt, quod mentis conditio iniquior ſit quàm uendentis. nam uenditori reditus prędiorum uel oppidorum eadem pecunia, ubi ei libitum fuerit, ab emptore redimere conceſſum eſt: ipſi uero emptori nec unquam ſortem repetere, nec prędium uel oppidum poſsidere licet. At diurnam uſuram nunc Chriſtiani ſolis pendunt Iudæis. nec hi ferè illis pecuniam ullam fœnerantur priuſquam dederint pignora, quæ pluris æſtimentur quàm ſors ipſa. pleriq; autem Iudæi ſingulis diebus, alij octaua die, nonnulli decimaquarta tantam ſortis partem ducũt, ut anno abſoluto uſura ſortem æquet, interdum etiam ſuperet. Nec nauticæ uſuræ una eſt ratio. etenim Athenis, ut ſcribit Demoſthenes, Lampis Phormioni nauigaturo in Pontum hac conditione dedit uiginti minas & uſurarum nomine ſexcentas drachmas ſtipulatus fuit, ut cum è Ponto rediret Athenas eam traiecticiam pecuniam redderet, ſimul & uſuram penderet. ea autem uſura eſt duarum centeſimarum & dimidiæ. quam omnes leges uetant. nam Papinianus iſtius generis creditoribus tantummodo binas centeſimas ait deberi: Iuſtinianus, ſingulas. Sacræ Hebræorum literæ omnino fœnerari prohibent: Plutarchus etiam deteſtatur fœneratores, & illud nos præclare admonet ne cũ iſtis cõtrahamus, multa etiam

in

in eandem ſententiã ſcribit Baſilius Magnus. Sed fœneratoribus per leges licet exigere uſuras centeſimæ & eius partium, quas iccirco iuriſconſulti licitas & legitimas nominant: uſurarum nomine centeſimam & dimidiam, binas, ternas, quaternas centeſimas ipſis ſtipulari non licet. quas uſuras ĩdem propterea uocant illicitas. nec etiam fas eſſe ait Martianus ſtipulari uſuras uſurarũ, quæ ab Ariſtophane in Nubibus τόκοι τόκων dicuntur. Cicero eam fœnerandi rationem ἀνατοκισμὸν appellat. ſcribit enim ad Atticum, qui centeſimis cum anatociſmo contentus non fuit. Poſtremo uitia & fraudes interdum tam Romani quàm Græci pecunĩjs mulctarunt. etenim Demoſthenes ſilentĩj, Harpalo uiginti talentis uenditi, conuictus quinquaginta talentis mulctatus eſt. uiginti quidem talenta efficiunt aureorum Vngaricorum X CLXXXI. uncialem unũ, duodenarios quinq;, duplos duos, ſimplum unum: quinquaginta uero Vngaricorum XXV CCCCLIIII. ſemunciale unum, duodenarios ſeptem, duplos tres, ſimplum unum. Sed Phileſius & Xanticles, ſcribit Xenophon lib. V. De Cyri aſcenſu ad Babylonem, XX. minis mulctati ſunt: Sophonetus, X. prior ſumma ualet aureos Vngaricos CLXVI. ſemuncialem unum, duodenarium unum, ſimplum unum: altera Vngaricos LXXXIII. didrachmũ unum, duplos ſex, dimidium ſimplum. Syllam autem Aſię, cum, fœdere facto cum Mithridate, eam recepiſſet, mulctam uiginti millium talentũm irrogaſſe Plutarchus memoriæ prodidit. quæ æſtimantur aureorum Vngaricorum decies centenis centum uno & octogin
ta millibus, octingentis decem & octo, atq; duode
narĩjs ſex, & duplis tribus.

Pagina 188. 189. τῶν φίλων &c. hoc est. Amico cuidam iussit dari quinq; & uiginti myriadas (drachmarum scilicet) hoc Romani decies uocant.

Pag. 189. καὶ ἔδωκεν &c. id est. Et dedit statim tunc ad quingenas drachmas.

Pag. 191. ἐρᾷ τις &c. hoc est. Quam quisq; norit artem, in hac se exercitet.

Pag. 192. ὑφ' ἅρμασιν &c. id est.

Equus in quadrigis, in aratro bos
Nauem ocyssime præuertitur delphinus
Apro cædem molienti
Inueniendus canis laborum patiens.

Pag. 235. ὁ δὲ κόκ. &c. hoc est. Siliqua habet quatuor grana frumẽti.

Ibidem ὁμ τοσίτου &c. id est. Frumenti semen aut granum.

Pag. 262. τὸ νόμισμα ἔχει &c. hoc est. Ex eo nomen reperit numisma, quod non natura, sed lege factum sit.

Pag. 263. καὶ μὴν &c. id est. Atqui in Agrigentinorum rep. inquit Aristoteles, quendam triginta libris esse mulctatũ. ualere uero libram obolum Æginæum. certe quidẽ apud eundem quis in Himerensium rep. & alia inueniet Siculorum nomina. ut unciam, quæ ualet æreum unum: & sextantem, qui duos æreos: & quadrantem, qui tres: & selibram, quæ sex.

Pag. 277. φορμίων &c. id est. Phormio autem ait se in Bosphoro Lampidi dedisse centum & uiginti stateres Cyzicenos, illic autẽ Cyzicenus ualebat octo & uiginti drachmas Atticas.

Pag. 290. Hebraica quæ sunt in libro ortus mundi cap. xx. hoc significant. Ecce dedi mille argenteos fratri tuo.

Ibidem. ἰδοὺ δέδωκα &c. hoc est. Ecce dedi mille didrachma fratri tuo.

Ibidem. Hebraica quæ sunt lib. II. regum cap. XVIII. Et meum fuisset tibi dare decem argenteos.

Ibidem. ἔφη τις &c. id est. Hoc cum uidisset quidam è militibus Dauidis indicauit Ioabo. & duce quinquaginta siclos se daturum fuisse dicente si Absalonem confodisset.

Ibidem. Hebraica: quinquaginta argenteos.

Ibidem. Hebraica quæ sunt lib. IIII. regum. cap. VI. Et fuit fames magna in Samaria. & ecce illi oppugnabant eam usq; dum caput asini (ueniret) octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinq; argenteis.

Ibidem

Ibidem. ὡς ὅτε &c. hoc est. Vt propter summam indigentiam in Samaria caput asini ueniret octoginta argenteis: utq; sextarium stercoris columbini pro sale quinq; argenteis emerent Hebræi.

Ibidem. Hebraicum gerah ὀβολὸν obolum.

VT ETIAM NVMERORVM NOTAE, QVIBVS VTOR, ab omnibus intelligi possint, ascribam uerba Valerij Probi, quæ eas declarant.

Omnis numerus per figuram unitatis repræsentari deberet. ut denarius per decem unitates IIIIIIIIII. Nouenarius per nouem IIIIIIIII. & sic de alijs. Verum quia hoc scriptori pariter, & lectori fastidium pareret, institutum est, ut omnis numerus usq; ad Quinarium per figuram unitatis scribatur. unitas per unū I. Binarius numerus per duo II. Ternarius per tria III. Quaternarius per quatuor IIII. Quanquã alij etiam sic IV. Quinarius uero per quintam uocalem V. notatur. à quo numero per adiectionem unitatum deinceps ad Denarium peruenitur. Denarius per decimam cõsonantem X. Et notandum, quod quantum I. addit postposita ad X. tantundem demit ei præposita. Quare si suppo nas I. ad X. habebis undecim: ut XI. Quod si præponas, habebis nouem: ut IX. Idq; de simplici unitate intelligimus, quæ semel tamen præponitur. Nam si postponatur, ter repeti potest. Quod autem de I. dixi mus, idem de X. & alijs notis, cum eas præponi, aut postponi contigerit, intelligatur. L. notat quinquaginta. ad imitationem Græcorum, qui per μ. id est N. hunc numerum scribunt. L. autem & N. inuicem sibi cedunt. ut Lympha, Nympha. Huic si præponas X. habebis quadraginta. Si postponas habebis sexaginta.

C. centum significat, quia prima litera eius numeri est.

D. Quingenta, quia, ut nonnullis placuit, post C, D subsequatur. uel, ut alijs, quia inter hanc & M. quod Mille significat, quinq; literæ intercedant, quæ dimidium millenarij numeri innuant. uel, quod magis placet, quia sit capitalis litera huius nominis dimidiū, quod dimidium millenarij significet. uel potius quia Antiqui hunc numerum per siniſtram partem M. notarent sic Λ. quæ nota penè D. similis est.

M. Mille, quia principalis est huius nominis litera. Et sciendum, quod quælibet figura, si ei iacens recta linea supraducatur, tot significabit millenarios, quot per se significat unitates. ut

$\overline{\text{I}}$	Mille unitates, id est mille significat.
$\overline{\text{V}}$	Quinq; Millia.
$\overline{\text{X}}$	Decem millia. & aliquando mille.
$\overline{\text{L}}$	Quinquaginta millia.
$\overline{\text{C}}$	Centum millia.
$\overline{\text{D}}$	Quingenta millia.
$\overline{\text{M}}$	Mille millia, & aliquando millia.

Hæc

Hæc Valerius Probus. Mille autem millia & decies centena millia idem significant, ut libro secundo de precio metallorum & monetis explicaui. Illud est apud Ciceronẽ lib. III. in Verrem, & Tranquillum in Cæsare: hoc Cicero utitur lib. IIII. in Verrem, & de eo sic scribit Plinius lib. XXXIII. cap. X. Non erat apud antiquos numerus ultra centũ millia. Itaq; & hodie multiplicantur hæc, ut decies centena millia, aut sæpius dicantur. Nam decies, uicies, tricies, quadragies, quinquagies, sexagies, septuagies, octogies, nonagies, centena millia dicitur: itẽ centies, ducenties, trecenties, quadringenties, quingenties, sexcenties, septingenties, octingenties, nongenties centena millia: quinetiã millies centena millia. quanquam hæc aduerbia sæpius separatim ab alijs duobus uerbis efferuntur. At quia μυριὰς Græcis significat decem millia, decem myriades idem sunt quod centum millia: centum myriades, idem quod mille millia, siue decies centena millia.

SEQVVNTVR QVARVNDAM MENSVRARVM ET PONDErum nomina Germanica: quanquam nostræ mensuræ capaciores sunt quàm ueteres Romanæ: & item nostra pondera grauiora quàm uetera.

Mensuræ liquorum.

Libra	ein pfundtmas in d apoteck	Vncia	vnze
Amphora	sechsstobichen	Vrna	drei stobichen
Congius	drei kannen	Sextarius	nossel
Hemina	halb nossel	Quartarius	meslein
Acetabulum	halbmeslein	Cyathus	zwei drittel eins halben mesleins
Ligula	löflein.		

Sed hoc discrimẽ est inter ueteres Romanas mensuras & Misenas. Sextarius Romanus capit libram nostram mensualẽ & uncias quinq; atque drachmas tres: Kempnicensis uero in se continet libram unam mensualem, & octo uncias mensuales: at Lipsensis duas libras. ex quo intelligi potest proportio quam reliquæ mensuræ Romanæ habeant ad nostras Kempnicenses, aut Lipsenses, aut alias Misenas.

Mensuræ rerum aridarum.

Modius	ein sechzehen teil eins schöffels		
Semodius	ein halbsechzehen teil eins schöffels		
Sextarius	ein mas	Hemina	ein halbs mas
Acetabulum	ein virtel eins halben masses		
Cyathus	zwei drittel eins virtels eins halben masses.		

Verum noster modius Kempnicensis ferè quindecim sextarios Romanos capit. Romanus igitur modius qui sedecim sextarios in se continet capacior est quàm noster modius. atq; ita mensura magna, quam nos Kempnicenses appellamus schöffel, capit modios Romanos fermè ad quindecim. Atq; quatuordecim mensuræ magnæ Kempnicenses

ſes capiũt paulo plus quam quindecim menſuras magnas Lipſenſes.

Pondera.

Libra	pfundt	Vncia	vnze
Sextans	zwů vnzen	Quadrans	drei vnzen
Triẽs	ein halbe marck/od vier vnzẽ	Quincunx	fünf vnzen
Semis uel ſelibra	ſechs vnzen	Septunx	ſiben vnzen
Bes	ein marck/ oder acht vnzen	Dodrans	neün vnzen
Dextans	zehen vnzen	Deunx	alf vnzen
Seſcuncia	anderhalbe vnze	Semuncia	lot
Sicilicus	halb lot	Drachma	quentlein
Scripulum	ſcrupel/oder ein drittel eins quentleins.		

Loquimur nunc de libra medica, qua noſtri pharmacopolæ utunt, quæ duodecim unciarum eſt: non de ciuili, quæ mercatoribus & alijs in uſu eſt. ea enim in ſedecim uncias diſtribuitur. Itaq; medica & ciuilis libra, numero, non grauitate unciarum differunt. drachma autem utriuſq; uncię, ferè quatuor momentis grauior eſt drachma Romana.

Menſuræ quibus interualla metimur.

Digitus	ein querfinger	Vncia	zil
Palmus	vierquerfinger	Dodrans uel ſpithama	ſpanne
Pes	wergſchuch	Cubitum uel ulna	ele
Paſſus	klaſſter	Pertica	rute
Milliarium			meile

Sed cubitum noſtrũ Kempnicenſe longum eſt duos pedes Romanos, uno Romano digito minus. Pes autem noſter eſt dimidia cubiti noſtri pars, minor ſcilicet quam Romanus digitũ dimidium. Paſſus noſter longus eſt tria noſtra cubita, uel ſex noſtros pedes. Pertica noſtra longa eſt cubita ſeptem & dimidium, ſeu pedes quindecim.

Pondera monetalium

Bes quo monetales, qui cudunt aurum, utuntur.

Bes	marck
Eum diuidunt in XXIIII. ſextulas	
Sextula	krat
Quam partiuntur in quatuor bina ſcripula.	
Bina ſcripula	gran
Ea diſtribuunt in tres quaternas ſiliquas.	
Quaternæ ſiliquæ	gren
Maſſulæ quibus aurum ponderamus	goldtgewicht.

Tot uero ſunt quot aurei diuerſi ponderis. Maſſula cui pondus eſt aurei Rhenani eins rheiniſchen gildengewicht.

Ea diuiditur in ſexaginta momenta.

Momentum	ein eſs oder grenlein

Maſſula autem aurei ungarici diſtribuitur in ſex & ſexaginta momenta

menta. grauior igitur est Rhenana sex momentis. Non tamen ignoro Brabantinos quondã aurei Rhenani massulam dixisse unum & sexaginta momẽta pendere, massulam aurei Vngarici, septem & sexaginta. nam massula aurei Rhenani eis pendit duos nũmulos & tredecim momenta: Vngarici duos nummulos & decem & nouem momenta. nũmuli uero quatuor & uiginti momentorũ pondus colligũt. quanꝯ uero ipsis massula aurei Vngarici etiã grauior est sex momentis quam massula aurei Rhenani, tamẽ utraꝯ grauior est nostris uno momẽto.

Bes, quo monetales Noribergĳ, qui cudunt argentum, utuntur.

Bes	marck
Eum diuidunt in XVI. Semuncias.	
Semuncia	lot
Quam partiuntur in quatuor drachmas.	
Drachma	quenten
Eam distribuunt in quatuor nummulos	
Nummulus	pfenning

Bes, quo nostri monetales, qui cudunt argentum, utuntur.

Bes	marck
Eum item diuidunt in XVI. Semuncias.	
Semuncia	lot
Quam partiuntur in XVIII. quaternas siliquas.	
Quaternæ siliquæ	gren

Nummi Miseni

Vncialis siue tetrastaterum	guldengroschē
Semuncialis seu tetradrachmum	halberguldengroschē
Didrachmum	ortgroschē
Angelicus	schreckenberger
A tributo appellatus	silbergroschē
Dimidius à tributo nominatus	halber groschē.
Duodenarius.	groschē oder zwelf pfenning.
Quadrans	drei pfenning grōschel
Nummulus duplus siue maiusculus	pfenning

Is idem ualet quod Romanus teruncius legitimus: etsi eiusdem ponderis & temperaturæ non est.

Nummulus simplus, siue minusculus	heller
Nummulus duplus antiquus	alter pfenning
Nummulus simplus antiquus	alter heller

INDEX PRIOR, IDEST LATINVS, IN LIBROS G. AGRICOLAE DE mensuris & ponderibus, maxime copiosus.

ABEN mensura Arabica 160
Abrahami temporibus pecuniam usurparunt homines 263
Abrahamus magister 227
Acetabulum liquoris mensura 4 7.8.9.19.167 capit 7. 9.10.72.338 pendit olei 72.79 uini 79.81 mellis 81 siccorum mensura 33 34 338
Achana mensura Persica 139
Acsat quæ & Kist & Aben & Euib 160
Actus minimus quadratus ibidem
Aduocatorum stipendia 325
Aegypti annui reditus 317
Aegyptiæ mensuræ 139 ponderа 168
Aegyptij quam pœnam in mutatores põderum & mensurarum constituerint 231
Aelius Gallus 50
Aemilius Papinianus 333
Aemilij Pauli Perseo deuicto prædа quam in ærariũ intulit 318
Aerarium 293
Aerei nummi Rom. 293
Aereolum 111.114.122 177.211.246.310
Aereorum nummorum uocabulis homines contemptos nominatos 294
Aeris decies 294
Aeris precium 261.320
Aeris alieni conflatores 329
Aeruscare 294 Aera 278
Aes quando in Latio primũ signatum 264
Aes in metallorũ numero cur tertio loco ponatur 257.258
Aesopi Clodij patina 326 (260
Africanus 333
Aforum nummi 268
Agrippinenses albi 292.302
Albani exquisitorum ponderũ & mensurarũ ignari fuerũt 231
Alabastrum 166.167
Alabastrites marmor 166
Aldorach amphora Arabica 163
Alexandri Magni reditus 316 thesauri 276
Alexandri impẽsæ in cœnas 326 quanti funerarit Ephestionem 329
Alexandri Seueri nummus aureus pagina 321
Alexandrides 275
Alexãdrinus nummus 269.297
Alexandrinus sextarius 141
Alki Arabibus idem quod Græcis ὄλκή 176
Alsetr 167
Amah cubitum Hebræum pagina 222 223
D. Ambrosius 144.149.154
Amelechus 263
Amphora Romana 4.5.6.338 capit se minores mensuras 5 6.10 libras mensurales 4. 72 pẽdit olei 72.188.189 uini 79 mellis 81 Restituta 249 Amphora Arabica 163.159 Amphora Attica quæ et metretes 37.38 capit minores 37.41 libras mensurales 37.73 pendit olei 73 uini 80 mellis 83
Amphora Capitolina 18.249 Hebræa 142
Amphoreus 6.56.57 capit se minores 58 libras 56 pendit olei 75 uini 81 mellis 83
Andreas Alciatus doctissimus & iuris omniũ peritissimus 331 errat de denario & drachma 130 de libra 120.122 242 medimno 66 sextario 14.24. 28.29. 30.48 49.52.74.85.86.130 uncia medica 129 quartarium ignorauit 8.10 siccorũ mensuras ab humidarum rerũ mensuris non discreuit 35 ad Andreæ Alciati quæ de mensuris & ponderibus denuo disputauit defensio 183.184 & deinceps
Andreas Alpagus Bellunensis, pagina 160.161.163
Anecsune quæ Kasfuf & Hacsunesi & Acsasse 161
Angelus Colucius 216.239 247 451
Ang. Politianus lapsus 2.20.67
Angelici nummi 269.291.299
Anglorum nummi plumbei 295
Annui fructus seu reditus diuersarum rerũp. & regũ 315.316
Antonius Augustinus 331
Antonius Leua 269
Antonius Heliogabalus 276
Antonini Pij fœnus trientarium, 332 nummi aurei 268
Apicius 326
Appianus laudatus 104
Aporrhema mensura Aegyptia, pag. 140
Apuleius Celsus 50
Aquarum pondus 80.81. destillatarum 81
Arabicæ mensuræ 139.159 liquorum 159 aridorũ ibidẽ quomodo latine reddẽdæ 160 Pondera 168.174
Argentei dimidij ex tributo dicti ducum Saxoniæ 291.340 eorum temperatura 299
Argenteus pro siclo 290
Argentum cornu Amaltheæ 255
Argentum soli auro cedens, cæteris metallis præstat 257.259
Argentum quãdo primum Romæ signatum 263
Argenti puri precium 309.312
Argentum uiuum 258 precium pagina 260
Argiuus nummus 267
Aridæ res distant pondere 84
Aristo 333
Aristoteles quanti emerit Speusippi libros 328
Armillarũ quibus seruus Isaaci donauit Rebeccam, preciũ 159

Arrianus iuriſconſultus 333
Ars ueterinaria à medica nõ excludenda 36
Artaba Aegyptia 139.140.141 medica 140 Perſica 140 141 145
Artaxerxes Longimanus 196
Arundo quæ & calamus 226
Arura 206.207
Aryandes 270.298
Aryandici argentei 260.270 298 309
As 97.293
Aſius nummus 267
Aſia mulctata à Sylla quanti 335
Aſopichus Orchomenius 205
Aſpendius nummus 267
Aſsis nummi nota 302
Aſſarion 178
Aſſarius ibidem
Aſſaron 150.156
Aſſes librales 264.293.320
Aſſes ſæpe mutatos in põdere pagina 178
Aſſes ſemunciales 178.293
Aſſes unciales 293.322
Aſsipondium 96.293
Athenienſium μετρονομοι 231
Athenienſium nummi 267.268 297.reditus 315.316.cenſus 320.militum ſtipendia 322
Auena 235
Auguſti nummi aurei 267.268
Auguſtus Cæſar quãtũ auri in cellam Iouis Capitolini contulerit 325
Auguſtus dux Saxoniæ 136.231
Aurelianus imperator 276.297 nummi ibidem
Aurei nũmi diuerſi 245.quot ſignentur ex auri tẽperati beſſe Noribergio 277.& eorũ temperatura 298
Aurei imminuti 276
Aurei nummi Græcorũ 275.temperatura 297.precium & ad Vngaricos proportio 307. 308.Romanorũ & Romanorum imperatorum 268.275 325.temperatura 297. precíũ et ad Vngaricos proportio 308.309.externi 276 temperatura 298.noui 277 temperatura 298. precium et ad Vngaricos proportio 306 307.precium argento ſignato noſtro explicatum 311.reliqua quære in dictione Nũmus
Aureus apud Iuriſconſultos, pagina 332.333
Aureus idem Arabibus quod denarius 174.176
Auri puri preciũ 307.Attici 307 308. Romani 308
Auro argentum, argẽto æs cur primo ueteres miſcuerint 270
Aurum quare precioſiſsimum metallum 257.258.259.quare à quarundam regionum incolis magni non æſtimetur 258 quanto argento quondam emptum aut nunc ematur 260 quando primum ſignatum Romæ 265
Aurum & argentum quis primus ſignarit 264

B

BAlbus de agrimenſoria 97
Balthaſar princeps Thuringiæ 299.300
Baptiſta Egnatius 3
Baptiſta Leo Tunicenſis 174
Baptiſta Marlianus 216
Bartholomæus Socinus 331
Bathus 141.142.143. capit ſe minores mẽſuras 144. libras menſurales 144 reſpondet Ephæ & Homeri 147. 149
Berenicius nummus 269
Bes libræ 94.97.ſextarij 21.pedis 213.iugeri 219.uſuræ cẽteſimæ 332
Bes argentarius Lutetianus 244 Vicentinus 241 Venetus 240.241.242.244
Bes Agrippinenſis 292.307 Erphurdanus idem cum Miſeno 291.301.Fribergius 300 Mediolanenſis 242. Noribergius qui monetalib. in uſu quo modo diuidatur 245.246 291.292.339.340 Viẽnenſis 292.302
Bes aurarius Vicentinus 242 Venetus 241.242
Bes argenti, qui idem quod quatuor argẽtei à tributo dicti, pagina 296
Beſsis uſura 331
Beſſalis 213
Biceſsis 294
Bigati nummi 269
Bilibris 96
Bipedalis 212
Bipes ibidem uſura 301.332
Boemica moneta 291
Booneta Polydori Lacedæmonum regis domus 265
Bononienſes nummi aurei pagina 298.305
Bonorum tria genera 255
Bos nummus Athenienſium 268
Bos in lingua ibidem
Bucephali equi Alexandri precium 327.328
Budæus 331.errat de chœnice 67 de Darico 277.denario, drachma, libra, mina, pondo 102 103. 242. 243. 250. medimno 66.ſeſtertio 191.281 283.285.288.ſextario 14 25.26.27.28. 87 talento 117.118.uncia pedis & pollicis latitudine 219. Quartarium ignorauit 8.10. ſiccarũ rerum menſuras ab humidarũ non diſtinxit 35
Burgũdici nũmi aurei 277. 305 temperatura 275
Bruno Vernechini f. 2
Byzantius nummus ferreus 295
Byzantium talentum 168

C

CAbus menſura Heb. rerũ aridarum 146. 147 capit 148 libras menſurales pag. 151
Cabaliſtæ 148
Cadus idem Fannio quod amphora Attica 18.38. 43 142
Cadus uaſis genus 43
C. Caligulæ prodigalitas, pagina 325.326
C. Cæcilij Iſidori diuitiæ 319 idem quanti funeratus, pagina 329
C. Caßius iuriſconſultus, pagina 333
C. Caßius Sabinus ibidem
Caius iuriſconſultus ibidem

Cainus Adami filius mensurarum & ponderum inuentor 231 multitudine χημάτων ex rapinis domũ auxit 262
Calamus qui & arundo 226
Calcardum G. Cummerstadij 256
Calliſtratus iuriſconſultus 333
Campſaces 166
Calliodori ſeruus apud Martialem quanti uenditus 327
Caniclæ inſulæ nũmi ex ſale 295
Caph 148
Captha menſura Perſica 139
Capito iuriſconſultus 333
Caraiæ inſulæ albi & aurei lapilli pro nummis 295
Caroli V. Cæſaris nummi aurei 277 304
Carolus Magnus bellum geſſit cũ Vitichindo Saxone * 2
Carolus Ruellius 324
Caroli & Vildelappi pecunia nõ utuntur 265
Celſus iuriſconſultus 333
Cenſus Athenienſiũ à Solone 320 Romanorum à S. Tullo inſtitutus ibidem
Cenſus equeſtris 321 Senatorius ibidem
Centenarium 95
Centeſimæ uſus 330.331
Centum pondium 94.95
Centuſis 294.310
Chalcus 111.114.125.177
Chamus Magnus rex (246 Scytharum 295
Cephalenſis nummus 267
Chius nummus ibidem
Chœnix Atticus 52.53.54.56 minores ſe continet 55 capit libras menſurales 52 Georgicus 60.62.67.145 capit ſe minores 67 libras 60 Syria 141
Chœnix menſura cibi diurni 68
Choeus qui & Chus Atticus 37 38.39.44.45. uſq; 48 50.51.146 capit ſe minores 42 libras 37 pendit olei 73 uini 80 mellis 83 Georgicus 56.57.145 146 minores ſe capit 58 libras 56 pendit olei 75 uini 80 mellis 83
Chus inſacrisliteris 145.146
Chriſtophorus Carolouicius 195
Cicar congregationis 169.170 171 372 Sanctuarij 169.171
Cicero emendatus 285
Cippus 214.215
Clearchus donatus à Cyro Daricis quot 306
Cleopatræ Ptolemæi Auletis filiæ cœna 326
Clima 207.218
Cochlearium Romanum 4.9.23 28.76.78 capit 4 pendit olei 72 uini 79 mellis 82
Cochlearium medicum liquorum 37 capit 37.42 pendit 75 aridarum rerum 6.9 Hippoiatricum 69 capit 76 pendit 76.80.83
Cochlearia diuerſa 78
Coclanarium quod & ſalgerim et ſahaliel 159.162
Colenutius 46
Collathum menſura Syria 141
Columbarum duarũ Axij precium apud Varronem 327
Concha 37.75 duplex 75
Congialis 19.20.44
Congiarij cadi 19
Congiarium ibidem
Congius 4.7.56.338 capit ſe minores menſuras 7.10 libras 4 pendit 72.79.81
Congius reſtitutus * 249
Conſtantinus Hermenopulus pagina 334
Cophinus 164.165
Coralium Tebethinis pro nummis 295
Corboni menſura Arabica, pagina 159.161
Corinthius nummus 21 ſtater argenteus 278
Cor qui Corus 146.148
Cornelius tacitus emendatus pagina 285.588
Cornibus libralibus & bilibralibus oleum uendi ſolitum 13
Coronati Burgundici 277 temperatura 298 Francici ſeu Gallici 269.277.305.307 temperatura 298 ualent noſtri argenti ſignati 311 Italici 277 quot ſignentur ex auri temperati beſſe Noribergio 277.298
Corus rerum aridarum tantũ menſura 140.146.147.148 149.151.152.153
Cori interpretatio apud Ioſephum reprehenſa 151.158
Cotyle medica liquorum 37 39.uſq; 42.49.52.53.72 146.189 capit 37.42 pendit 73.74.75 Aridarum rerum 53.54 capit 55 Georgica liquorum 56.57 capit 56.58 pendit 75.80 82 aridarum rerum 60 capit 63 Hippoiatrica 69 capit 69 pendit 75.80.83
Cotyles diuerſus uſus 51
Cotylidones 19.40
Craſsi diuitiæ 319 raptus 329
Crates comicus 297
Crœſii ſtateres 269.276
Crucigeri 269.292 temperatura 302
Cuathum menſura Arabica pagina 159.161
Cubitus geometricus 226 Hebræus 222.224 duplex 224 non eſt quinq; palmorum 225
Cubitus Græcus 198.202 longior Romano 218 decurtatus maior 203 decurtatus minor 203
Cubitus Romanus 209.214 breuior Græco 218 Kempnicenſis 339
Cubiti menſura & ulnæ eadem 220 399
Cubitum regium 220.224
Cubitum quota pars altitudinis cuiuſq; humani corporis 196
Cubitalis 202.215
Culea & culeola 17
Culeare dolium 17
Culeus 4. 5 capit ſe minores 10 libras 4 pendit 72 79 81
Cyathus Romanus liquorum 4 338 capit 4.10.23 pendit 72. 79. 81. 82 aridarum

rerum 33.34.338. medicus li quorum 37. capit 37.42. pẽ dit 74.80.82.83. aridarum rerum 52.53.55. capit 52 Georgicus liquorum 56.57 58. capit 56. pendit 75. ari= darum rerum 60 capit 63 Hippoiatricus 69 capit 69 pendit 76.80.83
Cyathus in ſacris literis 166
Cyprus mẽſura 164. 165. 166
Cyrus Aſiaticis & Crœſo deuicto quantam auri & argenti ſum mam collegerit 317
Cyrus minor Silano Ambraciotæ dat Dariorum quot milia 321 eiuſdẽ ſtipẽdia 321. 322. 323
Cyziceni ſtateres 277

D

DActylus 197.198.206
Dactylodochme 197
Dadix 164.165
Damocrates 41
Danaces nummus barbarus 289
Danicum 289.291
Danich Arabibus idem quod no= ſtris lupinus 174.176.177
Danorum et Suedorum regũ num mi 303
Daphnis Grammaticus quanto precio emptus 327
Dardanus nummus 267
Darius uel, ut Plutarchus habet, Artaxerxes, cur dictus Longi= manus 196 eiuſdem redi= tus 316
Darij ultimi theſauri quos illo ui= cto Alexander inuenit 318
Daricus ſtater 269.270.276 277.296.297. quanto au= ro Vngarico, Veneto, Franci co, Rhenano æſtimetur 304 305 306
Daricorũ quibus Cyrus Silanũ & Clearchũ donauit ſumma ex= plicata 306
Dauidis regis Hebræorum theſau rus quem Salomoni reliquit ut extrueret templum 311
Debæ aurum triplum ære ſimplo, duplum argẽto ſimplo uicinis uendiderunt 250
Decies ſeſtertiũm 288.314
Decies centena milia & ſimilia quid ſignificent 325
Decem modiæ 35
Decempeda 215.226
Decempedator 226
Decius iuriſconſultus 324
Decuſſis 293
Delius nummus 267
Demarete uxor Gelonis 269
Demaretius nummus ibidem
Demenſum 68.69
Demetrius Phaleræus quot talen= torum ſingulis annis domi= nus 315
Demetrij Alabaldi error 18.20
Demoſthenes ſilentij Harpago uẽ= diti mulctatus 335
Denarius 94.99.122.278 di uiditur 100.101. pondere ad drachmam proxime accedit, 189 ſed eiuſdem ponderis nõ eſt contra Alciatũ 106.107 129.188.189.190.242 Budæum 103. uſq; 107.217 242.243.281 Portium 107 108
Denarij pondus 190.245.250
Denarij nota 262.303
Denarij Romani argentei tripli= ces & ſingulorum precium ar genti ſignato noſtro explicatũ 190.245.250.313.314
Denarij quot ex libra ſignentur, 279 281
Denarios graues non habere pon= dus quatuor ſcripulorum con= tra Portium 244
Denarius diurnum ſtipendium pe ditis 322
Denariũ etiam nummũ dici 279 item ſeſtertium 280
Denarij Antonij III Viri 274
Deunx libræ 94.97.339 ſex= tarij 21 iugeri 219
Dextans iugeri 219. pedis 214 ſextarij 21. libræ 94.97
Denarij quot unciã pedis 246
Denarius dimidius ibidem
Denarij legitimi pondus 249
Diaulus 204.205
Didrachmum Atticum 268.278 ualet argenti noſtri 310
Didrachmum noſtrum 290.301 310 340
Digitus Græcus 197.206. lon= gior Romano 218 Romanus 209. breuior Græco 218. qua dratus, rotundus 210
Digitum conſtare quatuor granis ordei quomodo intelligendum pag. 219
Digitum tranſuerſum prouerbia= lis locutio 209.210
Digitalis 198.210
Dimas ſtadiodromos 205
Diocletiani nummi 268
Diodorus 219. de Græcis ponde= ribus intercidit 2
Diobolum Atticum 269.278 ualet 310
Diobolaris 294
Dochme 197.198
Dodrans 200.201.206
Dodrans libræ 94.97.339 iugeri 219. pedis 200.207. 214. 217. ſextarij 21
Dodrantalis 201
Dolia culearia 17
Dolichus 204.206
Domitij Calderini error 35
Domitius Labeo 332
Domitius Vlpianus 332
Dorach menſura Arabica, pagi na 159.160
Doron 198.199
Drachimi Arabicũ pondus, pa= gina 174.176
Drachma Aegyptia 168. Attica 105.112. 114. 122.296. 309.339. in minora ponde= ra diſtributa 114. precium 312. medica 123.124. in mi nora 125. Hippoiatrica 85 132 Noribergica 246
Drachma menſuralis 188
Drachma unciæ & eius diuiſio, pag. 211
Drachma beſſis 339
Drachma Attica reſtituta, pagi na 246
Drachma nummus 278. Atticæ leuior denario 289. pendit momenta 249. 309. ualet ar gẽti noſtri 310. 311. Aeginea 278. ualet 312
Drachma Veneta grauior uetc= ri & leuior Noribergia 250 Erphurdana ſiue Miſena 309 Aeginæa 296

Duapondo 96
Ducati Bononiēſes, Lucenſes, Mediolanenſes, Romani, Turcici, 277.305 tēperatura 277 Veneti 268.269.277 temperatura 277 pendunt 305.307 ualent noſtri argenti ſignati 311.312
Duella 98.101
Duodenarius 310.311.315. & 340
Dupli nūmi Miſeni 310.311
Dupondij 294
Dupondius 293 nota dupondij 303
Dupondiū 178 pedis 213.214

E

E Grani nūmuli uiliſſimi 311 Elenius uas 167
Epha menſura Hebræa aridarum rerū 146.147.149.155.156.158 capit ſe minores menſuras 151 libras, ibidem
Epheſtio quanti funeratus 329
Epiphanius Magnus epiſc. Salaminius 140.145.147.152 153.166 à ſententia Ioſephi in quibuſdam diſſidet 157 reprehenſus de batho & chœnice 145 de Gomor 153.157 de ſato 155 de talento cōgregationis & ſiclo 173 174
Educationē & diſciplinā multum ad uirtutem ualere 135
Equitū Romanorū inſignia 320.321 cenſus 321
Eraſiſtratus donatus à Ptolemæo Antiochi filio quot talentis 324 325
Ergoteles Himeræus 206
Erichthonius Atticæ et Lyciæ monetæ inuentor 264
Erneſtus à Miltitz 135
Erphurdanus bes 291.301 drachma Erphurdana 309
Euib, quæ & Aben, Acſat, & Kiſt pag. 160

F

F Abarum diuerſa genera, & pondus 237
Fabius Sabinus iuriſconſ. 333
Fabaliel, quæ & Falgerim, & Coclanarium 159.162
Ferdinandici aurei nummi 277 argentei 291.292.302
Ferrū 258 utilitatis fructu præſtat cæteris metallis omnib. ib. precium 261 Suedicū, ibid.
Filij uirorū uirtute & literis præſtantium cur interdum degenerent 135
Finitor qui & decēpedator 226
Florentinus 333
Fœnus 329
Fortunæ poteſtas in multas res propagata 255
Fraudes pecuniæ mulctatæ 335
Friderici II. imp. nummi ex corio pag. 295
Fridericus Fr. Strenui F. dux Saxoniæ & elector 306
Funiculus menſura 222.226

G

G Abenū menſura 164.166 Gallinæ triplices 246
Garme Arabicum 174.176
Gelo 269
Generoſi q Græcis εὐγενεῖς 195
Genuenſium pecunia quando primum cuſa 265
Georgius Saxonū princeps 136
Georgius Commerſtadius 255
Georgius Fabricius 183
Gerati 169.171
Geua Siuardi Dani ſoror, Vitechindi uxor 173.314
Gomor 141.510.153.155.
Gordianus nūmus 268 (157
Gorlicenſes nummuli 301
Glandium diuerſa genera & pondus 238.239
Glandiferæ arbores quæ 238
Germanorum ueterum & recentium nummi 209
Gradus 206 nō uidetur menſura 215.226 quid apud Ciceronem ſignificet 215
Gramma 101.122.124.131. & 211
Granū in explicatione beſis 310
Granis hordei uel tritici in integrum pondera reſtitui nō poſſe 234.235.236
Gregorij Tiphernatis error 51
Guarini Veronenſis error 51. 60 67

H

H Adriani imp. nummi 268 Hala Hermundurorum 4
Hali 163
Hanno Carthaginenſis 206
Hebraicæ menſuræ 139.141. 142. & deinceps pondera 168 169
Hemina liquidarū menſura 4.7 338 capit 4.11.21 pēdit 72.74.81.189 reſtituta 246.249 aridarum rerum 33.34 338
Hemichus 47
Herennius iuriſc. 332
Hermolaus Barbarus 331 reprehenſus 207 laudatus 15 lapſus 27.28
Hermogenianus iuriſc. 333
D. Hieronymus 224 reprehenſus 146.148 de coro 158 de interpretatione ephæ 145 153.158 zereth, & aliarū menſurarum 225 de metrete 156 omere, ibid. ſato 155 ſiclo 174
Hieronymi & Ioſephi diſcordia in menſuris 158
Hieronymus Archintus 184
Hieronymus Kiſuetterus 231
Hieronymus Magdeburgus Fribergius 270
Hilpericus rex Francorum, ibid.
Hin menſura Heb. 142 capit ſextarios 143.144 ſe minores menſuras 144.146 libras 144 non recte interpretatum à LXX. 145
Hinis quarta & ſexta pars in ſacris literis 144
Hippicon 204.205.206
Hippocleus Theſſalus Διωλοδρόμος 205
Hiſpani nummi aurei 298.304 Ferdinandici 277
Homer 146.149.153
Hordeū alterū altero præſtat pondere 235

I

I Abolenus iuriſconſultus 333
Iacobus Mantinus Heb. 174
Iacobus Syluius 185
Indos nummū ignorare 256
Interſcalmium 203

F 3 Inium

Iniũ Aegyptia mẽſura 75.140
Inſtrumẽta quibus ueteres dimẽſi interualla 226
Imitatoris aliud ſcribẽdi ius, aliud interpretis 209
Ioannes Auentinus Boius 33.93
Ioannes iuriſconſultus 331
Ioannes Ruellius 108
Iohein menſura Arab. 159.160
Ionus Theſſalicæ monetæ inuentor 264
Iſaaci munerũ quibus donauit Rebeccam precium 308
Iſidorus reprehenditur 2.6.70.186 227
Iudæorũ magiſtri reprehẽſi 173
Iudicia in literis debẽt eſſe libera
Iudicia de ſcriptoribus (3
ſemper fuerunt uaria 183
Iugerum 208.218.219 diuiſio iugeri 218.219
Iugerum in locum plethri Latinis poetis quatenus licuerit ſubſti (tuere 209
Iuglans 238
Iulianus Saluius 276
Iuliæ Mammeæ nummus 268
Iul. Capitolinus reprehenſus de digito 219
Iul. Cæſar ciuili bello quantã pecuniæ ſummam ex ærario protulerit 318
Iulij Cæſaris prodigalitas in Seruiliam 325
Iulij Cæſaris æs alienũ 329 furtum è Capitolio in primo conſulatu ibidem
Iulius Iubentius 333
Iulius Paulus 332
Iuriſconſultorum ſtipendia 324
qua ætate floruerint 333

K

Kasſuf, quæ & anecſune, menſura Arabica 159.161
Kempnicenſis modius 338 pes 339 ſextarius 338 paſſus & pertica 339
Kermet Arab. qd' Græcis grãma
Keſtuf æreolũ Arab. 174 (167
Kirat ſiliqua Arab. 174.177
Kiſt mẽſura Arab. 159.160
Kiſt alicaticum 163

L

Labeo Antiſtius 333
Labrum culeare 17
Labrum cur mare dictum 143
Lacedæmonij parciores uini 46
Lacedæmoniorũ conſuetudo in emendis & uẽdendis reb. 265
nũmi ferrei 295 ſtipẽdia 322
Landesbergia inſignia 300
Lapus Florent. reprehẽſus 208
ad lapidem ſecundũ, tertiũ, quartum 215
Latino ſermoni quãdo Græca immiſcenda 136
Laurentius Valla reprehenſus 39 51.54 208
Laurius mons 269
Lecythus 166
Lens & eius pondus 234.237
Lentuli auguris diuitiæ 619
Leonardus Calamicius Neapolitanus 268
Leonardus Aretinus 188
Lethec menſura Heb. 146.147
Leuca 227
Libella 121
Libella nũmulus argenteus 126. 279.289.293 ualet argenti noſtri 313
Libra & menſura & pondus 4. 10. 11. 338 differentia 4.25.33 menſuralis 2 pẽdit uncias 12.13.187.235 grana 236 olei, uini, mellis libra pendit 192
Libræ menſuralis & ponderalis collatio in oleo 72.73
Libra Atticis duplex 117 hippoatrica 131.132 medica 123 127 in minora diſtribuitur 125 Romana 94.96.120. 240 in partes minores ſecatur 100 Romana Angeli Collutij 239 reſtituta & menſuralis & ponderalis 246.249
Libra mercatoria ſeu ciuilis 339
Libra Mediolan. 242 mercatoria 50 Veneta multiplex 240 241 quæq; in minora põdera diſtributa ibid. Vicẽtina, ibid.
Libra nõ eſſe xij unc. & ſemũciæ cõtra Budæũ 102 nõ triũ ſextularũ cõtra Alciatũ 121 non eiuſdẽ ponderis cuius mina Attica contra Budæũ 102.103. 281 Alciatum 120.121. 189. & deinceps nõ ſedecim unciarũ cõtra medicos quoſdã & pharmacopolas 236 quot ſiclorum 173
Libram obolum ualere qua ratione dictum 121
Libra auri ualet 308 argenti puri pendit 312 ualet noſtri argenti ibid. argenti ſignati 313
Libralis 95.264
Libralibus & bilibralibus cornibus oleum uendi ſolitum 13
Librorum precium 328
Lichas 198.200
Ligula 4.9.23.28.76.338 capit 4 pendit 72.79.82 aridarũ rerũ menſura 33.34
Lingua inſtrumentum 23
Lipſenſis modius 339 ſextarius ibidem
Liquores nõ unius ponderis 25
Liuius Druſus octauã partẽ æris argento miſcuit 271.298
Logus Heb. 142.144.146. 148 159
Lucenſes aurei 298
Luculli cœna quam Ciceroni & Pompeio dedit 326
Lucius Axius 328
L. Craſſi domus quãti æſtimata ib.
Lupinus thermos 177.237
Luſitani nummi aurei 277
Lydi aureum & argenteum nummum primi percuſſerunt 263

M

Maneh mina Heb. 169.171
Manes mina Arab. 174
Manuelis Moſchopuli error 207
Manilius Cornutus 324
Marca quæ & argentarius beſſis 241.243 296
Marcellus iuriſc. 333
M. Ant. Sabellicus errat 281
M. Cic. loca reſtituta 285.335
M. Cic. domus quãti æſtimata 328
M. Fab. Caluus notatus 70
M. Paulus Venetus 295
M. Scaurus 327
Marcelli Veneti 269
Martianus iuriſc. 333
Marij domus ad Miſenum quanti æſtimata 328
Matthæus Curtius 324
Mauri medici 159.160.161. 162 163

Mauricius Elector Saxoniæ, pagina 136.269
Maximini imp. bibacitas 46
Medicorum stipẽdia quæ & olim fuerunt & nunc sunt 324
Mediolanẽses libræ diuersæ 242
Mediolanenses ducati 298 277.297.305
Mediolanenses nummi aurei 268
Medimnus Atticus 53.56.66 se minores comprehendit 55 Georgicus 60.61 capit 62 63 Cyprius 164.166 Siculus 65.152
Mellis pondus cum uini et olei collatum 16.25.31.70.81.84
Mena Arab. mensura 163
Menander iurisconsultus 333
Menecoth, id est cyathus 167
Mensorum instrumenta quæ 226
Mensura quid 197
Mensuræ duplices 197
Mensuræ Atticæ seu medicæ 36 37 earum capacitas secundum libras & uncias mensurales 37.42 pondus oleo refertarum 73 uino 80.82 melle 82.83 externæ 139 Aegyptiæ 140 Arabicæ 160 Hebraicæ 139.141 Persicæ 139 Syriæ 141 Georgicæ 56 capacitas secũdum libras & uncias mensurales 56 põdus oleo refertarum 75 uino 80 melle 82.83 Hippoiatricæ 69 capacitas 69 pondus refertarum oleo 75 uino 81 melle 83
Mensuræ Romanæ 4 capacitas secundum libras et uncias mẽsurales 4 pondus oleo refertarũ 72 uino 79 melle 81
Mensuræ rerum aridarum 146 Atticæ seu medicæ 52.53 capacitas 53 externæ Arabicæ 159 Hebraicæ 145.146 Georgicæ 60 capacitas 60 Romanæ 33.35 capacitas 33
Mensuræ quibus interualla metimur 196.197.198 Græcæ 197.198 Latinæ 209 210 non æquales Græcis 216 externæ 220 Aegyptiæ 221.222 Hebraicæ 222 Persicæ 221
Mensuræ quæ ex multiplicato pede oriuntur 204
Mensuræ & pondera cuius causa constituta 231
Mensuræ ueteres quibus rationibus in integrum restituendæ .232.233 & deinceps 246
Mensurarum & ponderum inuentores 231
Mensurarum & ponderum nomina Germanica 338.339
Mensurarum & põderum cognitionem medicis utilem esse & necessariam, sed eorum rationem multis de causis perdifficilem & lubricam 2
Mensurarum Græcarum ratio involutior Romana 36 diuersitas 36.37.52
Mensurarũ nomina pro uasis seu poculis 17
Mensurarum imperitia quos errores attulerit 207.208
Merula reprehensus 208
Mestarum, mẽsura Arabica 163
Metallũ cur aliud alio carius 259
Metallum metallo quare præstet pag. 257
Metalli copia & inopia quando existat 258.259
Metallorum precia & uetera & recentia 259. & deinceps
Metalla Athenienſium 589
Metator 226
Metretes Atticus seu medicus 20 37.38.41.42.44.56.58 59.60 capit uncias mensurales 24 se minores mẽsuras 41 pendit olei 73 uini 80 mellis 83 Georgicus 56 capit 56 continet se minores 58 pendit olei 75 uini 80 82 mellis 82
Metretes Italicus apud Dioſc. 38
Metreta apud Columellam 43
Metreta Syria 141
Metreta Laconica 165
Milliare uel miliariũ 204.206 209.215 227
Mille milia & decies centena milia eadem significant 675
Militum stipendia apud diuersos reges & resp. 321.322.323
Milium 236
Milo 329
Mina Attica 102.103.111.113 114. diuiditur in minora, ibid. maior Solonis 119.175.297 minor uel uetus 119.122 175.296.297 Alexandrina 126.127.168.175 Euboica 297.312 Hebræa 169.170.171 Hippoiatrica 131.132 medica 123 127 in minora distribuitur 125 Ptolemaica 168.169
Minæ Atticæ auri puri precium 307 auri Attici 308 Argẽti Aryandici 309.311 Attici & signati 309.310.311
Minæ Aegineæ precium 312
Mina Hebræa ualet argenti nostri 314 quot siclorũ sit 173
Mina pro actu quadrato 218
Mina quidam utuntur pro libra pag. 160
Mina Attica grauior Rom. 187
Mina Italica apud Dioſcor. 169
Minam & libram idem non esse contra Budæum 102.116
Minutum 114.310 311
Minutum unciæ 211
Minutia 252
Miſenorum principum nummi uetustiores 299.300
Miſeni nũmi Angelici 269.291 299 ex Iudaico capite dicti 300 ex tributo 291 dimidij 291.299 simpli: dupli 291 unciales 290 uide nũmi
Miſſochaus Arab. mensura 164
Mityleneus nummus 267
Mocenici nummi 269
Modeſtinus iurisconsultus 333
Modiales 33
Modiolus 35
Modius Romanus 33.64.66. 338 capit libras mensurales 33.34 minores mensuras 33.34.54
Modius sacer 158
Modius Kempnicenſis 338 Lipſenſis 339
Modius Cyprius 155.164.166
Moguntini albi 292.302
Momenta pondus nummorum aureorum

reorum exæquantia 245
Momentum unciæ 211
Moneta quid & unde appellata, 261.262.263
Monetáne an rerum permutatio oportunior hominum generi 266 quo modo cudatur ab artificibus 266.267 quarũ rerum imaginibus olim signata fuerit, et nũc signetur 267 268.269. figuris differt 269 triplex 261.266.270
Monetam expediátne ciuibus præstantem an uilem esse 271
Monetam qui primo inuenerint, & quo tempore 263
Monetarum falsarũ authores qua pœna & olim affecti & nunc adficiantur 273
Monetarũ tẽperaturæ 297.298
Monetarũ aurearum preciũ 303 304. & deinceps argenteorum 309
Moneta Misena sæpius mutata, 299.300.301
Moscouitarum moneta argentea quadrangula 269 nummi puri 270
Mullus Asinij celeris apud Plinium, & eius precium 328
Mustarum uel mestarum 163
Mystrum Atticum 37.52 capit 42 duplex 75 pendit 56 58. 75.76 Georgicum 56 58 capit 56 pendit 77 Hippoiatricum 69 capit 69 pendit 80.83

N

NAxij primo nũmum percusserunt 263
Neapolitanus nummus 266
Neapolitanorũ error 236
Nebel mensura Hebraica 152
Neronis Claudij nummus 268
Neronis prodigalitas 326
Nicandri interpretis error 61 76 120
Neratius Priscus 332
Nerua iurisconsultus 333
Nicolaus Lyra 144.227
Nicolai Perotti errores 18.20 23.35.102.220
Nicolaus Marcellus. 269
Nicolai Præpositi error 220 236 242
Nicolaus Thronus 269
Nigritarum nummi plumbei 295
Noctuæ Laurioticæ 269
Nonusis 293
Notæ mensurarum Romanarũ & Græcarũ 93 ponderum Romanorum 110 Græcorũ 93
Numeriani nummus 268
Numerorum notæ explicatæ ex Val. Probo 337
Numisma 262
Nummus 261 unde dictus 262 ꝑ denario 280 sestertio ibidẽ
Nummi puri 269.270 boni & probi 269 adulterini 270
Nummũ quæ gẽtes ignorent 265
Nummi ueteres Græcorum diuersis notis signati 267 Romanorũ 268. Asiorũ ibid. Germanorum ibid. noui diuersarũ nationũ & urbiũ ibid. qui ex notis nomina traxerunt 268. 269. ex regibus 269
Nũmi aurei Græcorũ 275.297 temperatura 597. precium et ad Vngaricos proportio 307 Romanorũ & Rom. imperatorum 260.275.276.298 temperatura 298. preciũ & proportio ad Vngaricos 308 externi 276.277.297. tẽperatura 297. noui 277. temperatura 245. pondus preciũ & ad Vngaricos proportio 306.307. argẽti signati nostro explicati 311. 312. argẽtei græcorũ 278. quot ex mina 278. tẽperatura 297. preciũ 309.310. et Romanorũ 278 279. quot ex libra 278.281 282. temperatura 298. preciũ 303.313. externi 289 precium 314. noui diuersorum 291. 292. 293. 300 301.302.303. temperatura 298. preciũ 310. Danorũ & Suedorũ & liberarũ Saxoniæ ciuitatũ unciales 303. Saxoniæ Ducũ unciales & semũcia les 291.292. tẽperatura 298 argentei Angelici 269.291 ex tributo nominati 291.301 tẽperatura 299. precium 310 momẽtis aurei Vngarici explicatum 315. Nummuli dupli et simpli antiqui, maiusculi, minusculi 310.340. Bohemici antiqui 291. tẽperatura 301
Nummi argẽtei Miseni puri 298 299. aerei Græcorũ 292. Romanorũ 293.303. quãdo primũ in Latio deinde Romæ percusi 264.265. quibus nationibus hodie in usu 294. Orichalcei 294. plumbei 294 295 ferrei 295
Nummi ex corio 295. ex cortice Scytharum 295. ex sale Canicle insulæ ibidem
Nummi qua ex materia fiant, pagina 269.270
Nummi electrei 277
Nummorũ aureorũ & argenteorũ primi pcussores 263.264.
Nũmi aurei & argẽtei quãdo primũ Romæ & quibus notis percusi 265.267.268. quãdo Venetijs et apd' Genuẽses 265
Nũmorum Misenorũ uetustiorum preciũ & temperatura 299 300.301.324.340
Nũmorum adulterinorum genera 273 274
Nummorum ueterum notæ 303
Nũmorum argenteorũ precẽ aureis Vngaricis explicatũ 311
Nũmis aureis argentũ, argenteis cur æs miscuerint primo ueteres 170.271
Nũmariæ rei uocabula Græca & Romana 261. locutiones uariæ 267
Nummariæ rei summæ quas scriptores memoriæ prodiderunt expositæ & explicatæ 304
Nux regia, nux pontica 238

O

OBolus Atticus 111.114. diuiditur in minora põdera 114. medicus 123. diuiditur
Obolus unciæ 211 (125
Obolus restitutus 246
Obolus nummus 269.278. ualet argenti nostri signati 310
Obolus Aeginæus 278. ualet argẽti nostri 312.322. Hebraicus gera dictus 289.290 ualet

ualet 314
Oephin mensura Aegyptia 140
Octauij Cæs. liberalitas 325
Olei pondus cũ uini & mellis põdere collatum 31.72.79.80
Ologinat Arab. quod Græcis ὁλκὴ 176
Oluatium 166
Olyra 235
Omer quæ et gomor mẽsura Heb. 146.147.150.151.156 158. capit libras mensur. 151
Omnibonus Leonicenus reprehensus 207
Onolassat obol. Arab. 174.177
Onyx marmor 166
Ordei pondus 135
Orgya 199.203
Orthodoron 198.200
Oryza 235
Oxybaphon medicum liquidarum rerũ 37. capit se minores 42 uncias & drachmas mensurales 41. pẽdit olei 73. uini 80 mellis 82. aridarũ 52.53. capit 55. Georgicum liquorũ 56 57. capit 58. pendit 75.81. 82.83. aridarũ rerum 60. capit 60.63. Hippoiatricũ 69 capit 69. pẽdit 75.76.80

P

Paezon spado Seiani quãti emptus à Sutorio Prisco 327
Pagatini Venetorum 294
Palamedes ponderũ & mensurarum inuentor 231
Palæste 197.198.199
Pallantis Claudij Cæs. liberti diuitiæ 319
Palma 208.225
Palmarius 211
Palmicubitum 218.223
Palmipes 203.209.214.223
Palmipedalis 214.223
Palmus Græcus 197.198. longior Romano 218. Hebr. 222
Palmus Romanus 209.210 211.213.218.225
Palmus quota pars altitudinis cuiusq; humani corporis 196
Panicum 235
Parasanga 220.221
Pauonis precium apud Var. 328
Passus Græcus 198.203.204 lõgior Romano 216. Romanus 209.215.220. minor Græco 216.339 Kempnicensis 339
Pecunia 261. unde appellata 262
Pecuniæ utilitas 255
Pecunia nondũ inuenta res cũ rebus fuisse commutatas 265
Pecuniosus 262
Pedalis 201.212
Pedaneus 212
Peloponnesius nũmus 267.269
Pemma genus uasis Heb. 153
Persicæ mensuræ 139
pertica 226. Kempnicẽsis 339
Pes Rom. 209.211. triplex 212 breuior Græco 216 diuisio 212.213. eius depicta descriptio 217. Græcus 197.198. 201. longior Rom. 216.218 eius descriptio depicta 217
Pes Rom. per digitos restitui non potest contra Portiũ 247. nõ idẽ cum Lutetiano contra Budæum 247
Pes Lutetianus Budæi 248
Pes quota pars altitudinis cuiusq; humani corporis 196
Petrus Mocenicus 269
Petrus Mosellanus 196
Petrus Plateanus 46
Phiala 161
Phido Argiuus ponderum & mensurarum inuentor 231 nummi signati inuentor 263
Philesius & Xanticles 335
Philippus Beroaldus reprehensus 20 281.285
Philippus Bergomensis 265
Philippi aurei 269
Philippi Brabantini 298
Philoxenus 277
Pipinus 270
Plato 328
Plethrum 204. non esse idẽ quod iugerũ contra L. Vallã & poetas Latinos 208.209
Plethri dimidiũ ἡμίπλεθρα 207. latitudo quæ fuerit in Georg. 207
Plinius Græcarũ mensurarũ nomina quibus Latinis interpretetur 188.189. in explicatione locorũ quos de Græcis medicis transfert quas mensuras intelligat 104.189. reprehẽsus 46
Plumbi genera tria 258 cuiusq; precium 260.261
Pomponius iurisconsultus 333
Pondera Romana & eorum diuisio 95.100.101. notæ 110 Attica 111. diuisio 114. notæ 132. medica 123. diuisio 125 notæ 132. Hippoiatrica 131 diuisio 132 externa 168 169. & deinceps
Pondera certa et incerta apud Catonem 95
Pondera & mensuræ cuius causa constituta 231
Pondera restitui in integrũ posse nec granis frumenti 235.236 237. nec seminibus legumminũ 237.238. nec fructibus 238
Pondera uetera restituta 245 246 249
Ponderum & mensurarum inuentores 231
Ponderum & mensurarũ mutatorum pœnæ 231
Ponderũ nomina Germanica 338
Pondo 11.13.94.98.102
Portius Leonardus errat 28.35 107.331. reprehensus de drachma 107. libra Rom. 239 240. sextario 14.24.25 30. & inde quartariũ ignorauit 8.16. neq; liquorũ neq; aridarum rerũ mensuras satis explicauit 35
Prædiũ terræ in sacris literis 227
Precia seruorum 327. animantium & aliarum rerum 327 328. ædium quarundam Roman. 328
Precij metallorum causæ 258
Priscianus Cæsariẽsis lapsus 117 118.132.139. reprehensus de mina 120. pondere denarij 190 talento 116
Prodigalitas quorũdam Cæsarum & principum 326
Ptolemæi Auletis reditus 317
Ptolemaicus nummus 269
Publ. Clodij domus quanti æstimata 328
Pugillus 225
Pugnus ibidem
Punctũ unciæ et eius diuisio 211

Pygmæi 203.213.214
Pygme 198.203
Pygon ibidem
Pythagoras ponderum & mensurarum inuentor 231 qua ex re de Herculis statura coniecturam fecerit 196
Pythagoricorum librorũ quos de philolao Plato emit preciũ 328
Pythij Atys filij diuitiæ 319

Q

QVadrans iugeri 219 pedis 211.213 Sextarij 20 28 libræ 94.97.98.339
Quadrans nummus æreus 293
Quadrantes nũmuli Miseni 291
Quadrantal 5.6.19.34 quomodo restituendum 249
Quadrantalis 213
Quadrantarius 294
Quadrigati nummi 269
Quadrilibris 96
Quæstores ærarij 293
Quartarius Romanus 4.21 capit uncias mensurales 4.7 se minores mensuras 8.10 pendit 72.79.81 Græcus qui ilbis τέταρτον καὶ ἡμικοτύλιον 37.41.73.167 38.41.42 pendit 73
Quartarius Laconicus 164.165
Quartarius Catonis 22
Quinarius qui & Victoriatus 99.100. 269. 278. 279 ualet argẽti nostri signati 313 nota 303
Quincunx libræ 95.98.339 sextarij 21 pedis 213 iugeri 219
Quincuncialis 213
Qu. Stertinius medicus 324

R

RAbbi Hebræorum 142 reprehensi 368
Raphael Volaterranus reprehensus 208
Rasta 227
Rebecca donata ab Isaaci seruo armillis quarum precium, pagina 308
Reditus diuersarum rerump. 315
Rerum inter se permutatio utrum monetæ præstet 266
Res naturales & artificiales per quæ ad restitutionẽ ponderum & mensurarũ peruenire possimus 234. & inde
Restitutio mensurarum & ponderum in integrum 234
Rheginus nummus 267
Rhemnius Fannius errat de mina Græca 120 quartarium ignorauit 8.10
Rhenani aurei quot signentur ex auri temperati besse Noribergio 277 temperatura 298 306 ualent nostri argenti signati 311
Rhetorum stipendia 325
Rhyton 45
Robertus Senalis episcopus 207
Robus 235
Romani nũmi Seruilij Tulli 264 Romanorum consulũ & imperatorum: uide literam N nostrorum temporũ 277.306
Romanorũ census 320 reditus 316 diuitiæ in ærario diuersis tẽporibus 318.319 mensuræ require sub litera M pondera sub litera P militum stipendia 322.323 usuræ 330 331.332 ædificata 328
Romæ ædiles curarunt ne quid de mensurarum modo, & ponderum grauitate minueretur 231
Romuli Amasæi error 220
Rosati aurei 277
Roscius Comœdus 325
Rotulus lib. Arab. 164.174
Ruellius 108

S

SAbitha mensura Syria 141
Sacrarum Hebræorum literarũ locus restitutus 144.145
Sabinus iurisconsultus 333
Sacros uncia Arab. 174.175
Saites 140
Salamin Cypri urbs 140
Salernitarum error 236
Saluius Iulianus 333
Sardanapalus quot talenta in rogum congesserit, eaq; argento nostro explicata 317
Satum mensura Heb. aridarum rerum 146.147.148.149 150 capit se minores 151 libras mensurales 151.155 continere sesquimodiũ Italicũ qua ratiõe dictũ à Iosepho 155
Scandiæ ultimas terras incolentes merces non appendunt 231
Schænos 220.221 cur funiculus dictus 222
Schekel siclus 170 uide Sicel
Scorteus 295
Scriptorum differentiæ neq; idem ius omnibus 209
Scribæ ærarij 293
Scripulum Romanorum 99.101 108.109.235.236. medicum 123.124.125.339 Hippoiatricum 131.132 iugeri 219 unciæ 211 Bessis
Scripulum non esse xx. granorum contra Nicolaum, Salernitas, Venetos, Neapolitanos 236 non VIII seminum zeæ 237 non VIII lentis ibidem
Scripulum restitutum 246
Scrupulus 109
Scytharum nũmi ex Cortice 295
Secel Hebr. uide Sicel
Selibra 22,94.97.100
Sembella 278.279.289.313
Semiramidis crater 317
Semicotylium 73.80.82
Semicyprum 164.165
Semiobolus Atticus 111.114 medicus 123.125
Semipes 212.213
Semipedalis 212
Semis libræ 94.97.98.339 pedis 213 Iugeri 219
Semis nummus æreus 293
Semmissis homo 294
Semisses 276.277
Semodius 33.34
Semodialis ibidem
Semuncia mensura 12.24.101 122.339 iugeri 219 bessis 340
Semunciales nummi 290.300 311.315.340
Senatorum Rom. insigne 321 census ibidem
Senecæ diuitiæ 319
Septimij Seuerinummus 268
Septuaginta interpretes 268 reprehensi 145.146.172 unã & eandẽ mensurã nõ eodem modo uerterũt 152.153

Septunx

Septunx sextarij 21 libræ 94. 97.339 iugeri 219
Serbidius Sceuola 332
Seres merces nõ appenderũt 231
Seruiliæ margarita, qua eam Cæsar donauit 325
Seruius Honoratus reprehensus 115.116.117. 220
Seruius Tullus 262 primus argenteum nummum Romæ conflauit 264 æreos nũmos percussit 265.267 censum Romæ instituit 320
Seruorum precia 327 tempore Iustiniani ibidem
Sescuncia pedis 210 libræ 94. 97.98. 339
Sescuncialis 210
Sesquimodius 33
Sesquimodius Italicus 155
Sesquipes 212.214
Sesquipedalis 212
Sestertius 118.119.278.279
Sestertius & sestertium nummus argenteus, qui pars quarta denarij 189.281.282 ualet 281 argenti nostri 313 eius nota 323
Sestertiũ argenti quod mille nummis ualeat, quod CCL denarios habeat nullum 191.281
Sestertium non esse duarum librarum 282
Sestertium etiam nummum tantũ dici 280
Sestertij decem, centum, mille, ualent argẽti signati nostri 313. 314 auri 315.325
Sestertiũm decẽ, decies sestertiũm & similia 282.283.284. 285.286.287.288.289. & 325
Sextans iugeri 219 libræ 94. 97.98.127.338 pedis 213 sextarij 20.28
Sextarius Rom. liquorum 4.6.7 capit uncias mẽsurales 4.14. 15.16.26.163.185.186. 338 minores se mẽsuras 10 pendit olei 72.192. uini 79.80.192 mellis 81.192 argẽti uiui 192 diuiditur 20 aridarũ rerũ 33.34.148. 338 capit 33.34 restitutus 249 medicus seu Atticus liquorum 37.39 capit 37. 42.130.188 pendit 73. 74.80.82.130 aridarum rerum 52.53 capit 55 Georgicus 60.61 capit 63
Sextarius Kempnicensis 338 Lipsensis ibidem
Sextarius castrensis 20.63 Italicus 20 Vrbicus, ibid. Alexandrinus 141
Sextarius ex pondere in cõmune nullus constitui potest 16.25 30.70 Romanus nõ est dupondius cõtra Budæũ 26.27. 87.88 nõ quindecim unciarum contra Alciatũ 28.29. 30.85.86 non unciarum uiginti ponderaliũ contra Porcium 30.31.32 Græcus non unciarũ põderaliũ quindecim contra Alciatum 48.49.52
Sextarius Arab. semuncia 174. & 176
Sextarius Alexandrinus 167
Sextula unciæ 99.100.101. 178 iugeri 219
Sextula beßis 339
Sextula nummus æreus 293
Sextus Cæcilius iurisc. 333
Sicel, aliàs siccel põdus Heb. 169 289 pendit 170.171.172 173.174 236
Siclus nũmus Heb. uulgaris 170 171.189.290 ualet nostri argẽti 314 sanctuarij qui & argenteus 290 ualet 314
Siclus aureus 608.609
Siclus duplex 174.290
Siglus nummus Sardianus & Persicus 289 ualet 314
Sicilicus iugeri 219 pedis 210 211 unciæ 98.101.339
Silanus Ambraciotes uates 277
Siligo 235
Siliqua fructus 235.238
Siliqua põdus 123.125.177 eius diuisio 211
Siliqua beßis 339.340
Simpli nummuli Miseni 310
Sliconum nummi unciales 291 temperatura 301
Solidi 276.308.327.332
Solon mensuras & põdera auxit 119 annuo fructu quẽ quisq; ex agris caperet ordines ciuitatis partitus est 320
Sophonetus quãti mulctatus apud Xenophontem 335
Sors & uiuum 329
Speusippi librorũ preciũ quos Aristoteles emit 328
Spithame 197.200
Stadium 204.205
Stadiũ Olympiacũ cur cæteris stadijs Græciæ longius 196
Stagum 86.120.130
Stater diuersa significat 178. & 275
Stater aureus Atticus uetus 275. 307 uilior 308 Alexandrinus 275 Crœsius 269.276 Cyzicenus 309 Daricus 260 277.304 externus, Macedonicus 275 Philippicus ibid.
Stater argẽteus Corinthius 278. & 312
Stephani lapsus 163
Stipendia aduocatorũ 325 medicorũ 324 militum 321. 323.324 rhetorum 325
Stipendia ueterũ inter se, & cum stipẽdijs huius temporis collata 324.325
Suidas reprehensus 209
Suionum quadrati nummi 294
Syracusanorum nummi ex plumbo candido ibidem
Sylla Asiam quãti mulctarit 335
Syriæ mensuræ 139

T

Taciti imp. nummus 297
Talentum auri 296
Talentũ Aegineũ 112.296 Aegyptiũ 296.318 Atticũ minus 111.112.113.190. 296 diuiditur 114 maius 115.117.295 Babylonium 112.296.297 Byzantium 168.178 Euboicũ 117.296 316 Hebræum 169. 178. & 290
Talenti Attici auri puri precium pag. 307
Talentorũ diuersitas 178.296
Talenta quæ paucos aureos & denarios ualuerunt 296.297

Tebethius

Tebethini 295
Temperationem corporis animi mores ſequuntur 252
Tenedius nummus 267
Terentius clemens 333
Tertiarius medimni 60.61.62. 63 capit ſe minores 61
Terũcius 273.278.279.289 ualet 313.340
Tetrachma 278
Tertullianus iuriſconſultus 333
Tetrachmũ Athenienſium 268. 278 ualet argẽti noſtri 310
Tetradrachmum noſtrum, uide Semunciales nummi
Tetrametrum 62
Tetraſtater Cyrenenſium 308
Tetrobolũ 269. 278 ualet 310
Thalmudiſtæ 148
Thaſius nummus 267
Theſei nummus ibidem
Th. Magiſter notatus 44
Thopa palmus Heb. 222
Thraſideas Thebanus 205
Throni Veneti 269
Timaſion Dardanenſis 321
Topus menſura 140
Torquatus tricongius 46
Tragus 235
Tremiſſes 276
Trepondo 96
Treſſis 293.294
Treuirorum albi 292.302
Tribuni ærarij 293
Triceſſis 294
Tridrachmum 278
Triens libræ 94.97.98.127. 339 pedis 213 ſextarij 20 iugeri 219
Triens nummus æreus 293
Trimodia 33.35
Triobolum Atticum 278 ualet 310 Aegineum 312
Trioboli homo 294
Triphonianus iuriſconſultus 333
Triticum 235 eius diuerſa genera 84.85.235
Trœzenius nummus 267
Triuncis 293
Triblium 40.58 in ſacris literis 166.167
Troianus nummus 267
Tubalcainus 263
Turcici nummi aurei 277 temperatura 298.305
Typha 235
Tzaad 226

V

VAlens iuriſconſultus 333
Valens medicus 50
Venetiæ 231
Venetorũ libræ uariæ 240.241
Veneti quando primum aurum et argentum ſignarunt 265
Veneti aurei nummi 268.269. 277 tẽperatura 298 pendunt 305.306 ualent noſtri argenti ſignati 311
Venetorum nummi 268
Venetorum error 236
Venuleius iureconſultus 333
Verſus 218
Veſpaſianus imperator quãta pecunia pronunciarit opus eſſe, ut reſpub. ſtare poſſet 316 rhetoribus ſtipẽdia quãta conſtituerit 325
Vicentinæ libræ 241
Viceſis 293
Victoriatus 99.101.108.189 246.269.278. 279
Viglius Zuichemus 331
Vildelappi & Caroli qua cõſuetudine in emendis & uendendis rebus utantur 265
Vilhelmus Cocles 299
Vilhelmus dux Saxonum 300
Vilhelmini nummi argentei Miſeni 269 tẽperatura 299.300
Vinitor precioſus 327
Virtus magis laudabiles efficit, q̃ nobilitas 135
Vitia pecunijs mulctata 335
Viuũ Latinis idẽ quod ſors 329
Vlna quæ & cubitus 220
Vncia menſuralis 4.10.11.12. 14.24.338 differt à ponderali 13.25.33.191. 192
Vncia medica 123.124.336 diuiditur in minora 125 Romana 94 diuiditur 98.99. 101.128 denariorum & drachmarum quot 104.106 129.187.236.240.244
Vncia Arabica 348 Hippiatrica 131.132.163
Vncia iugeri 219 pedis 209. 210.339 diuiditur 210. 211 latior pollice contra Budæum 219
Vnciam nõ eſſe denariorum octo contra Alciatum 107 nõ nouem contra Nicolaũ & Salernitas 236 non decem contra Neapolitanos 236
Vnciam in minores uncias duodecim non diuidi 211 eius nota 303
Vncialis 210
Vnciales nummi 291 temperatura 299 precium 310.311
Vngarici nummi aurei 277 temperatura 298 pendunt 304 proportio ad diuerſos nũmos aureos 306 ualent noſtri argenti ſignati 311.317
Vrbinas nummus 268
Vrna 4.6.19.338 capit ſe minores 6.10.18.20.28 libras 4 pendit olei 72 uini 79 mellis 81 reſtituta 249
Vrna quinquagenaria apud Catonem 19
Vrnale uas 19 acetabulũ 44
Vrſus Particiachus 265
Vſura quid 329 annua 331 diurna 330.334 mẽſtrua 330 differentiæ 330. & inde nautica ſiue traiectitia 330 duplex, ibid. cuius multiplex ratio 334
Vſura prohibita in ſacris literis, pag. 334
Vſuræ licitæ prohibitæ legibus et illicitæ 334.335

X

XAnticles & Phileſius mulctati 335
Xenarchus Rhodius metretes, ac eius bibacitas 46
Xenophon Corinthius ſtadiodromus 205

Z

ZEa 235.237 duplex 237
Zereth, dodrans Hebraicus, pag. 222.223

Indicis prioris finis.

INDEX POSTERIOR, QVI EST GRAECARVM uocum hisce in commentarijs tractatarum.

A

Αγκών 214
ἄκαινα 226
ἀμφορεύς 6.56.57.58.75
80 81
ἀμφοτερόπλουν 330
ἀνατοκισμός 335
ἀπόῤῥημα 140
ἀργυραμοιβοί 273
ἀργυροκόπος 267
ἀργυρηλάτης 267
ἀργυροκοπεῖον 267
ἀρχαῖον 330
ἀρχαῖον δάνειον καὶ δάνεισμα 330
ἄρουρα 206.207
ἀρτάβη 139.140.141
ἀρυστήρ 39
ἀσσάριον 178
ἀσσαρών 150.156
αὐλός 205
ἀχάνη 139

B

Βῆμα 215.226

Γ

Γεωπονικὰ 206
γράμμα 101.122.124
131 211

Δ

Δάκτυλος 197.206
δακτυλιαῖος 198
δακτυλοδόχμη 197.199
δάνειον καὶ δάνεισμα 330
δάνειον ναυτικὸν 330
δεῖνος 45
δεκάπους 226
δεσμίδιον 179
δηνάριον 131.132
δίαυλος 204.205
διαυλοδρομεῖν 205
δίδραχμον 122.278.291
δίδραχμαι 211
δίδωρον 199
δίκοκκος 237
διπάλαιστος 199
δίπηχυς 203
διπηχυαϊκή 203
δίπλεθρος 205
δίποδος 201
διποδιαῖος 201
δίπρυς 201
διπίθαμος 201
διτάλαντον 119
δίχαλκος 293
διχοίνικον 62
διώβολον 122.124.269.278
διωβολιαῖος 124
δολιχὸς 204.206
δοχμή 197.198.199
δραγμή 122
δραχμαί 211
δραχμή 105.111.122.131
132.275 278
δυποιήτιον 178
δῶρον 197.199.207

E

Εβδομον ἡμιτάλαντον 119
ἑκτεύς 60.61
ἑκτὸν τῆς λίτρας 127.167
ἐλέφας 45
ἐλένιος 167
ἐξάγιον 130.178
ἑξαπάλαιστος 199
ἑξάπηχυς 203
ἑτερόπλουν 330
εὐγένεια 135
εὐγενεῖς 195
ἔφεκτος τόκος 330

H

Ημίδραχμον 124.278
ἡμιδοδέκατον 61
ἡμίεκτον 60.65
ἡμικάδιον 43
ἡμίκορος 152
ἡμίλιτρα 21
ἡμικοτύλιον 37.40.41
ἡμιμέδιμνον 60
ἡμιμναῖον 114
ἡμίξεστον 39
ἡμιούγγιον 124
ἡμιπηχυαῖος 202
ἡμίπλεθρον 205
ἡμιπόδιον 201
ἡμιστατήριον 275
ἡμιχοινίκιον 54.62
ἡμιτάλαντον τρίτον, πέμπτον, ἕβδομον 118.208
ἡμίχους 164
ἡμιχρύσους 275
ἡμιώβολον 105.111.114
122 123
ἡμιωβόλιον 278

I

Ἰνιον 75.141
ἱππικὸν 204.205.206

K

Καδιχός 44
κάδος 38.142
κάλαμος 226
καπίθη 139
καρπός 200
κέντρον 211
κεράμιον 38.142
κεράτιον 130.177.211.235
κέρμα 261.263
κεφάλαιον 330
κλίμα 207.218
κόγχη 37.75.76
κόλλαθον 141
κόπτειν 267
κοτύλη 37.40.49
κοτύλης τέταρτον 41
κοτυληδόνες 19.40
κτηνιατροὶ 69
κοχλιάριον 37.69.74
κύαθος 8.37.60.187
κῦβος 249
κύβιτος 214

Λ

Λεπτὸν 114.121.211.311
λήκυθος 166
λιχάς 197.200
λίτρα 11.26.120.121
λοχαγός 323

M

Μέδιμνος 52.53.60.166
μετρητής 37.38.44
56 142

μετρο

μετρονόμοι 231
μίλιον 204.206.209
μνᾶ 111.113.120.168.175
μνααῖος 114
μόδιος 166
μυριὰς 338
μῦστρον 56.69
μῦς 77

N

Ναύαρχος 321
νόμισμα 261.262
νόμος 262

Ξ

Ξέστης 26.39.40.52.60
73 75

O

Οβολος 111.114.122.269
οἰφί 149.150.151
οἴφιν 140
ὁλκή 130.131.176
ὀξύφαβον 8.37.60.75.187
ὀργυιὰ 197.203.204.206
208.216.220
ὀργυιαῖος 204
ὀρθίδωρον 197.200
ὄροβος 130
οὐγγία 26.122

Π

Παλαιστή ἢ παλαιστής 197
199.206 207
παλαιστιαῖος 199
παρασάγγη 221
πέλεθρον 207.208
πέμπτον ἡμιτάλαντον 208
πεντάδωρον 199
πενταπάλαιστος 199
πεντασπίθαμος 201
πενταχοίνικον 62
πέντε ἡμιτάλαντα ⊙ πεντη
μιτάλαντον 208
πεντημιπόδιον 201.208
πεντηκοσιομέδιμνος 320
πῆχυς 197.202.206
πῆχυς βασιλήϊος 220
πηχιαῖος 202
πλέθρον 204.205.207.208
πλεθριαῖος 205
πρδιαῖος 201
πῦς 197.201.206
πρλιτάλαντος 119
πρόμαχος 46
πυγμή 197.203
πυγούσιος 203
πυγών 197.203

P

Ρυτὸν 45

Σ

Σαβιθὰ 139
σχοῖνος 221.222
σιτάριον 235
σίτος 235
σιτομέτριον 69
σπιθαμή 197.200.207.208
σπιθαμιαῖος 200.201
στάγιον 178.179
στάδιον ἢ στάδιος 204.205
σταδιεῖς καὶ σταδιοδρόμοι 205
σταθμός 227
στάμνος ἢ στάμνιον 44
στατήρ 275
στατὴρ χρυσοῦς 275
στιγμή 211
στρατηγός 323

T

Τάλαντον 111.114
ταλαντιαῖος 119
ταλαντάω ἢ ταλαντέω καὶ
ταλαντεύω 119
τέταρτον 40.72.167.168
τέταρτον τῆς λίτρας 127
τετράδραχμον 122.278.291
τετράδωρον 178.199
τετραόργυιον 204
τετραπάλαιστος 199
τετράπους 201
τετράμιτρον 61
τετραστάτηρον 277
τετραστάτηρ 291
τετράσσαρον 130
τετράσσαρον ἰταλικὸν 178
τέτραχμον 188.190.278
τετρώβολον 122.125
τόκος 329
τόκος ἔφεκτος 330
τόκος τόκων 335
τρία ἡμιτάλαντα ⊙ τριημι
τάλαντον 208
τρία ἡμιμναῖα 118
τρίδραχμον 122.278
τριημιπόδιον 201.208
τριόργυιος 204
τρίπηχυς 203
τρίπρδος 201
τρίπρυς 201
τρισπίθαμος 201
τριτάλαντον 119
τρίτον ἡμιτάλαντον 119.208
τρίτον τῆς λίτρας 127.167
τρίτον ἡμίδραχμον 118.119
τριτεύς 60.61
τριχοίνικον 62
τριώβολον 57.122.124.278
τρύβλιον 40.57.74.75
τῶπιν 140

Υ

Υφι 145.149

Φ

Φακή 130

X

Χαλκοῦς 111.114.125.248
χήμη 37.77.78
χοῖνιξ 53.54.68.145
χοίνικι μὴ ἐπικάθησαι 68
χοῦς ἢ χοεὺς 37.39.46.48.75
χρῆμα 261.263
χρήματα 263
χρυσοῦς 275

Ω

Ωλενή 220

GEORGII AGRICOLAE DE MENsuris, ponderibus ac monetis commentariorum, finis.

ERRATA QVAE LIBRO, POSTQVAM EXCVsus fuit, relecto deprehendimus castigaturus: notet priorem numerum paginam, sequentem notare eius uersum.

Numerus falsus, pag. 38. et 188 pag. 9. uersu 37. duæ ligulæ. 12.36. ῥωμαϊκῆς 13.9 ῥωμαϊκὰς. 42.14. *per uindemiam musti quàm optimi.* 16. *minute* 17. *iunceum aut lineum.* 44.14. *Dionysus Stamnij.* 45.19. *Græca cantio.* 54.26. ἡμιχοίνικον. 71.36. *ut de fact.* 88.5. *necessario consequeretur.* 92.5. *supelle=.* 132.2. τὸ δὲ ἀιγιναῖον, ἕκατον. 115.1. *poterunt.* 123.4. *octo drachmæ unciam.* 140.34. σαΐτου & σαΐτης. 148.5. πραθῆναι. 168.8. *Hesychio, cum.* 167.8. *unaquæq; earum est denariorũ septem.* 188.12. *argumentum.* 203.43. ἐκτείνας ὡς. 207.5. *quo modo* 8. τετρακοσίων. 216.5. *pedes Rom.* 266.30. *tum.* 267.26. *Asii* 288.18. *causa lib.* 1. *Epig.* 327.17. *Calliodorũ. Reliqua sunt leuis momẽti, sicut quam pro quàm, & modium, ducentum, sestertium, nummum, pro modiûm, ducentûm, sestertiûm, & nummûm, ac similia.*

BASILEAE APVD HIER. FROBENIVM ET NIC. EPISCOPIVM ANNO M. D. L.
Mense Martio.


FRO BEN.